

Handwritten text in a stylized, possibly Gothic or similar script, oriented vertically on aged, stained paper. The text is difficult to decipher due to fading and the style of the script.

A
7-362

212

Biblioteca Universitaria
GRANADA

Sala	A
Excmo	15
Tabla	
Numero	228

29-5-42



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	7
Numero:	362

BERNARD HOSPITAL REAL
ADWARD

DATE

ESTIM

NUMERO

R. P. F. GABRIELIS
A. S. VINCENTIO

CARMELITÆ DISCALCEATI;
*Seminarij eiusdem Ordinis in Conuen. S. Pauli, ac S. Mariae de Victoria
Vrbis Romae Theologiae, & Controuersiarum Praeceptoris.*

TRACTATUS ^{R-5162}
DE SACRAMENTIS

Iuxta Angelicam D. Thomae Aquinatis Doctrinam, eidemque
Angelico Magistro Dicati.

PARS PRIMA.
Antiquae Collegij Granatensis Societatis S. J. S.
De Sacramentis in Genere, & de Baptismo.



ROMAE, Ex Typographia Francisci Felicis Mancini. MDCLVI.
SUPERIORVM LICENTIA.

R. P. F. GABRIELIS

S. VIT. C. E. T. I. O.

CARMELITAE DISCIPLINAE

Tractatus de ...


R-212

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS

... Magistro D. Thomae Aquinatis ...

P. R. S. P. R. I. M. A.



ROMAE Ex Typographia Francisci Felicis Mancini MDCLVII

377 BRIORUM LICE TIA

D. THOMAE AQUINATI

Doctōri Hierarchico, Angelico licēorū Custodi,
Theologiē Magistro, Magistrorū Theologo,
Dynastico Petri Cyrabæ Rectori.
Fidei inperscrutabilia Sacramenta,
fidei inperscrutanti Sacramento.

FR. GABRIEL A S. VINCENTIO
*Seminarij Carmelitarum Discalceatorum Con-
gregationis Prophetici Magistri S. Eliae, ac
Caelestis Doctrinae pabulo nutrientis S. Ma-
tris, & Virginis Tereſia, in Conuentu S. Pau-
li, ac S. Mariae de Victoria Urbis Romae
Theologiae, nec non Controuerſiarum Lector*

D. C. D.



ILLAM scripsi [Præceptor Hie-
rarchice] quam candido verita-
tis atramento voluminibus con-
signans doctrinam, posterorum
imprelsisti pectoribus. Candidè
ideó hanc expono perlegendam, vt tuam pro-
prio

prio se nutu indigitet, tuque tibi gratos habeas,
optimos hosce de septem Ecclesiæ Sacramen-
tis Tractatus, quos noueris tuos. *Connumera-
ri septenarium inter numeros, qui à nullo nisi ab
unitate dimetiri possunt*, edocuit Bongus,
de myt
n. fig. de
B. 7.
vt scirem, Septenarium istud vnica mente
dimeriendum, quæ Regulæ indefectibiliter
in Cælis coaptata æternaturæ, ipsi tutò
conformari datur in terris. Semel eligens, idem
qui semper eligit, in quod inflexibiliter tendat
obiectum, immobili motu ad Angelorum flectit
iste naturam. Tali quidem incelsisti, nunc in-
cedens gressu. Angelum te tellus adhuc homi-
nem tenuit, sed non hominem, obiectum tibi
constituens æuiternum, quidquid sub tempo-
ris mensura insuperabiliter profundè edocebas,
totum verè rectum, omnia rectè vera, quippe
rectus, quippe verus Angelus extas. Ast qua-
lem te Angelum dixerim? Noui Ioanne Abba-
te lugerente, *Angeli substantiæ definitionem,*
in Sch.
in S. Ic.
Cl.
Et formam solum Creatorem sciuisse. Inscius
de te loquar, omniscius tamen, te clarè in
tenebris contuens. Bellè irradiant tene-
bræ: cum enim monumenti mensuram reperi-
am æuum, inter sepulchri caligines dilucide vi-
deo,

deo. quod sis *Angelus Domini* qui descendit de
Cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat
super eum, cuius aspectus sicut fulgur. *Sacra* Matth
28. 2
mento Sacramenta monstras; & *Angelus Sa-*
cramenta edocens in *Petra*. (idest, sator *Geor-*
gius Venetus) in *Dei Patris* sedes sinu c. 1. to.
7. ca. 1.
teste *Chrysologo*, ad docendam *Resurrectio-*
nem, non ad lassitudinem subleuandam, serm.
75.
quia tibi factus est lapis vas *Angelicæ sessionis*, do-
ctrinae Cælestis Cathedra, *Scholarum vitæ*. Doctri-
na *Resurrectionis Christi*, *Sacramentorum*,
Doctrina est, in quibus *Christus* veluti resur-
gens viuus apparet. Iam singulare non dicam,
te singularem inter *Angelorum*, *Magistrorum*,
quem *myriades* dicens *Angelum*, & *Magistrum*.
Nec asserere auferim, auxerim tamen laudes, id
circò scientiæ plenitudinem habentes *Cheru-*
bim conticescere, quia loqueris *Doctorum An-*
gele, *Angelorum Doctor*. *Angelus non*
Cherub. ad docendum sedes super lapidem
Deum Patrem, qui sedet super *Cherubim*; ideo Psal.
79. 2.
plusquam *Cherub*, scientiæ plenitudinem, in-
super & *Sapientiæ* habes, conscensus sinum ve-
ræ, sempiternæque *Cathedram Sapientiæ*. Proh-
igitur scirent omnes *Angelum* sequi in fontis

vitæ

LECTORI

vitaē naturā, intellectualis naturā vitaē De Sa-
cramentis in hac prima parte dum ago in Ge-
nere, omnes tuę addicere vellem, plus ego ad-
dictus clientelę, tuęque per Baptismum conle-
crare, plus ego consecratus Doctrinę. Tu opus
meum, tuum habere minimē recuses, si quia
meum nullatenus meum, omninō tuum. So-
lent præceptores, quę discipulorum sunt in se non
nunquam transferre, siuē ea errata fuerint, siuē
præclara quoquē facinora. Nituntur hi enim
discipulos quoad eis fieri potest similes sibi red-
dere, ex Andree Cæsariensis opinione: Ve-
ri præceptoris qualitatam indutus paludamen-
to, transferas in te opus discipuli in Palladio
Doctrinę tuę, quem tibi similem reddere
nitaris, nitens tu, nascensque quotidie formo-
sior, splendidiorque sole super Empireę or-
bitę fruenteo Oroscopos, quos Doc-
trina tua, de septem præcipuę Sacramentis, ve-
luti septem accensis candelabris illuminasti, illu-
minas, illuminabisque per eum, in quo vale-
bis, ut yales.

in Apoc
c. 3.

Apoc
1. v. 13.
& 13.
v. 1.

LECTORI



LECTORI

F. GABRIEL A. S. VINCENTIO

CARMELITA EXCALCEATVS

S. P. D.



NUNQUAM eo vsque se extenderat cogitatio mea, Lector beneuole, vt ea publici iuris facerem, quæ ad priuatum domesticorum meorum commodum in nostro Theologico cursu currenti, vt aiunt, calamo scripseram; præsertim cum in tanta, tamque multiplici Librorum copia, qui quotidie emergunt ad lucem, nihil iam desiderari videatur, quo studiosorum animi præclarissimis sapientiæ decoribus inhiantes foueri possint, & proficere. Verum nil sibi adscribere, aut retinere potest, qui sui Iuris non est, & qui minus sibi viuit, quam alijs, etiam magis alijs, quam sibi laborat. Vt Superiorum meorum obediæ nutibus, profero hæc qualescunque lucubrationes meas in tertiam partem Summæ D. Thomæ à quæst. 60. vsque ad 72. in quibus agitur de Sacramentis in Genere, & in specie de Baptismo. Video iam natum, quod credideram vix conceptum, Virtute vtique illius *fat*, quod ab initio cuncta produxit ex nihilo, & ex Ore Altissimi, in ora hominum deriuatum, quibus dictum est; *Qui*

vos aud't, me audit, etiam simillima prioribus operari non ces-
sat. Accipe ergo tenellum partum, & beneuolo refoue affec-
tu, beneuolis contrecta manibus. De reliquis Sacramentis,
reliquæ lucubrations præsto sunt, mox adijciam, mox habebis.
Verum hoc vnum te monitum volo, quod si nouitatibus
inhias, frustraberis in meo opere; totus enim sum in veteri do-
ctrina referenda, & stabilienda, quam genuinus Doctoris An-
gelici sensus prædicat, ac proclamat. Imo vt verius dicam, si
nouitatibus inhias, lætaberis in meo opere; nihil enim tam
nouum hac tempestate videtur, quam antiquorum vestigijs
inseparabiliter adhærere; ipsa consuetudo nouitatis sectandæ
vsquè adeo inoleuit, vt ipsa iam nouitas veterascere videatur.
Noua ergò tibi nunc profero, quippe quæ antiqua; aliena tra-
do, nihil meum; imò illud magis meum erit, quod magis alie-
num apparebit; neque enim eorum disceriat, pertimesco, qui
nostrum scribendi morem despicientes, fide parentum magis
nos duci aiunt, quam ratione. Fide parentum ducimur, quam
recta ratio solidauit, fide parentum ducimur, quam certa sci-
entia illustrauit, imò quam ipsa veritas prædicat, & confirmat.
Si igitur hæc instituti nostri ratio tibi arridet, bono animo ac-
cede, nostro labore vttere, frueri. Vale.



FACULTAS

FR. IOACHIMI

A. IESU MARIA

*Præpositi Generalis Carmelitarum Discal-
ceatorum.*

TEnore præsentium facultatem impertimur Reuerendo Patri Fratri Gabrieli a Sancto Vincentio Lombardo in Seminario Sanctæ Mariæ de Victoriâ Sacræ Theologiæ, & Controuersiarum Lectori eiusdem nostræ Congregationis Sacerdoti professio typis mandandi opus, quod inscribitur (Tractatus de Sacramentis iuxta Angelicam D. Thomæ Aquinatis doctrinam) dummodo prius duo nostræ Congregationis Theologi à Reuerendo Patre Prouinciali Prouinciæ nostræ Longobardiæ deputandi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint. In quorum fidem præsentem dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala, Die 28. Septembris 1655.

*Fr. Ioachimus à Iesu Maria
Præpositus Generalis.*

*Fr. Faustus à S. Basilio
Secretarius;*

CVm examinanda sint scripta de Sacramen-
tis R. P. Fr. Gabrielis à S. Vincentio Con-
gregationis nostræ Sacerdotis professi, vtrum
digna sint, quod typis mandentur: auctoritate
mihi demandata ab A. R. P. N. Fr. Ioachimo
à Iesu Maria Præposito Generali, nomino, &
designo pro tali examine P. F. Vincentium Ma-
riam à s. Catharina Senensi, & P. F. Cassianum
à s. Elia Religionis nostræ Professos Sacerdotes,
& Theologos. Dat: Mediolani. 20. Octo-
bris 1655.

*Fr. Hieronymus à S. Te-
resia Prouincialis Car-
melitarum Discalcea-
torum Longobardie:*

Doctif.

DOctimum Opus, cui titulus est, *Traſtatus de Sacra-
mentis R. P. F. Gabrielis à S. Vincentio* mihi ab Admo-
dum R. P. N. P. F. Hieronymo à S. Teresia Prouincia-
li Carmelitarum Excalceatorum Longobardiae pro reuifione
commiffum, non fine magna animi voluptate vidi, & perlegi;
tanti Patris ſinceram mentem meditatus ſum, nihilque repe-
ri Sacris Concilijs, SS. Patribus aduerſum, quin potius ipſo-
rum mens, ac præcipuè Angelici Præceptoris quam pleniffi-
mè elucidata, cuius in explanatione nelatum quidem vnguem
recedit, ſed ita incedit, vt quæ in Sacro Angelici Doctõris pe-
ctore veluti latitabant, mira claritate depromat, & non niſi ip-
ſius pectõris clariffimum videatur ſpeculum, ipſoque dictante
exaratum. Plura excitat, quæ hæc uſque nemo tam perluci-
de, tam diſtinctè, tanque profundè explanauit, imò non nul-
la tam in veteribus, quam in recentioribus Doctõribus vllate-
nus me vidiffè fateor, attamen ex eorum excerpta Doctrinis.
Qui igitur hoc in ſpeculo fuerit demiratus, proprias effugiet
rugas, pulchriorque apparebit, ſi non lippeis oculis intuebitur,
dum ad reflexum Solis Angelici eformatum eſt. Dat.
Romæ Dic 18. Nouemb. 1655.

*F. Vincentius Maria à S. Catha-
rina Senenſi Carmelita Di-
ſcalceatus Theologus.*

E Go infra scriptus, ex commissione R. Admodum Patris
N. P. F. Hieronymi à S. Teresia Prouincialis Carmeli-
tarum Discalceatorum Prouinciæ S. Angeli Longobar-
diæ, vidi opus à R. P. F. Gabriele à S. Vincentio concinnatum
De Sacramentis, de quo illud idem iudico, quod fibimet
fieri exposcere sentio. Quidquid in ipso vidi, typis exigit de-
mandari: quinimò prælum ipsum, omnium affectat reddere,
quod est vnius. Vnius est, at omnibus debetur, cuius omnes
indigent ad Fidem, bonosque enutriendos mores. Multa in
hoc opere ab eius Auctore appensa in statera, inuenta sunt
minus habentia, quæ alij perbreui præuio examine, iusta es-
se, cum non sint, dijudicarunt. Non æqui ponderis edicit tru-
tina, quod apparet æquum. Ingenium Auctoris, vndequa-
quæ iustam, Angelicæ Doctrinæ obsignatam sigillo, dico truti-
nam, quod accurationem misteriorum explicationem, rerūq;
illustrium inducens existimationem, Excellentissimum ideò
pronuntio Doctorem, Auctorem ipsum, cum in quartum Mar-
ci caput Victor Antiochenus, *Excellentis Doctoris munus esse*
doceat, ne propter accuratiorem misteriorum explicationem res
illustres in contèptum adducat. Tandem cum Gilleberti verbis
Sermone vigesimo septimo in Cantica, testor Auctoris magnā
eloquentia laudem esse, causam quam suscepit aptè fuisse exequu-
tum. Datum Romæ in Coniuentu nostro Sanctæ Mariæ de
Victoria, Die 19. Nouembris 1655.

Ita dico, & iudico Ego F. Cassianus à
S. Elia Carmelita Discalceatus, &
Theologus.

IN Caelestem Aligerum Gabrielem, Danieli emundatio-
nem Sanctuarij Sacramentorum nouæ legis peragenda
administratione, mirabiliter pudentem, iactaui lumina:
dum imperio Reuerendissimi P. F. Raymundi Capisucci Ord.
Præd. Sacræ Theologiæ, & Sac. Apost. Palatij Magistri parens;
Tractatus Theologicos de Sacramentis in Genere, & specie
magno ingenij acumine iuxta Doctrinam D. Thomæ concin-
natos ab A. R. P. F. Gabriele à S. Vincentio Carmelita Di-
scalceato, in Conuentu S. Pauli, ac S. Mariæ de Victoria in
Vrbe Theologiæ, ex Controuersiarum Professore tum volup-
tate animi, tum corporis oculis perlustrari. In nullo pedem
offendi lapide; sed Angelicis deponatus manibus, auream
Aquinatis Sapientiam Magni Gabrielis olim deglutita salu-
tatione conceptam; nunc à Doctissimo, & Religiosissimo Ga-
brielle, suorum emulante zelum, auctam, non sine admirabili
aduersus impugnatores Victoria, prospexi. Hinc in publicum
exire hanc Thomisticæ Sapientiæ fortitudinem, huic Victore
ob clara trophæa coronam dari, arbitrio dirimo meo, è Con-
uentu S. Mariæ super Mineruam Romæ xxv. Februarii 1656

*Fr. Clemens Blasius Balneariensis Ord.
Præd. S. T. Magister, & eiusdem
Professor in Collegio D. Thomæ Aquin.*

INDEX

Imprimatur

Imprimatur.

**Si videbitur Reuerendis. P. Magistro Sacri Pa-
latij Apostolici.**

M. A. Oddus Vicegerens.

Imprimatur.

**Fr. Raymūndus Capisæccus Sacri, & Apostoli-
ci Palatij Magister, Ord. Prædicatorum.**

INDEX

I N D E X
DISPVTATIONVM
QVAESTIONVMVE

Quae in hoc opere de Sacramenti in Genere continentur

Proaemium ad tractatus folio primo.

DISPVTATIO I

DE essentia, & quidditate Sacramenti in genere. fol. 5

Quaestio Prima.

An de essentia Sacramenti sit esse rei Sacrae signum. fol. 6.

Quaestio Secunda.

An de ratione Sacramenti ut sic, sit esse signum sensibile. fol. 18

Quaestio Tertia.

Vtrum signum Sacramentale debeat esse practicum, seu causatum Sanctitatis. fol. 27.

Quaestio Quarta.

Vtrum gratiam significare sit differentia essentialis Sacramenti. fol. 38.

Quaestio

Quaestio Quinta.

Vtrum Sacramentum defini possit, & quænam sit melior illius definitio. fol. 45.

DISPV TATIO II.

DE physica Sacramenti in Geuere compositione. fol. 53.

Quaestio Prima i

An Sacramenta consistant rebus, & verbis tanquam materia, & forma. fol. 53.

Quaestio Secunda.

An in Sacramentis compositio, ex materia, & forma, seu ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma sit physica an moralis. fol. 60.

Quaestio Tertia.

Vtrum res Sacramentorum, seu vtrum materiae Sacramentorum debeant esse determinatae taliter quod nemini liceat illas mutare. fol. 67.

Quaestio Quarta.

Vtrum verba formæ Sacramentorum debeant esse determinata. fol. 74.

Quaestio Quinta,

In quo casu nullum est Sacramentum, ratione mutationis verborum formæ. fol. 80.

Quaestio Sexta.

Quale peccatum sit Sacramentorum formas mutare. fol. 88.

DISPV TATIO III.

DE Sacramentorum necessitate, fol. 92.

Quaestio

Questio Prima

An durante statu Innocentiae fuissent aliqua in eo Sacramen-
ta. fol. 92.

Questio Secunda

An in lege naturae fuerit verum, & proprium Sacramentum. fol. 107.

Questio Tertia

An in ministro Sacramenti legis naturae pro iustificandis par-
vulis, fides vel actualis, vel habitualis requireretur. fol. 115

Questio Quarta

An circumcisio sit primario instituta, ut peculiaris consignatio
populi Israelitici, an ut Sacramentum originalis peccati
remissivum. fol. 121.

DISPUTATIO IV.

DE principali Sacramentorum effectu, qui est gratia. fol. 128

Questio Prima.

Utrum nouae legis Sacramenta causent gratiam ex opere ope-
rato. fol. 129.

Questio Secunda.

Utrum Sacramenta nouae legis causent gratiam ut instrumen-
ta physica, an ut moralia. fol. 137.

Questio Tertia.

Per quid Sacramenta eleuentur, ut gratiam instrumentaliter
physice producant. fol. 152

Questio Quarta.

Quando nam Sacramenta gratiam causent, in instanti ne, an
in tempore? fol. 163

Questio Quinta.

An possit dari Sacramentum informe, & quod nam, & an re-
cedente fictione reuiuifcat. fol. 173.



Questio

Quaestio Sexta.

Quomodo fiat Sacramentorum reuiuifcentia. fol. 181

Quaestio Septima.

An omnia Sacramenta perse loquendo primam gratiam cau-
dent. fol. 186.

Quaestio Octaua.

Quid addat gratia Sacramentalis gratiae habituali. fol. 197.

DISPUTATIO V.

DE minus principali aliquorum Sacramentorum effectu,
qui est character. fol. 206.

Quaestio Prima.

An aliqua Sacramenta imprimant Characterem. fol. 207.

Quaestio Secunda.

An character sit qualitas vera & realis. fol. 214.

Quaestio Tertia.

In qua specie qualitatis character Sacramentalis collo-
cetur. fol. 218.

Quaestio Quarta.

In quo subiecto sacramentalis Character subiectetur. fol. 235

Quaestio Quinta.

Expediuntur quaedam difficultates ad eandem materiam per-
tinentes ubi in quibusdam sacramentis elementum est
physice productum. fol. 247.

DISPUTATIO VI.

DE causa sacramentorum.

Quaestio Prima.

An solus Deus interioem sacramenti producat effectu. f. 247

Quaestio

Questio Secunda.

An solus Deus sit Sacramentorum institutor. fol. 255

Questio Terna.

Utrum Christus secundum quod homo, sit causa principalis Sacramenti. fol. 260.

Questio Quarta.

An Christus Dominus potuerit alteri communicare potestatem, quam habuit instituendi Sacramenta. fol. 268.

DISPUTATIO VII.

DE ministro Sacramentorum.

Questio Prima.

Quis nam sit Sacramentorum minister ordinarius. fol. 275

Questio Secunda.

Quis nam possit esse extraordinarius Sacramentorum minister. fol. 281.

Questio Terna.

An in ministro ad Sacramenti valorem fides requiratur. fol. 286

Questio Quarta.

An ad valorem Sacramenti requiratur in ministro vita probitas, & sanctitas. fol. 292.

Questio Quinta.

An minister deputatus Sacramenta in mortali peccato ministrans peccet mortaliter. fol. 296. fol. 298.

Questio Sexta.

An minister obligationem habeat non ministrandi Sacramenta indignis. fol. 312.

Quaestio Septima.

An in ministro Sacramentorum aliqua intentio requiratur ad
conficienda Sacramenta. fol. 321.

Quaestio Octava.

Qualis intentio requiratur in Sacramentorum ministro.
folio. 334.

Quaestio Nona.

Utrum intentio conditionata efficiens Sacramentum ad eius
valorem sufficiat, ubi etiam an esse debeant circa materi-
am determinatam, & quid dicendum sit, quando concur-
runt duae intentiones ad inuicem contrariae. fol. 348.

DISPUTATIO VIII.

DE subiecto, seu suscipiente Sacramentum. fol. 358.

Quaestio Prima.

An ad validitatem Sacramenti sit necessaria ex parte adulti
positiua intentio illud recipiendi. fol. 359.

Quaestio Secunda.

An licitum sit recipere Sacramenta a malo ministro, etiam
publico, si sit paratus, & ab Ecclesia toleratus. fol. 367.

Quaestio Tertia.

An licitum sit Sacramenta petere a proprio Sacerdote, Epi-
scopo, aut Parocho excommunicato tolerato non parato,
extra casum extremae necessitatis. fol. 375.

Quaestio Quarta.

Utrum idem Sacramentum secundum speciem, semper, & in
omnibus habeat eundem effectum. fol. 378.

DISPV TATIO

NONA, ET VLTIMA.

DE Ecclesie Sacramentalibus. fol. 385.

Quaestio Prima.

An in Ecclesia sit potestas instituendi signa sensibilia. quae ex opere operato peccata venialia habeant remittere. fol. 387.

Quaestio Secunda.

An sacramentalia deleant peccata venialia ex opere operantis, an vero ex opere operato. fol. 393.

TRACTATVS II

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

DISPV TATIO I.

DE partibus essentialibus sacramenti Baptismi. fol. 408

Quaestio Prima.

Quenam sit materia remota sacramenti Baptismi. folio 409.

Quaestio Secunda.

Quenam sit proxima sacramenti Baptismi materia, & qualis esse debeat. fol. 415.

Quaestio Tertia.

Quae sit forma sacramenti Baptismi. fol. 425.

DISPV-

DISPV TATIO II

DE vnitate, & diuisione Sacramenti Baptismi, deque eius institutione. fol. 435.

Quaestio Prima.

An Sacramentum Baptismi in vno, eodemque homine multiplicari numero possit. fol. 436

Quaestio Secunda.

Quo casu possit Sacramentum Baptismi sub conditione iterari. fol. 440.

Quaestio Tertia.

An recte diuidatur Baptismus, in Baptismum fluminis, fluminis, & sanguinis, vbi etiam an Baptismus sanguinis causet gratiam ex opere operato. fol. 446.

Quaestio Quarta.

Quenam dispositio requiratur in adulto, ad hoc, vt martyrium recipiat. fol. 458.

Quaestio Quinta.

Soluuntur aliquæ difficultates ad martyrii materiam pertinentes. fol. 462.

Quaestio Sexta.

Quandonam institutum fuerit Sacramentum Baptismi. fol. 465

Quaestio Septima.

An Sacramentum Baptismi sit necessarium necessitate mediis & à quo tempore talis inceperit necessitas, fol. 469.

DISPV TATIO III.

DE Ministro Sacramenti Baptismi. fol. 479

Quaestio

Quaestio Prima.

Quis nam possit valide Baptizare. fol. 480.

Quaestio Secunda.

Quisnam possit licite Baptismi Sacramentū administrare 483.

Quaestio Tertia.

Utrum Baptismus collatus à duobus, quorum vnus tantum abluit, & alter tantum profert formam, sit validus. fol. 487.

Quaestio Quarta.

Utrum Baptismi Sacramentum à duobus, tanquam à causis partialibus collatum, quorum quilibet abluit, & integram formam pronuntiat cum sufficienti baptizandi intentione, sit validus. fol. 492.

Quaestio Quinta.

Utrum Baptismi sacramentum à duobus, tanquam à causis totalibus, & à se inuicem independentem agentibus collatum, sit validum. fol. 496.

Quaestio Sexta.

An praeter ministrum etiam Patrinus requiratur, in administratione sacramenti Baptismi. fol. 500.

DISPV TATIO IV:

DE suscipientibus sacramentum Baptismi. fol. 503.

Quaestio Prima.

Num Gentilium, Iudæorum, Mahumetanorum, &c. infantes sint sacramenti Baptismi capaces. fol. 504.

Quaestio Secunda.

An Christianorum paruuli sint capaces sacramenti Baptismi. fol. 506.

Quaestio

Quaestio Tertia.

Utrum infantes in suarum matrum visceribus inclusi sacra-
menti Baptismi sint capaces. fol. 511.

Quaestio Quarta.

Utrum liceat Baptizare infidelium filios parentibus eorum
inuitis. fol. 515.

DISPUTATIO V.

DE effectibus Sacramenti Baptismi.

Quaestio Prima.

Utrum per Baptismum tollantur omnia peccata. fol. 526.

Quaestio Secunda.

An per sacramentum Baptismi tota poena peccatis debita re-
mittatur. fol. 531.

Quaestio Tertia.

Quosnam conferat sacramentum baptismi effectus. fol. 536.

DISPUTATIO

DE effectibus Sacramenti Baptismi.
Quaestio Prima.
Utrum per Baptismum tollantur omnia peccata.
Quaestio Secunda.
An per sacramentum Baptismi tota poena peccatis debita remittatur.
Quaestio Tertia.
Quosnam conferat sacramentum baptismi effectus.

TRACTATVS



TRACTATUS
PRIMVS
DE SACRAMENTIS
IN GENERE

PRO O E M I V M.



OC mane die 18.
Aprilis Anni 1655
quo tempore to-
tius vrbis lætitia,
facta est Sanctissimi in Chri-
sto Patris Alexandri Septimi
Pontificis Maximi Coronatio,
vltimam posui manum tra-
ctatui de gratia, iustificatio-
ne, & merito; & modo imme-
diate post Conclusiones ad
laudem Omnipotentis Dei,
initium dō tractatui de Sacra

mentis in Genere, vt eadem
dies, quæ fuit propicia fini
præcedentis operis, sit etiam
propicia presentis operis ini-
tio. Norum ergò est omnibus
(vt sic aliquid proœmialiter
dicatur) quam si xuosis ab-
gibus antiquus serpens Pro-
toparentes nostros deceperit,
cum ad diuini præcepti ratio-
nem discutiendam prouoca-
uit, vt illud fallax, & errone-
um existimarent, cum Diuinæ

A com.

comminationis metum ademit: cum induxit ut Deum aut invidum esse, qui nullos in suæ gloriæ societate admitteret, aut malitiosum, qui summa, & quæ nullo labore parari poterat perfectione priuauit. Pari fraude Cainum inuasit, quando fraternæ felicitatis inuidiæ faeces subministravit, quibus fratricida fieret, & omnem de Deo Creatore, & Iudice, deque Messia ex muliere nascituro doctrinam, quæ ab Adamo Patre tradebatur, contemneret; horribili desperatione diuinam misericordiam negligeret. Gigantes Caini potteros à minimis ad maxima, & nefandissima scelera idem tenebrarum parens perduxit. Synagogâ semper infestauit, cum Samaritanorum, Gorthenorum, Dositheorum, Ofsenorum, Hemerobaptistarû, Phariseorum, Saducæorum, Herodianorum, & aliorum Hæreticorum superstitionas hæreses seminauit. Et quod maius est vix sparsam per Apostolos Euangelii lucem obscurare, collectam Ecclesiâ dissipare, synceram fidei

sementem hæresum zizanijs paulatim conspurcare est nixus; qua propter statim à principio Simonem Magum excitauit, Ebionem, Menandrum Cerinthum, Nicolaum, deinde Valentinum, Carpocratem, Saturninum, Basilidem, Praxeam, Montanum, Marcionem, postea Nouatum, Sabellium, Samosetanum, Manicheum, Donatum, Arium, Nestorium, & alios plurimos Pseudochristos, atque hæresiarchas ad infestandum vineam Dei misit. Tandem impium adduxit Lutherum, qui superbiæ, & avaritiæ stimulis excitatus indulgentias principio impugnavit, mox usum quoque extinctum voluit, postea à Pontifice Maximo ob excitationes turbas, & pertinacem in erroribus animum Christiana Communionem priuatus, incredibili odio, & furore vniuersam Ecclesiæ hierarchiam sugillauit, omnia Ecclesiæ Sacramenta lacerando, & labefactando, omnibus hæresibus fenestram aperuit. Hinc orti sunt aliarum sectarum duces, qui partim principii sui, partim nouis,

& à le

& à se confidit hæresibus, partim vero à Simone Mago, Marcione, Valentino, Manichæo, Ario, Eunomio, Nestorio aliisque præscorum hæreticorum lacunis haustas insanas, & fanaticas opiniones incredibili spargentes imprudentia, miserorum hominum applausu, simulque æternæ damnatione. Hinc Carolstadius Lutheri primogenitus, homo Malensthone auctore ferus, sine ingenio, sine doctrina, ex Sacerdote maritus, suum immitatus patrem (qui sacris quibus se Deo obstrinserat votis contemptis cum moniali volutatus) bellum in Germania sacris indixit imaginibus, & aris, Christi quæ verum Corpus ab Eucharistia relegavit. Hinc Malensthon Chamaleunte, Euripo, Prothæo mutabilior, in unico de iustificatione articulo quaterdecies varians, nunc quatuor Ecclesiæ Sacramenta, nunc tria, denique duo solummodo, constituens, nunc Sacramentarios defendens, nunc espugnans, tandem, & ipsum Sacramenti nomen insequitur. Hinc tandem ut

innumeros reticeat, Calvinus ortus est per quem pulcherrima Galliarum facies deformata est, hic ut alias blasphemias relinquam, adeo in Christi Sacramenta inuehitur ut 4. lib. Iuarum instituit. capit. 14. S. 14. dicat: *Magno consensu sophistica Scholæ* (hoc nomine, Christi vocat Ecclesiam) *tradiderunt, Sacramenta nouæ legis iustificare, & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia, dici non potest, quam sit exitialis, & pestilens, eoque magis, quod multis ante seculis, magna Ecclesiæ iactura, in bona orbis parte obtinuit.* Hic baptismi sanctificationem, catechismi, & exorcismi sacros ritus deridet. Et aliqui eius discipuli, eo impietatis, & sceleris progressi sunt, ut baptismum meram prophanationem vocent, si à pijs laicis, vel monachis necessitate cogente administratur. Hi olei benedicti vntiones, & sacri chris-matis consignationes, pompas theatricas dicunt; imò, quod horret fidelium aures: eo dementia deueniunt, ut

omnium Sacramentorum primum, non sine ingenti scelere, suillum balneum, & satanicam institutionem esse vociferantur. De his bene predixit Paulus; *erunt homines se ipsos amantes, cupidos, elatos superbos. voluptatum amatores magis quam Dei: & D. Iacobus similiter prædixit, quod sunt arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris,*

despumantes suas confusiones, sidera errantia quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Vide ergo quanta sit satanæ malitia, odium quantum in Ecclesiam Dei; vide, quanta sit hæreticorum fallacia, insania quanta. Sed finis sit, nolo enim in his percensendis diu immorari, sus enim locis expugnabuntur Deo adiuuante.



DISPUTATIO I.

De essentia, & quidditate Sacramenti in Genere.

Antequam disputemus de natura Sacramenti in genere explicare oportet quid nomine Sacramenti intelligamus: quidam namque nostri temporis hæretici volunt nomine Sacramenti venire, non signum rei latentis, sed rem ipsam latentem, propterea volunt Sacramentum dici quasi *sacrans mentem, vel sacrum alta mente repositum*, quod probant Sacræ Scripturæ testimonis. Ephes. 1. *et notum faceret Sacramentum voluntatis sue & cap. 3. Quoniam secundum reuelationem, notum mihi factum est sacramentum, & rursum. Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo; & Tobæ 1. Sacramentum regis abscondere bonum est.* In quibus locis per Sacramentum res ipsa abscondita venit, non

signum rei absconditæ, & latentis; Sed falluntur hæretici, licet enim quandoque per Sacramentum in Scripturas res ipsa latens veniat, quod non inficiamur, ut ex citatis testimonijs colligitur. Nihilominus negari non potest, quin aliquando non accipitur pro ipso signo rei latentis, ut clare habetur Ephes. 5. ubi dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia, &c. primorum patrum Matrimonium sacramentum dicitur, quia signum est rei magnæ, conjunctionis nempe Christi tanquam sponsi, cum Ecclesia tanquam sponsæ, Unde D. Bernardus Ser. 1. in Cæna Domini, utranque breuiter complectitur Sacramenti si-*

ti significationem dicens: *Sacramentum dicitur sacrum signum, seu sacrum secretum.*

Dum ergo de Sacramentis agitur à Theologis non res secreta venit, sed signum rei secretæ, non cuiuscunque sed sacræ. Pro quo nota, quod sacrum, vel res sacra pluriformiter sumitur. Primo, pro locis diuinis cultibus institutis, quo modo Ecclesia, locus dicitur sacer. Secundo, pro signo rem sacram demonstrante, vt

Cruce, quæ demonstrat Crucem in qua Christus pendens, nostram consumauit redemptionem. Tertio, pro rebus quibuscumque, diuino cultui dicatis. Quarto, pro disponentibus ad sanctificationem, vt sunt Sacramentalia. Quinto, & ultimo, pro re quæ sacrat, & sanctificat, & in hoc sensu sumitur sacrum in Sacramento, vt magis ex dicendis patebit propterea sit.

QVAESTIO I.

An de essentia Sacramenti sit esse rei Sacrae signum.

Pro huius intelligentia quæstionis nota, *signum esse id quod præter speciem quam sensibus ingerit, in aliquid aliud ex se facit cogitationem venire*, vnde inter signum, & signatum similitudo aliqua debet interuenire, vt D. docet Augustinus Epist. 23. & de catechiz. rud. capit. 27. D. Basil. lib. de Bapt. cap.

2. D. Chrysost. ho. 1. in Epist. ad Rom. vnde viso vestigio, transisse animal cuius est vestigium cogitamus, & viso fumo subesse ignem cognoscimus. Vide D. Augustinum citato loco, & lib. 2. de Doctrina Christiana in principio; ubi vult signorum quoddam esse datum vel secundum impositionem, quod vocant ad

pla-

placitum ut est tabernæ signum, quoddam naturale, ut fumus, vestigium, &c. primi generis sunt Sacramenta signa, non secundi, de quo nulla dubietas inter scribentes. Item signum datum est duplex, vnum quod habet sui significatus similitudinem, ut panis foris expositus signum est vëdibilis panis; aliud quod non gerit sui significatus similitudinem ut circulus extra tabernam positus; qui est signum simplex vini vendibilis. Rursus signum quod gerit sui significatus similitudinem est duplex, vnum quod est signū, sed nō causa significatæ rei, ut panis foris expositus, aliud quod est causa eius quod significat, ut sunt Sacramenta, ut deinde dicemus. His prænotatis quærimus an Sacramentū sit signum rei sacræ, eū ut proponit D. Tho. an Sacramentum sit in genere signi, scū quod in idem reddit, an signum sit genus Sacramenti.

Prima sententia est aliquorum hæreticorum, ut in disputationis principio advertimus qui volunt Sacramentum non esse signum alicuius rei sacræ,

sed volunt esse rationem ipsam significatam: quorum fundamenta postea referemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum est signum rei sacræ, scū est in genere signi, scū signum est genus Sacramenti. Hæc conclusio est omnino certa, & illam tenent omnes Catholici.

Probatur primo Sacræ Scripturæ auctoritate Genes. 17. Circuncisio signum appellatur illis verbis; *Signum fedæ inter Deum, & Abraham ad Rom. 4.* appellatur *signaculum iustitiæ fidei*, & capit. 6. eiusdem Epist. Baptismi Sacramentum dicitur; significare Sepulturam, & Resurrectionem Christi Domini.

Probatur secundo ex Sanctis Patribus. D. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. vocat Sacramenta *signa*. D. Augustinus Epist. 118. vocat Sacramenta: *signa præstantissima*. D. Diomis de Ecclesia. hierarchia vocat Sacramenta *Sacra Symbola*, alijs, & similibus vocabulis in idem cum signo reddentibus vocari solent Sacramenta à PP.

Videa-

Videatur Concilium Florentinum in decreto de vnione Armen. & Tridentinū s. s. 7. & sess. 13. cap. 3. vbi dicitur, *commune esse omnibus Sacramentis vt sint symbola rei sacra*. Legatur D. Tho. hic quæst. 60. art. 1.

Probatur tertio ratione desumpta ex definitione signi tradita, quæ est D. Aug. 1. de Doctrina Christiana capit. 1. illud est in genere signi, quod præter sui cognitionem in alterius rei cognitionem facit venire; sed ita est Sacramentum; ergò Sacramentum est in genere signi. Maior est certa. Minor probatur. Circumcisio præter abscissionem præputij, ducebat in cognitionem fæderis inter Deum, & Abraham: Baptismus præter externam corporis ablutio- nem, in ablutio- nem interio- rem animæ ducit, & sic de alijs; ergò &c.

Sed dices: multi vident externam corporis ablutio- nem, & tamen non veniunt in cognitionem interioris animæ ablutio- nis, ergò illa exterior corporis ablutio non est in genere signi.

Ad hoc argumentum respondet Chryostomus hom. 7. in cap. 2. Epist. 1. ad Cor. quod non est de ratione signi vt de facto, & statim ac videtur, ducat in rei significatæ cognitionem, sed satis est quod sit aptum ducere, siue naturaliter, siue ex aliqua institutio- ne; vnde si hæc institutio non cognoscatur, in rei significatæ cognitionem ducere nequaquam signum illud institutū poterit.

Probatur quarto ratione alia salis fundamentali in hac de qua agimus materia, quia Sacramentum vt ex infra dicendis constabit, materia, & forma coalescit, ita tamen quod forma materiam determinet, vt in omnibus etiã alijs ex materia, & forma compositis, contingit; sed Sacramenti forma, materiam nõ determinat, nisi ratione significationis; ergò Sacramentum constituitur per formã in ratione significationis. Minor õiaino certa videtur; in Sacramento nãq; quædam moralis compositio reperitur ex materia, & forma instar compositionis naturalis, in qua forma mate-
riam

teriam determinet . Minor probatur quia licet forma Sacramenti sit etiam gratiæ causatiua , hæc tamen ratio potius effectum respicit nempe gratiam, quam materiam, & secundum rationem significationis materiam determinat vt potius hunc effectum quam illum respiciat, vt videre est in forma Baptismi- Ego te baptizo , &c. determinat ablutionem, quæ est Sacramenti Baptismi materia ad significandum , & etiam causandum interiorem animæ ab lutionem , ergo vniuersaliter verum est, quod forma Sacramenti materiam determinat ad esse in genere signi.

Probatur quinto, quia valdè connaturale est homini, vt percorporalia, & sensibilia ad inuisibilia, & spiritualia assurgat , ergo valdè conueniens fuit quod à Christo Domino instituerentur Sacramenta tanquam signa sensibilia per quæ duceretur homo ad insensibilium , & spiritualium cognitionem . Tum quia cum Ecclesia sit fidelium congregatio conueniens valdè fuit, quod fideles ab infidelibus

secernerentur per aliqua signa sensibilia , hæc autem sunt Sacramenta; ergo, &c. Tum etiam quia sicut nostra redemptio fuit per Crucem sensibilibus, conueniens valdè fuit quod quædam sensibiles cæremoniæ instituerentur, quibus nostrum recognoscere-mus Redemptorem . Solum vnum notes hic velim, quod quando dicimus Sacramentum esse signum rei sacræ non propterea volumus Sacramentum non esse sacrum, cum reuera sacrum sit, sed volumus, & quod sit signum sacrû & quod rem sacram signet , vadè *ly* sacrum accipitur, & transitiuè, & intransitiuè, intransitiuè quatenus, & de ipso dicitur Sacramento; transitiuè quatenus rem sacram signat, & sicut sanum dicitur de animali, vrina, & medicina; ita quod de animali dicatur formaliter, de medicina effectiuè, & de vrina significatiuè; ita ratio sacri, dicitur de Sacramento formaliter quia in se sacrum est, effectiuè quia rem sacram efficit, & significatiuè, quia illam significat, &c. Sed soluamus argumen-

ra quæ contrà stabilitam conclusionem fieri possunt.

Primum argumentum: signum formaliter est ens rationis; sed Sacramentum non est ens rationis; ergo Sacramentum non est signum. Maior est communis sensus Thomistarum, ut videre est apud Nugnez. hic ar. 1. & 2. cum enim Sacramentum non sit signum naturale, sed ad placitum, & signum ad placitum sit ens rationis, sequitur quod signum de quo loquimur ratione significationis, quæ à solo est intellectu sit ens rationis. Minor probatur quia ens rationis est illud, quod habet esse tantum obiectiuè in intellectu, cum sit quid fictum ab eodem intellectu; atqui Sacramenta sunt realiter in natura rerù existentia independenter ab intellectu; ergo.

Nec valet dicere quod sacramentum sit ens rationis ratione præcisæ significationis, tamen ratione substrati, seu ratione materialis sit ens reale. Nam cõtra est, quia cum denominatio, & rei natura magis à forma, quam à materia desumatur, sequitur quod

Sacramentum absolutè, & formaliter dici deberet ens fictum, seu rationis.

Respondet P. Suarez hic sect. 3. quod ratio signi ad placitum non est ens rationis, sed realis denominatio desumpta ab actu practici intellectus ipsum signum instituentis quæ realis denominatio quia extrinseca est nihil intrinsecum ponit in re denominata, sed relinquit rem denominatam moraliter, & modo humano ad significandum deputatam, & aptam ad excitandum intellectum, ut in rem aliam descendat: huiusmodi namquè denominationes in memoria manentes multum conferunt ad excitandum intellectum, ut patet in gradu doctoratus, in iurisdictione &c.

Sed hæc solutio nisi aliud addatur videtur non posse sustineri: sacramentum namquè Eucharistiæ est verum, & proprium signum, & tamen non est dicendum quod sit dumtaxat realis denominatio extrinseca desumpta ab actu practico intellectus Christi tale sacramentum instituentis, quod idem dicendum est de alijs
sacra-

Sacramentis cum enim denominationes extrinsecæ nihil reale ponant in subiecto denominato, non possunt vnum quid reale constituere, physicè assumptibile ad causandam gratiam physicè, vt est probabilior, & communior Thomistarum sententia: tum etiam quia dato, & non concessio quod sacramenta essent dumtaxat causæ morales gratiæ, adhuc sufficiens ratio sacramenti prout est realiter rei sacræ signum non videtur saluari posse per solam extrinsecam denominationem, quod sic ostendo; quia denominatio extrinseca manere non potest forma transacta denominante, cum enim denominatio siue intrinseca, siue extrinseca sit in genere causæ formalis, & implicet quod causa formalis tribuat suos effectus, siue primarij, siue secundarij sint si ipsa non existat, sequitur quod denominatio extrinseca manere non possit destructa forma denominante; Atqui actus ille practicus intellectus Christi Domini quo sacramenta instituit non amplius in natura rerum existit; ergo

non potest sacramentis extrinsecam tribuere denominationem per quam in genere signi ponantur. Nec valet dicere quod maneant in memoria, nam ratio sacramenti constitutiuam in genere signi esse nequit extrinseca denominatio in memoria existens, sed debet esse aliquid realiter ipsum sacramentum in tali genere componens: nec duo illa quæ adducit Suarez exempla illi profunt; Ratio namque doctoratus, & iurisdictionis non sunt dumtaxat denominationes desumptæ ab actibus collationis doctoratus, & iurisdictionis, sed quid reale intrinsecum, vt postea dicemus.

Respondet Nugnus hic art. 1. concedendo sacramentum prout est signum esse ens rationis, negat tamen definitionem entis rationis, quod sit illud quod habet tantum esse obiectiuè in intellectu, quod patet in priuationibus, negationibus, & terminis, qui postquam semel impositi sunt ad significandum dicuntur esse antè intellectus operationem.

Sed hæc etiam solutio rei-
cienda est, cum reiciat com-
muniem entis rationis defini-
tionem à Philosophis omni-
bus traditam, & velit nega-
tiones, & priuationes esse en-
tia rationis.

Respondent alij, quod licet
signum ad placitum connotet
ens rationis, non tamen est
ens rationis, nec Sacramen-
tum nullo modo ens rationis
dici potest, quam solutionem
fundant in illo communi di-
cto D. Augustini. *Omne si-
gnum est res aliqua, quod n.
nulla res est nihil est*: solent
autem communiter hanc so-
lutionem sic explicare, quia
sacramentum res quædam ar-
tificiofa est, sicut etiam est
omne signum ad placitum,
res autem artificiosa non sup-
ponit pro formali, sed pro ma-
teriali significato; statua nãq;
verbigratia supponit pro æ-
re, aut lapide connotando fi-
guram, & terminus vocalis
supponit pro voce connotan-
do significationem; ita Sacra-
mētum, verbigratia Baptismus
supponit pro ablutione exte-
riori instituta ad significandū
interiorem animæ ablutionē:

similiter signum ad placitum
supponit pro re instituta ad
significandum, seū supponit
pro re connotando significa-
tionem, quæ est ens rationis,
& sic sicut album non est al-
bedo, sic signum non est si-
gnificatio, seū non est ens ra-
tionis, abstracta namque de
concretis non prædicantur.

Sed hæc etiam solutio plu-
ra continet falsa: primò nam-
que falsum est, quod tam Sa-
cramentum, quam signum ad
placitum cum sint res artifi-
ciosæ supponant pro materia-
li, & connotent suum formale,
imò ex hoc quod signum ad
placitum res artificiosa est, si-
cut & Sacramentum, sequitur
oppositum, nimirū quod utrū-
que in recto importetur in hoc
enim discriminantur in omni-
um sententiam Philosopho-
rum concreta accidentalialia,
ab artificiatas, quod concreta
importat subiectum in recto, &
formam in obliquo, propte-
reà cum definiuntur ponitur
subiectum in recto, & gradus
superior in obliquo, ac vero
artefacta vtrumque in recto
important, vel vt alij volunt
concreta accidentalialia impor-
tant

tant formam in recto, & subiectum in obliquo, & concreta substantialia utrumque important in recto, unde Arist. in 3. Physicorum cap. 7. comparat compositum ex materia, & forma rebus artefactis, patet autem quod compositum ex materia, & forma formaliter, & in recto tam materiam, quam formam importat; unde patet quod ex mente Philosophi artefacta materiam, & formam in recto important; cum autem omnia signum ad placitum, & omne Sacramentum cum sit signum ad placitum sit quoddam artefactum, & materiam & formam in recto importent, & per consequens falsum est, quod signum supponat pro materia, & connotet formam. Secundò falsum etiam est, quod dicitur, quod licet Sacramenta ratione significationis sint entia rationis, tamen ens rationis non potest de illis prædicari, quia abstracta non prædicantur de concretis, licet enim verum sit, quod abstracta de concretis præsertim artificialibus non prædicentur, ens tamen rationis non

est abstractum, nec concretum, sed est transcendens, & ut tale tam de concretis, quam de abstractis prædicatur, unde valet dicere genus est ens rationis, & genericitas est ens rationis, unde si semel verum est Sacramentum esse signum, & hoc est ens rationis, valebit dicere signum est ens rationis, Sacramentum est ens rationis, quod est contra allegatum D. Augustini testimonium. His ergo relictis solutionibus.

Respondeo negando maiorem, nimirum quod signum sit ens rationis: ad probationem quod signum ad placitum sit ens rationis dico, hoc falsum esse; pro quo nota quod signum, verbigratia ablutio Sacramentalis, quæ est signum, abluitionis interioris animæ, duo dicit, materiale, & formale, materiale est ipsa ablutio, formale est signare, quantum est de se ratione deputationis à Christo instituyente abluitionem animæ interiorem; dixi quantum est de se, quia ut supra ex D. Chrysostomo dicebamus non est de ratione signi, ut de facto, & statim ac vide-

videtur ducat in rei significatæ cognitionem, sed quod aptum natum sit ducere ex sui institutione quando hæc institutio dignoscitur. Modò, quod signum sit ens reale ratione sui materialis nullum est apud scribentes dubium: quod autem sit etiam ens reale ratione sui formalis, seu deputationis ad signandum probo primò; quia sicut in Petro est reale esse genitum ab actione generantis præterita à qua habuit Petrus esse realiter genitum, & sicut in Paulo est ens reale, seu est realiter iudex à Regis, vel Pontificis electione, & tamen electionis actus iam præterijt, ita signum, v. gratia ablutio est realiter signum ex vera, & reali deputatione facta à Christo Domino ad signandam animæ interiorem ablutionem, tamdiù enim omnia ista realiter manere censentur quandiù actus illi non reuocantur. Vndè non est ista deputationis ratio ens, vel denominatio extrinseca ab actu præterito non reuocato, etiamsi hæc etiam reperiatur, sed est ipsa entitas rei, verbi gratia ablutio

vt substat instituentis deputationi, seu quod in idem redit est ipsa realis, & indistincta entitas ablutionis vt terminat actum voluntatis instituentis, & deputantis, quod si benè intelligatur omnia soluta manent.

Secundum argumentum est. Sacramentum est in genere actionis, seu causæ; ergo non est in genere signi; antecedens est certum; Sacramentum namque baptismi v. gratia est essentialiter ablutio, ergo est essentialiter actio. Consequentia probatur; quia vna, & eadem res non potest essentialiter sub duobus esse generibus non subordinatis, vt sub genere animalis, & sub genere plantæ, benè tamen sub duobus, & pluribus generibus subordinatis, vt sub genere animalis, viuentis, sensibilis, &c. patet autem quod genus signi & genus actionis non sunt genera subordinata, sed repugnantia, genus enim actionis importat relationem causæ ad effectum, genus verò signi ad placitum de quo loquimur nullo modo talem affert relationem, imò il-

lam

lam positiuè excludit, alioqui non signum ad placitum esset, sed naturale; ergo &c.

Nec valet dicere quod Sacramentum vtrumque afferat genus, & signi, & actionis, sed hoc secundum habet rationem materiæ respectu primi, quod formæ rationem obtinet. Nam cōtrà hoc est; quia ablutio vt actio est, est aliquid sacrum, est actio religiosa; ergo ablutio vt Sacramentum est formaliter actio. Tum quia vnum Sacramentum essentialiter differt ab alio in ratione causæ, non signi .v. gratia Baptismus differt à Pœnitentia in hoc, quod Baptismus causat gratiam regeneratiuam, Pœnitentia verò sanatiuam; ergo, &c.

Respondetur sustinendo solutionem traditam; Christus enim Dominus assumpsit ablutionem, & illam instituit Sacramentum ordinando illam ad gratiam regeneratiuam significandam, quam etiam causat, & sic Sacramentum vtrumque affert genus, & actionis, & signi; signi quia aliquam signat sanctitatem, causæ quia illam causat

vt infrà explicabitur. Nec placet, quod aliqui dicunt, quod esse collatiuum gratiæ essentialiter Sacramento conuenit ratione materialis, verbigratia actionis, esse verò significatiuum conuenit ratione formalis, materiale autem formali præsupponitur, prius enim est Deum ablutionem instituisse ad gratiam regeneratiuam conferendam, deinde imposuit illam ad internam animæ ablutionem significandam; & licet vtrumquè sit Sacramento essentialia, vnū tamè non contrahit aliud, sed vnum materialiter se habet, & præsuppositiuè ad aliud: non inquam hoc placet, quia esse causatiuum gratiæ non est de essentia Sacramenti, nec conuenit antè rationem signi vt quæst. 3. dicam.

Tertium argumentum est, quia si Sacramentum esset in genere signi, vel esset demonstratiuum, vel commemoratiuum, vel prognosticum; nullum horum est; ergo non est in genere signi. Maior ab omnibus Theologis admittitur cum D. Tho. in 4. dist. 1. quæst. 1. ar. 1. q. 1. ad 4. Minor probatur

tur; nam detur casus quod quis gratiam ante Sacramenti susceptionem non habuerit, tunc Sacramentum non erit signum rememoratium; similiter ex eo quod obicem habeat de facto gratiam non causet, signum non erit demonstratiuum, & si illam habiturus non sit, signum prognosticum non erit; ergo, &c.

Respondetur concedendo maiorem; tria enim illa signa Sacramento conueniunt, & vnum integrant signum; & deinde neganda est minor; ad probationem dico, quod Sacramentum non est signum rememoratium gratiæ, sed passionis Christi à qua suam recipiunt virtutem Sacramenta, nec est respectu gratiæ signum prognosticum, sed respectu gloriæ vt canit Ecclesia de Sacramento Eucharistiæ. *O Sacrum Conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur &c.* respectu ergo gratiæ est Sacramentum demonstratiuum dumtaxat signum, non est autem de ratione signi demonstratiui, vt supra dicebatur, quod actu gratiam causet, sed solum, quod illam causet si

obex non ponatur; igitur de essentia Sacramenti non est respicere gratiam vt datam, sed vt dandam si obex non ponatur. Dicitur etiam potest quod Sacramentum secundum quod signum, respicit solam gratiam vt possibiliter dandam; quando autem illam de facto dat actu signat illam, non per nouam significationis additionem sed per eandem, ita quod sufficit solius connotati positio, ad hoc vt actu illam signet, sicuti ad hoc vt intelligatur nouus actus liber in Deo, non debet poni noua entitas actus, sed sufficit noua connotatio; & sicut ad hoc vt species Angelica, quæ prius non repræsentabat aliquod indiuiduum, vt illud repræsentet non requiritur noua virtutis repræsentatiuæ additio, sed sufficit noua indiuidui connotatio, ita ad hoc vt Sacramentum, quod secundum se solum signat gratiam vt possibilem, vt illam datam signet noua signi additio non requiritur, sed sufficit gratiæ positæ connotatio &c.

Quartum argumentum est; quia Sacramentum essentialiter

ter constat rebus, & verbis tamquam materia, & forma, ut tradit Concilium Florentinum in Decreto super unione Armenorum; sed res, & verba sunt in genere signi, sed vel substantiæ, vel actionis, vel qualitatis, &c. ergo, &c.

Respondetur quod cum Sacramentum sit quoddam artificiale aggregatū ex pluribus, & nō quoddam ens, per se diuersas habet compositiones: prima est ex materia, & forma, seu ex rebus, & verbis: secunda est ex rebus, & verbis in vnum compositis, & rationem materiæ habentibus, & significatione rationem formæ habente, & sic Sacramentum inadequatè, & pro substrato constat rebus, & verbis; adequatè constat rebus, & verbis tamquam materia adequata, & significatione tamquam ex forma adequata; quando ergo Concilia dicunt Sacramenta constare rebus, & verbis, loquuntur de Sacramentis secundum rationem inadequatam.

Quintum argumentum: Potest Deus instituere Sacra-

mentum quod non sit in genere signi; ergo non est de essentia Sacramenti quod sit in genere signi: consequentia tenet si enim semel dari potest Sacramentum, quod non sit in genere signi, patenter sequitur Sacramentum non esse in genere signi; cum nulla res possit à suo genere extrahi. Antecedens probatur, quia potest Deus instituere aliquod sensibile quod sit gratiæ causatiuum, & eandem gratiam non signet; sed tunc erit verum Sacramentum; ergo de ratione Sacramenti non est quod sit signum, & sic hoc modo potest à Deo institui. Maior videtur certa, nulla namque repugnantia videtur, quod Deus eleuet lapidem ad causandam gratiam, & tamen non deputet illum ad illam signandam. Minor probatur, quia illud sensibile institutum à Deo ad gratiam causandam esset invisibilis gratiæ visibilis forma, & per consequens Sacramentum. Tum quia id videtur docere D. Tho. hic ar. primo in corpore quatenus dicit, quod Sacramentum habet ordinem ad

sancti tatem, vel causæ, vel signi, ubi videtur D. Tho. vel le quod ad rationem Sacramenti sufficiat vna, vel altera ratio, vel causæ, vel signi.

Respondetur negando antecedens: ad probationem conceditur quod Deus possit instituire aliquod sensibile, quod sit causatiuum gratiæ, non tamen erit Sacramentum, erit quidem inuisibilis gratiæ visibilis forma, non tamen Sacramentum, quia ad

rationem Sacramenti non sufficit quod quid sit gratiæ causatiuum, sed etiam requiritur quod sit significatiuum, vnde illud visibile gratiæ causatiuum, gratiam ex opere operato causaret, non tamen Sacramentum esset. Nec D. Tho. tenet illam sententiam, vt ex toto patet articulo, sed ibi loquitur de Sacramento in latissima significatione; vt consideranti patebit.

QVAESTIO II.

An de ratione Sacramenti ut sic, sit esse signum sensibile.

Non quærimus rationem genericam Sacramentorum iam institutorum; sed rationem genericam magis vniuersalem præscindentem à Sacramentis iam institutis, & ab illis quæ institui possunt; nam si loquamur de generica ratione Sacramentorum institutorum, omnino certum est, illam esse rationem signi

sensibilis, vt cum D. Tho. hic art. 4. tenent omnes Theologi, quodque et congruentia, & ratio ipsa suadet; congruentia quidem multiplex; prima quam adducit D. Tho. ex D. Dionysio cap. 1. de *Cælesti Hierarchia* ubi dicit: *nequè enim aliter fas erat infirmitat i nostræ lucere diuinum radium, nisi sacrorum varietate*

tate velaminum, quibus ad superiora ferremur, opertum, & his quæ nobis familiaria sunt providentiæ paternæ, naturæ mortalium se se accomodare vestitum, &c. Secunda; quia sicut homines naturali ducti ratione in vnam congregantur Rempublicam, ita conueniebat, quod in vna congregarentur Republica spiritali per signa aliqua visibilia vt habet D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. Tertia; quia cum homo constet parte sensibili, nempe corpore, & insensibili nempe anima, conueniens fuit, vt utroque modo Deum veneretur etiam per signa sensibilia &c. Ita Nazianenus orat: de Sancto Baptismo. Quarta, ad ostensionem diuinæ omnipotentia, quæ potuit curare hominem sensibilem per media sensibilia. Quinta; quia sicut homo superbiendo noluit Deo subijci, ita per humilitatem, qua rebus subijcitur sensibilibus, subijciatur. Vltima congruentia est; quia Sacramentum significat Christum, vt quæstione præcedenti explicuimus, ex diuina, & hu-

mana natura compositum; propterea congruum fuit, quod Sacramenta instituerentur, & secundum se sensibilia, vt Christi naturam significarent humanam, & aliquo modo spiritalia quatenus significatiua sunt gratiæ, vt diuinam signarent naturam.

Ratio etiam multiplex id ipsum soadet. Prima; Sacramenta hæc instituta sunt essentialiter signa humana; ergo essentialiter sunt sensibilia. Antecedens patet ex Concilij Florentini doctrina super vnione Armenorum, quod Sacramenta essentialiter constant rebus, & verbis, quæ nõ possunt non esse sensibilia. Consequentia probatur, quia non potest aliquid esse signum humanum, nisi humano modo signet, sed id quod humano modo signat non potest non esse sensibile; ergo, &c. Maior patet. Minor probatur, cum enim hominis cognitio pro hoc statu à sensibus dependeat, non potest aliquid humano modo signare, nisi humanam inuoluat cognitionem à sensibilibus dependentem &c.

Altera ratio esse potest ; quia si de singulis agamus Sacramentis clarè inspiciemus esse signa sensibilia, Sacramentum namque Baptismi est essentialiter ablutio, corpus sensibilibiter attingens, & animam sanans. Pœnitentia est essentialiter confessio sensibilibis, exterior, & dolorosa; idem patet discurrendo per singula; ergo de essentia Sacramentorum, quæ de facto existunt est, quod sint signa sensibilia.

Sed dices; Character Baptismi, Confirmationis, & Ordinis est Sacramentum, & tamen non est sensibilis. Christus Dominus in Eucharistiæ Sacramento est Sacramentum, & tamen non est ibi sensibilis, seu modo sensibili; cõtritiõ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen est insensibilis; ergo falsum est quod Sacramentum sit quid sensibile.

Nam respondetur, prænotando ex cõmuni Theologorum sententia tria in Sacramentis distingui posse, & debere, nempe res tantum Sacramenti, Sacramentum tan-

tum; & res, & sacramentum simul: res sacramenti tantum est illa, quæ significatur, & non significat, vt gratia, quæ est omninò insensibilis; sacramentum tantum est illud, quod significat, & non significatur, & hoc est ipsa res sensibilis, verbigratia ablutio, confessio, vnctio, &c. res autem, & sacramentum simul, est id quod significatur, & significat, vt character in sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis; Corpus Christi in Eucharistia; contritiõ in Pœnitentiæ sacramento, quæ omnia prout sunt res sacramenti significantur, & sunt insensibilia, prout sunt sacramentum significant, & sunt ratione alterius nempe sacramenti tantum sensibilia: hoc posito dico ad argumentum; sacramentum tantum est sensibile, sacramentum, & res simul est etiam sensibile qua parte est sacramentum, vt explicatum est, & sic totum id, quod sacramenti rationem habet sensibile est: vel etiam dici potest, quod quando dicimus sacramentum est signum sensibile, intelligi debet de sacramento

mento tantum quod propriè, seu absolutè venit nomine sacramenti &c. Ex quibus patet quod si loquamur de ratione generica sacramentorum iam institutorum, est ratio signi sensibilis. Quod modò quærimus est; an ratio generica magis vniuersalis præscindès à sacramentis iam institutis, & ab illis quæ posunt à Deo institui sit ratio signi sensibilis, vel ratio signi vt sic, præscindens à sensibili, & insensibili, quod idem est ac quærere nū Deus possit instituere aliquod sacramentum quod sit quidem signum, non tamen sensibile.

Prima sententia est, quod nullum sacramentum institui potest, quod non sit signum, sensibile, & per consequens non sit assignabilis gradus, vel ratio generica superior rationi signi sensibilis. Ita Suarez hic. Nugnus, & alij satis communiter, & illam tribuunt Angelico Magistro hic 4. articulo, sed immeritò, vt postea videbitur. Rationes huius sententiæ postea adducentur, & soluentur.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. Non implicat per Diuinā potentiam, quod detur aliquod sacramentum quod sit signum, & non sensibile, & per consequens quod detur ratio generica sacramenti abstrahès à sensibili, & insensibili. Ita Henricus 1. de Sacramentis cap. 2. §. 3. Ocham 4. dist. 1. quæst. 1. Aliacensis, Durandus, Isambertus hic, & alij plures. Et certè hæc sententia est plana mens S. Doctoris, qui vt patet toto art. 4. huius quæstionis loquitur solum de Sacramentis iam institutis, quod verissimum est, nec vllam facit mentionem de Sacramentis, quæ per diuinam omnipotentiam institui possunt. Et artic. primo, vbi loquitur de Sacramentis in tota sua latitudine, non descendendo ad Sacramenta iam instituta, solum assignat generalem rationem signi, & non alicuius sensibilitatis, & ex alia parte vult idem Angelicus præceptor, quod ratio signi non solum sufficienter saluetur in rebus spiritualibus, verbigratia in mentali verbo, verum etiam vult quod per prius dicatur
de

de verbo mentali, quam de vocali; audiat lector ipsum præceptorem Angelicum sic loquentem quæstione 4. de veritate ar. 1. ad 7. *Quando effectus habet à causa non solum etiam quod sit, sed quod significet, tunc sicut causa est prius quam effectus in essendo, ita in significando, & ideo verbum interius per prius habet rationem significationis, quam verbum exterius: quia verbum exterius non instituitur ad significandum nisi per interius verbum.*

Respondet Nugnez, quod verbum interius dicitur significare, quia est ratio, quod verbum exterius significet, vel quia est id, quod significat per verbum exterius, vel quia est ratio rei significatæ, non significatio rei.

Sed hæc solutio non solum est falsa, verum etiam contra expressam mentem D. Tho. non enim dicit D. Thomas, quod verbum interius sit ratio significandi in verbo exteriori, sed dicit quod verbum interius per prius habet rationem significationis, quam verbum exterius; tum quia si ve-

ra esset illius auctoris solutio, D. Tho. insolutum relinqueret argumentum, erat enim argumentum tale. Quamvis effectus est posterior tantò magis habet rationem signi, sicut vinum est causa finalis dolij, & ulterius circuli, qui appenditur ad dolum designandū, vnde circulus habet maximè rationem signi, sed verbum quod est in voce est effectus postremus ab intellectu progrediens; ergo ei maximè conuenit ratio signi, quam conceptui mentis, & similiter etiam ratio verbi, quod à manifestatione imponitur; omnino autem quod prius est in corporalibus, quam in spiritualibus non propriè dicitur de Deo, ergo verbum non propriè dicitur de ipso. Hoc est D. Tho. argumētum quod contra se proponit, in quo vt vides intendit probare, quod verbum non propriè dicatur de Deo, quia ratio verbi, seū manifestationis, seū signi prius dicitur de verbo exteriori, & corporali, quā de interiori, & spirituali; quod autem secundum proprium conceptum prius dicitur de rebus

rebus corporalibus, quam de spiritualibus, non propriè dicitur de Deo. Si autem vera esset Nugnez solutio, ratio manifestationis, seù signi per prius diceretur de verbo exteriori, quam de interiori, imò verbum interius nullo modo esset per se manifestatiuum, seù significatiuum, & sic D. Thomæ solutio diceret idem, quod argumentum dicebat. Est etiã falsa illa solutio, quia ex illa sequitur, vt ex modò dictis colligitur, quod in Diuinis verbi ratio nõ daretur, cum verbum de se rationem manifestatiui non habeat, quod est contra sensum totius Ecclesiæ vt patet.

Prima ratio pro nostra conclusione ex citato D. Thomæ testimonio deducta ad sequentem formam reuocatur. De essentia Sacramenti (sunt verba D. Tho. art. 2. in fine corporis) secundum quod nunc de Sacramentis loquimur est quod sit signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines; sed ratio signi rei sacræ sanctificantis homines reperiri potest in re spirituali, ergo ratio Sacra-

menti reperiri potest in re spirituali; ergo non implicat, quod Deus de potentia absoluta instituat Sacramentum quod sit signum spirituale, & non sensibile. Hæc vltima consequentia per se nota est, si enim ratio Sacramenti in re spirituali reperiri potest, nulla implicabit contradictio quominus à Deo de potentia absoluta institui possit Sacramentum, quod sit signum spirituale. Maior est D. Thomæ. Minor probatur primò auctoritate D. Chrysostomi hom. 83. in Matth. vbi dicit, quod idzò Deus nobis dedit intelligibila sub sensibilibus, quia, constamus corpore, & anima, si verò essemus incorporei incorporea etiam dedisset dona: vbi per dona intelliguntur Sacramenta; ergo ex mente Chrysostomi ratio Sacramenti præcisè sumpta à signo corporeo, & incorporeo abstrahit, alioqui nõ benè diceret Chrysostomus, quod si essemus incorporei nobis Sacramenta dedisset incorporea, si enim de essentia Sacramenti vt sic esset, quod esset signum sensibile, etiam si homo incorporeus

reus esset, Sacramentum insensibile, concedere nequiret; ex quo Chrysostomi testimonio sic possumus ratione illam minorem probare. Ratio sensibilitatis in signo solum requiritur modò ex subiecti conditione, quia scilicet subiectum est corporeum, & non potest deduci in spiritualium cognitionem nisi per res corporeas, non autem requiritur ex parte signi quatenus signum est, aliàs nullum esset signum nisi corporeum, quod est falsum, sed nulla est implicancia quominus Deus instituat aliquod signum spirituale, quod significet creaturæ spirituali gratiam sanctificantem, quodque signum debito modo applicatum gratiam producat sanctificatam; ergo &c. Quænam enim implicancia est, quod Deus non potuerit instituire Sacramentum aliquod, quod signum esset spirituale pro sanctificatione Angelorum Apostatarum, quodque illis debitè applicatum gratiam in illis sanctificantem produceret? Cum enim Angelus incorporeus sit per incorporea signa sanctifi-

cari deberet, maximè quia tam ad significandum, quam ad cauandum spiritualement effectum, qualis est gratia, magis est proportionatum signum insensibile, quam sensibile ut patet. Adde quod sicut Deus externam, & sensibilem hominis locutionem eleuauit ad significandam, & cauandam gratiam, ipsum Sacramentum constituendo, ita negari non potest quin possit Deus internam Angeli locutionem eleuare ad significandam, & cauandam in Angelis gratiam sanctificantem.

Nec valet dicere hoc fieri non posse etiam de potentia Dei absoluta, quia insensibilia nullo modo valent in alterius rei cognitionem inducere, quod est de ratione Sacramenti quatenus signum est, de ratione namque signi est, quod sit quid notius, & in alterius ignoti cognitionem ducat, res autem spiritualis non potest esse sic, cum omnes æquæ ignotæ sint. Nam cõtra est, quia etiam respectu Angelorum vna res spiritualis notior alia esse potest, & ex vna notiori possunt Angeli in
alte-

alterius ignotæ, vel minus notæ cognitionem venire, sicut etiam homo in ordine sensibilium potest ex vna re sensibili magis nota venire in cognitionem alterius minus notæ, & vna res sensibilis potest esse signum alterius, vt circulus extra tabernam positus, est signum vini, quod est sensibile, & in taberna reconditum, ita &c.

Secunda ratio. De facto Character Baptismalis, & alij duo nempe Confirmationis, & Ordinis sunt Sacramentum & res Sacramenti, quia & significantur, & significant, vt supra dicebamus, & admittunt oppositum nostræ conclusionis defendentes; ergo per Diuinam potentiã potest etiam esse Sacramentum tantum. Antecedens est certum consequentia probatur. Nulla est implicancia quominus Deus infundat Sacerdoti speciem clare rapræsentantem proprium characterem, & quod constituat illum in signum spirituale, & insensibile significans, & causans gratiam Sacramentalem, & sanctificantem; ergo &c.

Nec valet dicere, quod Sacramentum non potest recipi in eo qui ministrat, sed in eo qui recipit, & sanctificatur; sed character recipitur in eodem Sacerdote; ergo &c. Nam contra est primo, quia posset Deus instituere characterem, qui esset Sacramentum significans, & causans gratiam respectu ipsius Sacerdotis, & sic ipse Sacerdos clare cognoscens proprium characterem veniret in cognitionem gratiæ quam posset producere debite vsurpatus, quod sufficit pro nostro intento. Secundo quia posset Deus conferre tali characteri virtutem vt produceret aliquod accidens spirituale in alio, quod significaret, & causaret gratiam ex opere operato; quod accidens esset Sacramentum, quod etiam dici potest de ipsomet Sacerdote, de oratione illius, de meditatione, & de actibus internis eiusdem, nimirum quod possit conferre vim producenti aliquod accidens spirituale media oratione, per quod gratia, & significetur, & causetur; quod accidens erit Sa-

cramentum, sicut & ipsa oratio respectu Sacerdotis Sacramentum esset si à Deo eleuaretur ad significandum, & causandum gratiam in eodem Sacerdote, vt de charactere dicebatur. Sed soluimus argumenta in contrarium.

Primum argumentum defumunt ex auctoritate Sanct. PP. qui vnanimiter docent Sacramenta signa esse visibilia, vt D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. & de Catechizandis rudibus cap. 16. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. & alibi D. Dyonisius de Cælesti Hierarchia cap. 1. & D. Tho. hic art. 4. Vndè Magister 4. dist. 1. definiens Sacramentum dicit: *Sacramentū est inuisibilis gratiæ visibilis forma.*

Respondetur præcitatos PP. intelligi debere de Sacramentis hætenus institutis quæ omnia vt & nos fatemur signa sunt sensibilia. Nec patres quæstionem metaphysicam à nobis propositam agitarunt, vt videre est apud illos. Nec D. Thomas contra nos est art. illo 4. vt ex dictis pro nostra conclusione liquet.

Secundum argumentum est, quia cui non conuenit definitio, nec definitum conuenire potest, sed ratio signi rebus spiritualibus conuenire non potest; ergo nec Sacramentum quod per signum definitur. Maior est certa ex regulis definitionis vt tradunt dialectici. Minor probatur, quia signum vt tradit D. August. secundo de doctrina Christiana cap. 1. est illud, *quod præter speciem, quàm ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire*, sed hæc signi definitio rebus spiritualibus nequit conuenire vt ex se patet; ergo, &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem dico illam signi definitionem non esse signi in communi, sed signi humani dumtaxat, homo enim naturaliter à sensibilibus incipit, & ad insensibilia ascendit. Propterea idem Augustinus 10. de Ciuitate Sacramentum definiens in communi non dixit esse signum sensibile, sed solummodo, *esse signum rei sacræ.* Vndè si.

dè signum in communi defini-
niri potest, quod sit illud, quod
præter speciem, quàm potentia
ingerit cognoscitivæ in alterius
rei cognitionem venire facit.

Tertium argumentum est,
quia Sacramentum absolutè,
& simpliciter loquendo debet
esse signum simpliciter, sed
res spiritualis nequit esse si-
gnum simpliciter; ergò res
spiritualis nequit esse Sacra-
mentum. Maior videtur cer-
ta. Minor probatur, quia il-
lud est signum simpliciter,
quod pro se ipsum, & non ra-
tione alterius significat, sed

res spiritualis non potest no-
bis significare ratione sui, sed
ratione alterius, res namque
spiritualis per se nobis inno-
tescere nequit; ergò &c.

Respondetur concedendo
maiores, & negando mino-
rem ad probationem dico,
quod licet de facto res spiri-
tuales nobis non innotescant
per se, sed per sensibilia, ta-
men, ut probauimus, nulla
est implicancia quominus res
ipsæ spirituales, saltem per di-
uinam potentiam, non possint
per se, & simpliciter nobis
innotescere &c.

QVAESTIO III:

*Utrum signum Sacramentale debeat esse
practicum, seu causatum
Sanctitatis.*

Conueniunt omnes The-
ologi, signum Sacra-
mentale non esse naturale,
sed omninò esse debere ad
placitum, cuius à priori ratio
est, quia res nulla naturalis

potest ex se, & naturali sua
conditione esse sanctitatis si-
gnum, inter namque signum,
& rem signatam debet esse
conuenientia veluti causæ, &
effectus, res autem purè natu-

ralis, & gratia non sic se habere possunt: hinc fit vt licet martyrism, & virtutum actus in gratia exerciti, & gratiam augeant, & quid sensibile sint non tamen Sacramenta sunt, quia vt sic exerciti non ad placitum gratiam signant, sed modò aliquo naturaliter, sicut causa naturaliter suum signat effectum, & licet prædicta non sint causa physica, sunt tamen causa moralis dispositiua, vt ex alibi dictis liquet.

Conueniunt etiam Theologi communiter quod signum Sacramentale ita debeat ex institutione, seu ad placitum significare, vt quamdiù durat religio illius cuius est Sacramentum tamdiù duret eius significatio, & per consequens Sacramentum esse debet signum stabile, & perseuerans, cuius ratio est, quia Religionis cæremoniæ tamdiù durare debent quamdiù, & ipsa Religio durat, conueniens namque est quod Religionis ritus Religionis cuius sunt ritus conformentur; ex cuius conditionis defectu verba Christi ad Magdalenam Luc.

7. *Remittuntur tibi peccata tua*; non fuerunt Sacramentum; similiter status ille Christi Io. 20. quo in Apostolos insufflauit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remisistis peccata remittuntur eis*; Sacramentum non fuerit; nam insufflatio Episcopi in Sacerdotum consecratione ad essentiam sacra ordinationis non pertinet; sed ad aliquam eius solemnitatem, vt suo loco dicitur.

Conueniunt demum quod signum Sacramentale aliquã debeat habere pro portionẽ, & analogiam cum re cuius est signum, vt supra notauimus; puto tamen hanc analogiam, vel proportionem non esse de essentia Sacramenti secundum suam rationem genericam; poterat namque Deus rem aliquam naturalem tali analogia carentem instituire in signum practicum, gratiæ sanctificantis, sicut vsus est luto ad visum cæco nato restituendum. Tum quia significatio in Sacramento non est naturalis, sed ex mera Dei instituentis voluntate; ergò potest Deus pro
sua

ſua libertate aſſumere aliquid quod rali careat analogia , &c. his prænotatis quærimus an de eſſentia Sacramenti ſit importare cauſalitatẽ , ſeũ an debeat Sacramentum ſecundum ſuam eſſentiam eſſe gratiæ vel ſanctitatis cauſatiuum : in hac re tres reperio ſententias :

Prima ſententia eſt , quod de eſſentia Sacramenti vt ſic , ſit quod gratiæ ſit cauſatiuũ , ita vt non ſolum ſit de Sacramenti eſſentia gratiam ſignificare , verũ etiam quantum eſt de ſe illam cauſare . Hanc ſententiam defendunt Altiſid. 4. p. ſummæ quæſt. 1. D. Bonæ. 4. diſt. 1. art. 1. quæſt. 3. 4. & 5. Albertus artic. 7. Durandus , & Gab. quæſt. 1. Palud. quæſt. 2. & alij quorum fundamenta poſtea referemus , & ſoluemus .

Secunda ſententia eſt , quod de ratione ſacramenti ſit , quod ſit cauſatiuum ſanctificationis abſtrahendo à ſanctificatione ſpirituali , & legali , ſeũ , quod idem eſt , externa , & figuratiua . Hanc defendunt Ledefma 1. p. 4. quæſt. 4. Cano , de ſacramentis p. 5.

in ſolut. 1. argum. &c. Belarm de ſacr. c. 10. Suarez hic ſect. 2. & alij quorum etiam fundamenta poſtea ſoluemus .

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione ; de ratione ſacramenti non eſt ſanctitatis , ſiue internæ , ſiue externæ cauſalitas , ſed ſolum quod ſit ſignum ſanctitatis . Hæc eſt plana ſancti Doctõris mens hic quæſt. 60. art. 1. in ſolutione ad primum vbi habet : *Et ideò non oportet , quod Sacramentum ſemper importet cauſalitatẽ .* D. Thomam ſequuntur communiter Thomiſtæ præſertim Soto art. 1. & 2. Lopez 2. p. inſtructorij Alan. 1. p. 1. de ſacramentis cap. 2. & 3. Probatũ concluſio ratione , prima ſit .

Sacramenta legis naturæ , ſcriptæ , & nouæ vniuocantur ; ergò de ratione , vel eſſentia ſacramenti vt ſic non eſt cauſalitas ſanctitatis , ſed ſolum quod ſit ſignum ſanctitatis ; Antecedens non ſolum eſt D. Auguſtini lib. 19. contra Fauſtum ; vbi per multa capita probat ſacramenta veteris legis fuiſſe verè , & propriè ſacramenta , & ſolum differre à noſtris ,

nostris, penes magis, vel minus perfecta, & 10. de Ciuitate cap. 5. definiens sacramentum dicit esse *signum rei sacrae* vbi clarè colligitur omnia sacramenta vniocari, cum talis definitio sacramentis omnibus conueniat; sed etiam vt testatur Nugnus est communis sententia ab omnibus recepta. Consequentia patet, quia sacramenta veteris legis non erant sanctitatis causatiua; ergò si omnia sacramenta vniocantur non debet de illorum ratione esse, quod sint sanctitatis causatiua, sed significatiua, & quod sanctitatem causent non est de illorum conceptu, sed est quid extrinsecus adueniens, vt ex dicendis patebit.

Respondent aliqui concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia inquirunt tam nostra quam antiqua Sacramenta in causalitate conueniunt, differunt solum, quod nostra sunt sanctitatis causatiua ex opere operato, at antiqua ex opere operantis dumtaxat.

Sed hæc solutio nullatenus potest sustineri, quia si

qua sanctitas est de ratione Sacramenti, illa debet esse ex opere operato; sed causalitas sanctitatis ex opere operantis non est sic; ergò, &c. Antecedens probatur, quia si qua sanctitas est de ratione Sacramenti illa debet esse ex eius institutione; ergò ex opere operato, sanctitas namque ex opere operato, & ex Sacramenti institutione in idem recidunt, patet autem quod causalitas ex opere operanti non ex institutione, sed quod ammodò ex natura rei, vt supra diximus de martyrio, & actibus meritorijs.

Respondent alij cum Alex. & Bon. vbi supra negando antecedens, volunt enim, quod Sacramenta veteris legis non essent verè, & propriè Sacramenta, sed lata quadam significatione, propterea cum nostris non vniocantur, &c.

Sed hæc etiam solutio ex dictis falsitatis conuincitur. Tum quia sinè Sacramentis nulla dari potest vera Religio, vt ex D. Augustino supra colligitur; sed in veteri lege erat vera Ecclesia, veraque Religio;

gio; ergò etiam vera, & propria Sacramenta esse debebant.

Sed dices Sacramenta legis veteris erant figura nostrorum Sacramentorum; ergò non possunt vniuocari. Respondetur ex dictis quæstione prima, quod omnino stare potest quod signum, & res signata eiusdem sint speciei, vt cum signum habet sui significatus similitudinem; panis namque extra tabernam positus pro signo panis vendibilis, cum suo signato vniuocatur; ita pariter sacramenta antiquæ legis noua signabât, ita quod sint signa habentia sui significatus similitudinem & per consequens cum suo signato vniuocantur. Sacramenta ergò legis antiquæ, & erant signa, & imagines nostrorum; & cum ipsis vniuocantur, vt filius est patris imago, & cum ipso vniuocatur.

Respondent alij tertio, rationem causatiuam sanctitatis esse de essentia Sacramenti, non per modum generis, quia ratio generica est ratio signi, sed per modum differentie essentialis, ita quod ex

generica ratione signi, & ex specifica ratione causalitatis sanctitatis, siuè intrinsecè, siuè extrinsecè, siuè legalis, siuè realis intrinsecè, integra Sacramenti ratio coalescat.

Sed neque hæc solutio potest sustineri, quia in omnium Philosophorum sententia differentia contrahens genus ad aliquam speciem, siuè sub alteram, siuè infimam debet in eodè poni prædicamêto in quo ipsi ponitur genus, quod contrahit; sed ratio signi, & ratio causalitatis, quæ est illius differentia, non sunt huiusmodi, nempè non ponuntur in eodè vt patet prædicamêto; ergo &c. Maior est certa; minor probatur, quia ratio signi est in genere relationis mensuræ, & mensurabilis, quæ in prædicamêto ponitur relationis; vt ratio causalitatis in prædicamêto actionis; ergo &c.

Respondet vltimò P. Suarez, quod ratio causalitatis non est differentia essentialis contrahens rationem signi, seù conuenit Sacramento essentialiter, ratione illius quod de na-

de naturali Sacramentum dicit, verbigratia in Sacramento Baptismi exterior corporis ablutio, quæ est materiale Sacramenti Baptismi, cui postea aduenit ratio signi, prius ordine rationis fuit à Deo instituta ad causandam gratiam regeneratiuam, postea ad illam significandam, & sic, inquit Suarez de Sacramenti essentia est vtrumque, & gratiam vel sanctitatem causare, & significare, primum conuenit Sacramenti ratione materialis, seù substrati, secundum ratione formalis nempe significationis.

Sed hæc solutio etiam si valde communis, & plausibilis sit, tamen nullo modo placet, nec sine aliquo absurdo valet sustineri, ex illa namque patenter sequitur, quod gratia non causatur à Sacramentis, sed à rebus materialibus antequam ratio adueniat Sacramenti; probatur hoc, quia nondum ablutio intelligitur Sacramentum quamdiù ratio significationis gratiæ regenerantis adueniat, hoc enim est de essentia Sacramenti vt ex eius patet definitione, sed

ablutio pro illo priori non intelligitur habere rationem significationis gratiæ regenerantis; ergò pro illo priori ablutio non intelligitur habere rationem Sacramenti, & tamen est gratiæ per Suarium, causatiua; ergò ratio causatiua gratiæ rebus conueniret materialibus antequam in Sacramenta instituantur, imo sacramenta ipsa qua talia sunt ad causandam gratiam non assumerentur, sed res ille materiales antequam sacramenti rationem obtineant, & sic sacramentum qua sacramentum per Suarium, non esset gratiæ causatiuum. Adde, quod solutio P. Suárez videtur repugnare Concilij, & PP, dum dicunt, quod sacramenta *causant*, quod *significant*; ergò prius est quod sint gratiæ signifiatiua, quam illam causent.

Secunda ratio de ratione sacramenti est quod sit essentialiter signum; ergò esse practicum, seù esse gratiæ vel sanctitatis causatiuum non potest esse differentia essentialis, vel pertinere ad sacramenti essentiam. Antecedens

dens patet ex sacramenti definitione, & ex dictis supra. Consequentia probatur primò, quia esse causatiuum est genus distinctum à significatiuo: secundò, quia potest Deus à Sacramentis Ecclesiæ gratiæ causalitatem auferre, & tamen adhuc remanebunt Sacramèta, vt patet de Sacramento Eucharistiæ, si namque Deus gratiæ causalitatem ab hoc auferret Sacramento, adhuc ille species Corpus Christi præsens significarent, & gratiam spiritualiter nutrientem, per eundem Dominum dandam signarent; & tamen tunc temporis, vt suppono non causarent; ergò &c. quod enim à Sacramenti ratione separari potest, essentialis differentia illius esse non potest, sed accidentalis. Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

Primum argumentum desumitur ex D. Thomæ auctoritate qui artic. 2. huius quæstionis definiens Sacramentum dicit: *quod est signum rei sacra in quantum est sanctificans homines*; ergò ex mente D. Thomæ Sacramen-

tum non solum est signum. gratiæ, sed etiam videtur causa illius prout est sanctificans homines. Idem docet D. Augustinus Epist. 166. vbi dicit: *Dum minister operatur visibilem formam Sacramenti Deus operatur per illud inuisibilem gratiam.* & D. Greg. relatus cap. multi 1. quæst. 1. ait: *Sacramenta dici, quia sub tegumento corporalium rerum diuinæ virtus sacratius salutem operatur, & Catechismus Rom. definiens Sacramentum ait. Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ, tum significanda, tum efficiendæ vim habet.* Ex quibus patet Sacramentum non solum esse gratiæ significatiuum, verum etiam causatiuum.

Respondetur ad omnia adducta testimonia concedendo quod omnia Sacramenta de facto non solum sunt sanctitatis vel legalis, vel interioris significatiua, verum etiam causatiua; quod negamus est, quod esse causatiuum sit de Sacramenti essentia, vel ratione; differentia namque si-

gni contractiua debet esse talis significatio, non causatio, vt pro nostra ratione dicebamus; volumus tamen, quod licet esse practicum in Sacramento, seu esse sanctitatis causatiuum non sit differentia essentialis Sacramenti constitutiua, sit tamen Sacramenti proprietas quæ de facto, eorum supposita institutione sit inseparabilis; propterea non mirum, quod definiatur sacramentum quandoque per causalitatem; est enim frequens etiam in Philosophicis quod res etiam per eorum proprietates definiantur, vt homo per risibile, equus per innibile, &c.

Secundum argumentum est, quia de sacramenti ratione est esse rei sacræ signum; ergo etiam esse eiusdem rei sacræ effectiuum. Antecedens est certum cum sit ipsius sacramenti definitio. Consequentia probatur, quia sacramentum non est quodlibet sacræ rei signum, sed practicum, atque esse signum practicum, & effectiuum idem sunt; ergo cum de essentia sacramenti sit esse signum

practicum, erit etiam effectiuum.

Respondetur concessio antecedenti, negando consequentiam: ad probationem respondeo sub distinctione; de ratione sacramenti est esse signum practicum in quantum quod signat realem sanctitatem, vel à se, vel ab alio causatam, & conceditur; in quantum signat sanctitatem realem physicè ab eodem sacramento causatam, & negatur; igitur de ratione sacramenti est esse signum practicum, quia reuera signat, & demonstrat veram sanctitatem in suscipiente, vel ab ipso sacramento causatam, vel ab alio, non tamen est necesse, quod signet sanctitatem à se causatam, vt patet de sacramenti legis antiquæ; sacramenta ergo legis nouæ veram causant sanctitatem, hæc tamen causalitas non est illorum essentia, sed proprietas dumtaxat; respectu verò sacramentorum legis antiquæ internæ sanctitatis causalitas, nec erat de essentia, nec erat illorum proprietas, vt ex Concilijs, & PP. apertè colligitur,

rum, cum sacramentis antiquæ legis internæ sanctitatis causalitatem denegant, quam nostris concedunt.

Tertium argumentum, quod vrgent Belarm. lib. 1. de sacramentis cap. 12. & suarez hic disput. 1. sec. 2. est tale: quod est in qualibet re principalius, magis intimè ad essentiam illius rei pertinet, sed esse gratiæ causatiuum in sacramentis est principalius, quam esse significatiuum; ergò illud magis quam hoc ad sacramenti pertinet essentiam. Maior non indiget probatione. Minor probatur, quia principalius, & nobilius est esse gratiæ causatiuum, quam significatiuum, quod nemo negabit; ergò &c. tum quia licet Christus venerit, & vt Redemptor, & Religionis institutor, tamen principalius non venit vt Religionis institutor, sed vt Redemptor, & animarum sanctificator; vt autem est sanctificator, instituit sacramenta gratiæ causatiua; vt Religionis institutor instituit sacramenta, vt Religionis cæremonias, & vt significatiua; ergo sicut in

Christo est principalius esse Redemptor, & animarum sanctificator, quam Religionis institutor, ita in Sacramentis quæ pro illis duobus finibus fuerunt instituta, principalius erit ratio gratiæ causatiua, quam significatiua. Quod autem Christus Dominus principalius venerit, vt Redemptor, quam vt Religionis institutor, patet ex mente Sancti Thomæ docentis, quod si Adam non peccasset Verbum carnem humanam non assumpsisset; ergo principalius venit vt Redemptor, quam vt Religionis institutor.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem primò adductam dico, quod licet sit nobilius esse gratiæ causatiuum, quam esse significatiuum, non tamen est principalius respectu ipsius Sacramenti potest enim contingere quod id quod principalius est secundum se, sit minus principale respectu alterius; contingit enim frequenter magis principale ordinari ad minus principale, vt Mercator ordinat 100. numos ad lucrandos

10. licet ergò esse causatiuum gratiæ sit secundum se nobilius, & principalius; tamen respectu Sacramenti non sic; est enim principalis sua essentia, quàm id quod ex diuina institutione, & eleuatione conuenit illi vt proprietatis, &c. Ad secundam probationem concedo, quod principalis venerit Christus vt reparator, vt medicus, vt Redemptor, quàm vt Religionis institutor, sed iste fuit finis operantis; & si loquamur de fine ipsius operis Sacramenti prius est; in illo ratio Religionis, quàm ratio reparationis, licet ex fine operantis ratio Religionis in Sacramentis ad rationem causalitatis ordinetur, & assumatur, &c.

Soluuntur argumenta secundæ sententiæ.

Primum argumentum desumunt ex PP. qui videtur dicere Sacramenta esse ex rei natura gratiæ causatiua: sed ad hoc iam patet ex dictis, ad primum pro prima sententia Secundò arguunt, quia omnia nomina quæ Sacramentis adaptantur causalitatem videntur importare vt medicamen-

tum, ornamentum, nutrimentum, &c. imò, & ipsum nomen Sacramenti causalitatem significat; dicitur namque Sacramentum à Sacrando. Sed etiam ad hoc patet quia de facto omnia Sacramenta sunt gratiæ causatiua, & sic omnia illa nomina Sacramentis adaptantur.

Tertium argumentum est, quia si de ratione Sacramenti nõ esset esse gratiæ causatiuum sed solum significatiuum rei sacræ, etiam sacrificium esset Sacramentum contra D. Tho.

1. 2. quæst. 101. art. 4. & omnes Theologos; ergò &c. Sequela probatur, quia sacrificium secundum suam essentiam, est rei sacræ signum; sacrificium verbigratia Missæ, significat Passionem Christi Domini, quæ certè res sacratissima est; ergò &c.

Respondetur negando sequelam: ad probationem dico quod sacrificium est quidem rei sacræ signum, sed non cuiuscunque, non gratiæ, sed auctoris gratiæ, Sacramentum verò non est cuiuscunque rei sacræ signum, sed sacræ formaliter, seu per modum formæ

formæ sacramentis, seu sanctificantis, nempe gratiæ, de essentia ergo Sacramenti est esse signum gratiæ sacramentis, seu sanctificantis.

Sed quæret aliquis, an licet de facto Sacramenta fuerint instituta, ut sint principaliter signa gratiæ; & secundario, & veluti per modum proprietatis, quod sint gratiæ causatiua tamen an potuerit Deus illa instituire, ut essent principaliter gratiæ causatiua, deinde signifiatiua, ad sensum secundæ sententiæ, ita quod verbigratia ablutio prius eleuetur ad gratiam producendam, deinde ad gratiam productam significandam.

Respondeo potuisse id quidem à Deo effici; tamen nec ratio signi esset differentia, contrahens causalitatem, nec causalitas esset ratio contrahens rationem signi, ut ex dictis patet; differentia namque contrahens genus, alterius prædicamenti à genere esse non potest; in tali ergo casu causalitas, & ratio signi essent duo genera disparata, quo-

rum utrumque per propriam differentiam contraheretur. Et si istes petendo vnde dignoscere poterimus de facto sic non fuisse factum, ut vult Suarez, & alij? Dico hoc colligi ex dictis, quia in tali casu gratiæ causalitas non tribueretur Sacramentis, sed rebus ipsis materialibus antequam in Sacramenta instituerentur, quod non videtur dicendum. Adde hoc etiam colligi ex eleganti congruentia quæ talis est; Sacramentum duo habet, & quod sit quidam Dei cultus, quædam cæremonia sacra, qua Deus colitur, & reueretur, & quod in nostram referatur utilitatem, quatenus est gratiæ causatiuum, videtur autem magis congruum, quod Sacramenta fuerint prius instituta, ut in Dei gloriam ordinantur tanquam cæremoniæ, & cultus illius, seu pro ut sunt gratiæ signifiatiua, quod in idem reddit, quam pro ut in nostram ordinantur utilitatem, ut videlicet sunt gratiæ causatiua.

QVAESTIO IV.

Utrum gratiam significare sit differentia essentialis Sacramenti.

Explicato Sacramenti Genere, differentiam explicemus necesse est, & antequam controuersiam cum Catholicis afferamus, primò reiciendi sunt hæretici. Est ergo Caluini hæresis tam in sua Catechesi Geneuensi titulo de Sacramentis, quam lib. suarum institutionum quarto, cap. 16. sec. prima, quod res per Sacramentum significata, & per consequens sacramenti differentia sit, *Diuiinarum promissionum obligatio à Deo hominibus facta, qua homines in eis melius confirmantur, & suam erga Deum pietatem testentur.* Vndè iuxtà Calvinum sacramentum est quoddam sigillum, quo Deus nobis obsignat, & factas confirmat promissiones de gratijs, & donis spiritualibus. Sed huius hæresis falsitas ex se patet cum namque sacramentum sit. signum rei

sacræ hominem sanctificantis, & diuiinarum promissionum obligatio, non sit aliquid formaliter hominem sanctificans sit rationem diuiinarum promissionum non posse esse rem significatam per sacramentum. Tum quia differentia essentialis sacramenti cuilibet sacramento, & semper conuenire debet, sed contingere potest, quod quis sacramentum recipiat, & in eo non reperiatur Diuiinarum promissionum obligatio; ergo & Maior est certa. Minor probatur exemplo Baptismi simoni Mago collati, ubi non fuit talis obligatio, & confirmatio diuiinarum promissionum de donis, & gratijs spiritualibus dandis; ergo, &c.

Est deindè hæresis Zuinglij, qui dicit rem per sacramentum significatam, & per consequens differentiam essentialē sacramenti esse, *quandam*

dam oppignorationem, & publicam consignationem qua homo se adstringit, & oppignorat Christo; dans eius militia principium, & testificationem, per quam homo probatur esse Ecclesia candidatus, & miles Christi; Et sic definit ille sic Sacramentum. Est sigillum, quo homo se se adstringit Christo, & simul certam reddit Ecclesiam se esse militem Christi Domini, aut eius candidatum. Sed hæc etiam hæresis facile improbat, quia ex illa sequeretur quod Sacramenta essent instituta pro Christo, & pro Ecclesia; non pro fidelibus, quod est falsissimum; ergo &c. sequela probatur, quia pro eo institutum est Sacramentum, quod recipit illud; sed non fidelis, sed Christus Sacramentum reciperet; ergo pro Christo, non pro fidelibus Sacramenta instituta fuissent. Maior ex se clara est, Minor probatur, quia publica oppignoratio, & consignatio fieret Christo, ita quod Christus respectu illius passivè se haberet, & Ecclesia passivè similiter se haberet respectu testificationis: si-

eret namque ipsi Ecclesie testificatio; ergo respectu Sacramentorum, & Christus, & Ecclesia passivè se haberent, & per consequens Sacramenta non pro fidelibus, sed pro Christo, & pro Ecclesia instituta fuissent. Reiectis hæreticis videamus quid dicant Catholici.

Prima sententia Catholicorum est, quod differentia essentialis Sacramenti ut sic, non sit gratiam significare; sed solam sanctitatem ut sic, præinsidentem à sanctitate interna, quæ sit per gratiam sanctificantem, & externa, seu legali. Hanc Sententiam post Can. 1. p. relect. de satisfact. & Ledesnam 1. p. 4. art. 1. & 2. sequitur Cardinalis Belarminus de Sacramentis cap. 12. & alij; quorum fundamenta postea referemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione: differentia essentialis Sacramenti est gratiam sanctificantem significare, & per consequens significatum Sacramenti est gratia sanctificans. Hæc est plana mens D. Tho. hic ar. 3.

vbi ponit illa 3. genera signi de quibus prima quæstione huius disputationis. Nugnez ibidem. Soto 4. disp. 1. Suarez hic, & alij communiter.

Probatur conclusio rationibus prima est, quia vt infra q. 64. cum D. Thoma dicemus, solus Deus potest esse propriè Sacramentorum auctor, & si de ratione Sacramenti non esset gratiam sanctificantem significare, & causare non solus Deus esset Sacramentorum auctor, sed hoc idem posset Creaturis concedi, ergo &c. Maior est certa. Minor probatur; quia non est supra naturæ creatæ vires signū aliquod instituire, quod sanctitatem legalem, & externam significet; ergo si de ratione Sacramenti non est gratiam internam significare, sacramenti institutio alijs à Deo poterit conuenire, quod tamen est omninò falsum.

secunda ratio per quàm oppositæ sententiæ fundamentum evertitur est: si aliquod sacramentum dari posset cuius differentia constitutiuā non esset gratiam sancti-

ficantem significare, maximè essent sacramenta legis antiquæ. sed hoc est falsum; ergo nullum sacramentum dari potest, quod non constituatur per differentiam significandi gratiam sanctificantem. Maior admittitur ab aduersarijs, volunt enim sacramenta legis antiquæ cōstitui per differentiam significandi sanctitatem legalem, propterea cum sacramenta legis antiquæ, & nouæ vniuocentur volunt differentiam sacramenti vt sic constitutiuam, esse rationem significandi sanctitatem pro vt abstrahit à sanctitate legali, & interiori; postea Sacramentum vt sic, diuidi per duas differentias subalternas in sacramenta, quæ significant sanctitatem legalem, & sunt sacramenta legis antiquæ, & quæ significant sanctitatem internam, & sunt sacramenta legis nouæ. Minor probatur; quia sanctitas legis, vel legalis in omnium sententia nil aliud est, quam deputatio ad sacra quædam ministeria, sed hæc ratio non potest esse differentia sacramenti constitutiuā; ergo &c. Maior patet, quia

quia secundum legem sanctitas illa legalis formaliter consistebat in Sacramenti susceptione per quam legislatoris voluntas suscipienti applicabatur, quæ statuebat illum admitti debere ad talia munia sacra, qui talia suscepisset sacramenta, & exterius fuisset purificatus. Minor probatur, quia differentia sacramenti constitutiua debet esse significatio alicuius mysterij secreti, & latentis, sed tota illa sanctitas legalis, cum externa esset, omnibus erat nota, & patens, & non mysterium latens; ergo per illam non poterat constitui aliquod sacramentum de cuius ratione est, quod sit rei latentis signum ut supra dicebamus in huius disputationis principio.

Tertia ratio, quia si ratio sacramenti constitutiua non esset significatio gratiæ sanctificantis, sequeretur quod aqua lustralis esset sacramentum, prima tonsura, absolutio ab excommunicatione, aliæque permulta: hoc dici nequit; ergo nec illud. Sequela probatur, quia negari non

potest, quin aqua benedicta ad venialium deletionem instituta non causet aliquam sanctitatem, similiter prima tonsura per quam quis primò incipit diuino cultui deputari, pariformiter absolutio ab excommunicatione per quam quis ab aliqua legali macula emundatur; ergo cum hæc vera non sint sacramenta, dicendum est non sufficere ad constituendum sacramentum quæcumque sanctitatis significatio, sed requiritur quod sit significatio gratiæ sanctificantis. Quomodo autem stet quod aqua lustralis delet peccata venialia ex opere operato, & non sit sacramentum infra dum de sacramentalibus agemus dicetur, sed soluamus argumenta aduersariorum.

Primum argumentum est, quia sacramenta legis antiquæ constitui non possunt per gratiæ sanctificantis significationem; ergo significatio gratiæ sanctificantis non potest esse differentia essentialis sacramenti constitutiua. Consequentia nota est ex dictis.

Antecedens probatur, tum

Apostoli auctoritate sacramenta vocantis antiqua, *vacua, & egena elementa*, tum ex decreto Eugenij in Instructione Armenorum dicentis: *antiqua Sacramenta non contulisse gratiam, sed illam praesignificasse dandam per merita Redemptoris*. Tum Augustini auctoritate lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 27. dicentis: *Vetus testamentum habuisse Sacramenta praeannuntiantia rem futuram: nostra verò testari quod illa venturum esse praedicabant*; ergò &c

Responderetur negando antecedens; ad probationem dico, quod Sacramenta antiquae legis bifariam possunt considerari; primò in ratione signifiantis gratiam sanctificantem conferendam tamen non ex vi ipsorum Sacramentorum, sed vel ex opere operantis, vel in fide Christi venturi, & in hoc non erant vacua, sed vniuocabantur cum nostris. Secundò possunt considerari in ratione causae gratiae ex opere operato, & hoc modo Sacramenta antiqui testamenti erant egena quaedam elementa, non sic nostra, quia

gratiam ex opere produciunt operato. Non nego tamen quin etiam producerent Sacramenta antiqua ex opere operato, seù ex vi suae applicationis aliquam legalem sanctitatem, quae excitaret suscipientem ad inquirendam interiorum, quam Deus sub illis externis symbolis significabat, & efficere in suscipiente intendebat ex opere operantis, seù quando suscipiens esset sufficienter dispositus per actus fidei, spei, dilectionis, & contritionis. Sed quod negatur est, quod illa legalis sanctitas esset differentia essentialis Sacramenti constitutiua, hoc enim nequaquam esse potest, cum non sit quid latens, quod est de Sacramenti ratione, nec possit vniuocè conuenire cum differentia Sacramenti nouae legis constitutiua, de cuius ratione est quod gratiam signet sanctificantem. Ergò & noua, & vetera Sacramenta gratiam signant sanctificantem, sed noua & efficiunt, vetera verò signant, sed non efficiunt.

Sed dices quod ex tradita solu-

solutione sequi videtur, quod
 Sacramenta veteris legis, &
 nouæ, non vniuocentur; hoc
 est contra dicta à nobis; ergò
 &c. Maioris sequela ostendi-
 tur, quia robur traditæ soluti-
 onis stat in hoc, quod Sacra-
 menta legis veteris significa-
 bant gratiam sanctificantem
 ex opere operantis ponendam
 & noua significant eandem
 gratiam sanctificantem ex o-
 pere operato ponendam; sed
 istæ duæ differentiæ constitu-
 tiuæ Sacramentorum veteris,
 & nouæ legis non possunt vni-
 uocari; ergò sacramenta ve-
 teris legis, & nouæ, quæ per
 tales differentias constituuntur,
 vniuocari non poterunt. Minor
 probatur, de maiori namque
 nulla videtur esse posse difficultas,
 quia practicum vt sic, diuiditur
 in duo membra analogia, in
 practicum ex opere operato, &
 ex opere operantis, ratio namque
 practici per se primò dicitur
 de practico ex opere operato,
 & per analogiam ad hoc dicitur
 practicum ex opere operantis; ergò &c.

Respondetur negando se-

quelam, ad probationem ne-
 gatur minor, ad cuius simili-
 ter probationem dico, quod
 practicum ex opere operato,
 & ex opere operantis essenti-
 aliter non differunt, sed acci-
 dentaliter tantum, vt multi
 volunt, nempe secundum ma-
 iorem, & minorem perfectio-
 nem in ordine ad gradum su-
 periozem, quem per modum
 vniuersalis differentiæ sub-
 alternæ constituunt, secus si
 considerentur, vt differentiæ
 diuidentes, & duo genera Sa-
 cramenti in ratione practici
 constituentis, nempe genus
 Sacramenti legis veteris, &
 genus Sacramenti legis nouæ,
 quæ duo genera essentialiter
 differunt per illas duas diffe-
 rentias practici ex opere ope-
 rantis, & ex opere operato.
 Igitur practicum ex opere o-
 perantis, quod est differentia
 constitutiua Sacramenti le-
 gis veteris, & practicum ex
 opere operato, quod est diffe-
 rentia constitutiua Sacramen-
 ti legis nouæ sunt duæ diffe-
 rentiæ specificæ, subalternæ
 tamen, quæ vniuocè conue-
 niunt in ratione differentiæ,

vt sic constitutiua Sacramenti in sua latitudine, & essentialiter differunt secundum proprias rationes, cum quod tamen stat, quod significare practice gratiam ex opere operato sit differentia essentialiter perfectior, sicut rationale est differentia essentialiter perfectior irrationali, cum nobiliorem constituat speciem, vt patet.

Secundum argumentum est: quia Sacramenta antiquae legis dicuntur communiter à PP. & Theologis, *nostrorum umbra Sacramentorum*, & quod à nostris tantum distinguerentur, quod gratiam demonstrarent futuram ex Christi meritis dandam, quam nostra de facto conferunt; ergo differentia constitutiua Sacramenti vt sic, non potest esse significatio gratiae sanctificantis. Antecedens est certum. Consequentia probatur, si enim Sacramenta veteris legis significarent gratiam sanctificantem, non essent nostrorum Sacramentorum umbrae, vt patet &c.

Respondetur ex dictis quod

Sacramenta legis veteris dicuntur nostrorum Sacramentorum umbrae, secundum rationem causandi gratiam ex opere operato, & effectiue, quod nostris conuenit in re Sacramentis, & illa praefigurabant. Dicitur etiam potest quod antiqua Sacramenta dicuntur nostrorum umbrae sacramentorum non ratione gratiae sanctificantis secundum se, sed ratione aliquorum effectuum eiusdem gratiae sanctificantis, quos nostra efficiunt sacramenta, secundum quam rationem vetera sacramenta gratiam sanctificantem non significabant; quinam autem sint isti speciales effectus, ex dicendis de singulis Sacramentis in particulari patebit. Ex omnibus ergo dictis patet differentiam sacramenti constitutiua esse rationem significandi gratiam sanctificantem praesumendo ab hoc quod vi, & institutione sacramenti conferatur ex opere operato, quod est nostrorum proprium sacramentorum, & quod conferatur virtute meritorum Christi ad

prae-

praesentiam illorum sacramentorum, & supposita recipientis dispositione; si recipiens erat adultus, vel in vir-

tute Christi venturi, si recipiens erat paruulus ante rationis usum.

QVAESTIO V.

Utrum Sacramentum possit definiri, & quanam sit melior illius definitio.

EXplicato genere, & differentia sacramenti, non erit difficile illius assignare definitionem; pro quo nota, quod licet sacramentum secundum physicam considerationem sit indefinibile cum sit purum ens per accidens, ex pluribus physicè nullo modo copulatis, & vnitis, secundum quam considerationem ad Theologum eius disputatio non pertinet. Tamen si sacramentum moraliter consideretur omninò definibile est, sicuti definiuntur Regnum, Ciuitas, Respublica à Philosopho morali. Et Ecclesia, Concilium, Capitulum &c. à Theologo, licet physicè, nec

ista, nec illa sint definibilia. Igitur sicut illa secundum moralem considerationem sunt definibilia, quia moraliter sunt vnum suas habens passiones demonstrabiles, ita sacramentum moraliter vnum est, habens suas proprietates, & passiones demonstrabiles, vnum quidem genere, & differentia coalescens, ex signo nempe tanquam genere, & ex gratiae sanctificantis significatione, tanquam ex differentia; ex quibus patet falsam esse sententiam Okami, Maioris, Riccardi in 4. dist. 1. & aliorum tenentium sacramentum non posse definiri.

Sed dices si sacramentum posset

posset moraliter definiri deberet poni in aliqua ex decem prædicamentis categoria, & non est assignabile in qua reponatur; ergò non potest definiri. Maior patet, cum enim non nisi entia per se definiantur, & hæc in categorijs Aristotelicis reponantur, sequitur quod si Sacramentum potest definiri, poterit etiam in aliqua categoria reponi. Minor probatur: Quia si in aliqua categoria reponi posset Sacramentum, maximè vel in categoria actionis, vel relationis, sed in neutra istarum reponi potest; ergò &c. Maior ex se patet. Minor probatur, quia vt supra dicebamus de Sacramenti essentia solummodo est, quod sit signum gratiæ sanctificantis, non verò quod sit illius causa, sed ratio signi non est formaliter in genere actionis; ergò Sacramentum qua tale, reponi non potest in categoria actionis. Nequè etiam potest reponi in categoria relationis, nam Sacramentum imprimis non est formaliter relatio realis, nec rationis; ergò

&c. Non realis vt omnes admittunt, & bene, quia de relationis realis essentia est, quod totum suum esse sit ad aliud se habere, at Sacramentum non sic, cum sit quoddam aggregatum ex materia, & forma, seù (vt verbis vtar Florentini Concilij) ex rebus & verbis, relatio autem res quædam simplex est. Nequè potest dici, quod Sacramentum sit relatio rationis, & propter modo dicta, & propter dicta superius, quod Sacramentum, nequè pro formali possit esse relatio rationis, cum detur Sacramentum à parte rei nullo intellectu cogitante, sicut, & omne signum, realiter sit signum, ante intellectus operationem: Nam vt suprà explicuimus, ratio signi formaliter consistit in quadam habilitate, & habitudine sibi moraliter relicta ex instituentis deputatione, ad excitandum intellectum, vt rem cognoscat significatam per tale signum, talis autem habilitas, vt suprà quæstione prima explicuimus, est ipsamet realitas rei prout substat tali institutioni secundum quod potest

potest esse relationis rationis fundamentum, patet autem quod id quod est fundamentum relationis rationis, vel præbet fundamentum illius non ponitur in relationis categoria; ergo &c.

Respondetur negando maiorem propter rationes inter arguendum assignatas. Ad probationem dico, quod in Aristotelicis categorijs, non ponuntur ea omnia quæ aliqua definiuntur definitione, nequè ea, quæ quoquomodo sunt entia completa, sed eadem taxat quæ sunt entia completa etiam in esse physico; cum autem Sacramentum licet moraliter sit aliquo modo ens completum, non tamen sit tale physicè in categorijs non reponetur. Quod autem in categorijs non reponantur nisi entia completa etiam physicè, patet ex regulis ante prædicamentibus quas communiter solent assignare dialectici. Et hæc de primo: quoad secundum nempe quomodo Sacramentum definitur, maxima differentia est inter hæreticos, & Catholicos, hæretici namque suas afferunt

definitiones, quas oportet breuiter referre, & impugnarè. Zuinglius sic definit Sacramentum. *Sacramentum est symbolum externum, quo quales simus, & quodnam sit nostrum officium testamur Deo, & Ecclesie*: Sed hæc definitio falsa est nec potest Sacramento conuenire; Primò, quia non assignat genus, nec differentiam Sacramenti ut ex dictis patet. Secundò, quia solum definitur aliqua significatio exterior, seu exterior deputatio hominis ad esse militem Christi, & candidatum. Tertio, quia ut supra dicebamus Sacramentum quod hic definitur ab isto hæretico conueniret Christo, & Ecclesie. Quarto, quia nunquam quis reciperet Sacramentum priuatim, sed solummodo quando daretur tale symbolum cuius protestatio constaret Ecclesie, quæ omnia falsa sunt, ut patet.

Lutherani ut videre est apud Hunnium opus. de Sacramentis in Genere cap. 1. sic definiunt Sacramentum. *Sacramentum est actio diuinitus ordinata, in qua Deus iux-*

*ta verbum institutionis, per
 certa quadam visibilia signa
 seu elementa, Cælestia dona di-
 spensat, & promissionem Evan-
 gelij propriam de gratuita re-
 missione peccatorum applicat,
 confirmat, & obsignat omni-
 bus qui Sacramento fide utun-
 tur. Sed hæc etiam defini-
 tio falsa est, & multos conti-
 net errores; falsa quidem est,
 quia ponit actionem loco ge-
 neris, cum deberet poner
 rationem signi, vt cum D.
 Thoma Catholici omnes po-
 nunt, de quo suprâ: falsa est,
 quia nequè ponit Sacramenti
 differentiam, quæ est ratio si-
 gnificandi gratiam sanctifi-
 cantem, vt quæstione præce-
 denti ostendimus. Continet
 multos errores; prior est, quia
 per illam particulam, *iuxta
 verbum institutionis*, volunt
 quod nullum sit Sacramentū
 nisi eius institutio expressè in
 sacris litteris habeatur, quod
 tamen non est necesse; quia
 circumcisio fuit verum Sacra-
 mentum vt etiam ipsi admit-
 tunt Lutherani, & tamen
 non fuit exarata in sacris lit-
 teris, nisi multo post: simili-
 ter Sacramenta instituta à*

Christo Domino non fuerunt
 scripta nisi postea ab Evan-
 gelistis; ergo error manifestus
 est, quod ad hoc vt aliquod sit
 Sacramentum debeat tradi à
 Deo, *iuxta verbum instituti-
 onis*, seu vt ipsi explicant se-
 cundum formulam qua in sa-
 cris litteris continentur. Se-
 cundus error est, quod per
 dona Cælestia non intelligūt,
 nec gratiam sanctificantem,
 nec augmentum illius, sed
 externum Dei fauorem, & au-
 gmentum illius, quod in trac-
 tatu de iustificatione impro-
 bauimus. Tertius, quia vo-
 lunt peccatorum remissionem
 fieri per solam fidem absquè
 gratiæ sanctificantis infusio-
 ne; quod etiam citato loco im-
 pugnauimus.

Calvinus lib. 4. institutio-
 num cap. 14. sectione prima
 duas affert Sacramenti defi-
 nitiones prima est. *Sacra-
 mentum est externum symbo-
 lum quo beneuolentiæ erga nos
 suæ promissiones nostris consci-
 entijs Dominus obsignat, ad su-
 stinendam fidei nostræ imbè-
 cillitatem, & nos vicissim pie-
 tatem erga eum nostram, tam
 coram eo, & Angelis, quam
 apud*

apud homines testamur. Altera Caluini definitio breuior est: *Sacramentum est Diuina gratia in nos testimonium externo signo confirmatum, cū mutua nostra erga ipsum pietatis testificatione.* Sed ambæ definitiones Caluini falsæ sūt. Primò, quia conuenire nequeunt Sacramento Baptismi quod paruulis ante rationis vsum confertur, in illis namque Baptismi Sacramentum non potest esse symbolum, nec testimonium beneuolentiæ Dei erga paruulos, & simul pietatis paruulorum erga Deum; patet enim paruulos non esse tunc temporis mutuae pietatis, & beneuolentiæ erga Deum capaces. Secundo quia paruuli capaces nequaquam sunt obsignationis promissionum Dei, nam per talem obsignationem intelligūt illi, vt explicat Beza secunda parte quæstionum, & responsionum Christianarum quæst. 1. & 25. *efficaciorem explanationem spiritualium bonorum nobis à Deo promissorum, quæ fiat per fidem suscipientis, vel incrementum eiusdem fidei cuius paruuli capaces non sunt.*

Tertiò, quia omne sigillum, vel symbolum debet esse notius re significata, vel obsignata, cum sit per illos, aliqua rei illius confirmatio, atqui Sacramentum in ratione sigilli, vt obsignat, Diuinas promissiones, non est aliquid notius rebus promissis; Diuinæ namque promissiones clarius explicantur in sacris litteris, quam per talem obsignationem; ergò &c. hæ sunt potissimæ hæreticorum definitiones. Audiamus Catholicorum definitiones, & illas breuiter examinemus, & meliorem seligamus.

Doct̃or Subtilis in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 3. sic Sacramentum definit: *Sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel gratuitum effectum ex institutione Diuina efficaciter significans.* Sed hæc Scotica definitio non est admittenda. Primò, quia ponit esse de ratione Sacramenti vt sic, quod sit aliquid sensibile, quod suprà quæstione secunda improbauimus. Secundo quia ponit, sub disiunctione gratiam significare, vel gratuitum effectum, cum vt quæ

stione 4. ostendimus de essentia Sacramenti sit gratiam sanctificantem significare; per quod remanet etiam exclusa Nostri Petri Lombardi definitio in 4. distinct. 1. dicentis: *Sacramentū est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ut eius similitudinem gerat, & causa existat.* Non enim Sacramentum, vt modo dicebamus, est essentialiter quid visibile, nec de essentia Sacramenti est, quod sit gratiæ causa, sc̄u causalitas de Sacramenti ratione non est, vt supra explicuimus, & patet in Sacramentis legis antiquæ.

Pater Suarez disp. 1. sect. 4. aliam tradit Sacramenti definitionem sic dicens: *Sacramentum est res sacra, & sensibilis cæremonia hominēs aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans.* Sed minus rectè procedit hæc definitio quam omnes aliæ, non solum quia facit Sacramentum essentialiter sensibile, quod supra improbauimus, verum, quod valdè mirum est quia vult Sacramentum esse sacram cæremoniam, quod

omninò falsum est, primò, quia Eucharistia in sacrario existēs est verè, propriè, & essentialiter Sacramentum, vt omnes volunt, & tamen non est sacra cæremonia, nomine namque sacre cæremoniæ humanus venit actus, quod non conuenit sacramento Eucharistico post ipsius consecrationem.

Secundò, quia Agnus Paschalis in veteri lege fuit verè & propriè sacramentum, vt docet D. Tho. quæst. 73. art. 5. & 1. cor. 9. lect. 2. & admittit idem Suarez, & tamen Agnus Paschalis non erat cæremonia, cum actio non esset humana.

Nec valet illius auctoris solutio, quod Agnus Paschalis erat quidem sacramentum, secundum quod certo quodā comedebatur ritu, non autem ante illum ritum. Nam contrà hoc est, quia Agnus Paschalis typus erat, & figura sacramenti Altaris; ergò sicut hoc sacramentum est verè sacramentum antequam comedatur, ita & Agnus Paschalis, alioqui figura figurato non corresponderet in principali

cipaliratione figuræ. Vnde Cardinalis Alanus de Sacramentis cap. 3. ad rem contrà Suarez dicit: *Fallitur qui Sacramentū in genere ritus, & cæremonia ponunt cum hæreticis confessionis angustana, nam ritus, & cæremonia modus est in actione, & non substantia in Sacramento*; hæc Alanus. Sed iste Auctor licet bene dicat quantum ad Sacramentum Eucharistiæ, & quantum ad hoc quod non sit de sacramenti essentia quod sit cæremonia, excessit tamen, quia alia sacramenta cum consistant in usu, & in fieri sunt verè, & propriè cæremonia. His ergo, & alijs definitionibus relictis, quæ cum præcedentibus videntur coincidere.

Nostra sententia sequenti conclusione explicatur. Sacramentum rectè definitur: *signum rei sacrae*. Hæc definitio est D. Augustini 10. de Ciuit. cap. 5. & habetur c. *sacrificium* de Consecratione d. 2. Est D. Bernardi in sermone de Cæna Domini, D. Tho. art. 2. & 3. Nost. Vualdensis tom. 2. cap. 20. & aliorum plurium: quæ definitio

magis indiget explanatione, quam probatione.

Explicatur ergo, & simul etiam probatur allatæ definitionis bonitas; nam signum ponitur loco generis, cum enim de essentia sacramenti non sit esse signum sensibile, sed prout præcindit à sensibili, & insensibili, rectè ponitur signum, vt sic, loco generis; imò dato, quod essentia sacramenti esset esse signum sensibile adhuc sufficienter explicaretur hoc pro *Ly signum*, nam cum simus in materia signi humani, & sacramentipro hominibus instituti, sufficenter *Ly signum* posset accipi pro signo sensibili. Similiter cum de essentia sacramenti sit quod sit signum non quodlibet, sed ad placitum, sufficienter hoc explicatur per hoc quod dicitur, *signum rei sacrae*, nulla namque res creata ordinis naturalis potest naturaliter gratiam significare. Deindè cum de essentia sacramenti sit esse signum prædicum, hoc etiam sufficienter explicatur cum dicitur; *signum rei sacrae*, per rem namque sacram gratiam sanctificantem intelligimus

causandam, vel causabilem à Deo ad præsentiam sacramenti, ut in sacramentis legis antiquæ suprâ explicuimus, vel ab ipsomet sacramento ex opere operato, quæ proxim manifestam denotant.

Quod si quæras quare nomine rei sacræ gratiam sanctificantem venire volumus, & non rem aliam sacram.

Respondo ex dictis de gratia disput. 7. quæst. 3. quod cum gratia sanctificans in ordine supernaturali rationem habeat essentiæ, tribuatque esse primum supernaturale, sit primum merendi initium, prima ratio formalis, qua rationalis creatura Deo auctori suo consecratur, meritò per anthonomasiam nomine rei sacræ gratia primò, principaliter, & absolutè venit.

Quod enim aliqui dicunt de ratione sacramenti esse quod à solo Deo instituat, de quo infrâ quæst. 64. propterea hoc in definitione sacramenti ponunt, etiam sufficienter per assignatam exprimitur definitionem, eo nam-

què ipso quod sacramentum dicitur signum rei sacræ, manifestè datur intelligi Deum posse solum sacramentum instituire, solus namque Deus potest facere quod res materialis gratiam signet sanctificantem.

Demum quia ad sacramenti rationem pertinet esse signum permanens, & stabile: hoc etiam non obscurè in prædicta significatur definitione, dum definitur sacramentum per hoc, quod sit *signum rei sacræ*, quod enim transeunter rem aliquam signat, simpliciter signum dici nequit, sed cum addito; nota tamen quod licet putem omninò requiri ad rationem sacramenti permanentiam, & durabilitatem, non tamen actualem durationem, poterat enim Christus Dominus instituire sacramentum Eucharistiæ solum pro breui tempore, semper tamen habuisset ex se permanentiam, & durabilitatem; ex quibus patet optimam esse traditam definitionem.

DISPUTATIO II.

DE PHYSICA

SACRAMENTI

IN GENERE COMPOSITIONE.

Explicuimus præcedenti Disputatione metaphysicam Sacramenti in Genere naturam, quæ ex genere, & differentia coalescit, restat vt in præsentis Disputatione explicemus eiusdem Sacramenti in genere physicam naturam, sicut enim natura rei metaphysica

ex genere, & differentia coalescit, ita physica ex materia, & forma; materiam ergò, & formam Sacramenti in Genere in hac Disputatione explicabimus, & secundum se, & secundum earum determinationem, mutationem, & varietatem, &c.

QVAESTIO I.

An Sacramenta constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma.

Imprimis certum est vt docet D. Tho. 6. articulo huius quæstionis 60. in solutio-

ne ad 3. quod ad hoc vt aliquid sit Sacramentum, loquendo simpliciter, & absolute, suffi-

sufficit quod rebus cōstet non verbis: quod patet de Sacramentis Mosaicæ legis. Nam Geneleos 17. Circumcisionis ritus præscribitur nulla verborum facta mentione. Item Exo. 12. idem patet de Agno Paschali, & si quæ verba aliquando præscribuntur vt Leuitici 4. Num. 6. Deuter. 26. non ad essentiam, sed ad solemnitatem, & externam cæremoniam præscribuntur. Et huius rei ratio est, quia ad Sacramenti rationem sufficit, quod ex sua institutione sit signum prædicum gratiæ alicuius, seù quod veram animæ significet sanctificationem; patet autem, quod hoc convenire potest rebus ex Diuina institutione, sine nullis verbis; tota ergò præsentis quæstionis difficultas ad nouæ legis Sacramenta reuocatur.

Prima sententia circa hanc materiam est, nouæ legis Sacramenta non constare rebus & verbis, ita Durandus in 4. dist. 1. quæst. 3. Adrianus q. 2. de Baptismo, & alij, quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. Omnia Sacramenta Ecclesiæ rebus cōstant, & verbis in rigore sumptis, tamquæ ex materia, & forma, vnico excepto Matrimonio de cuius substantia non sunt verba, cum possit nutibus verborum vicemgerentibus, perfici. Hanc conclusionem sequuntur omnes Theologum cum D. Tho. hic art. 6. Soto in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 6. Belarm. lib. 1. de Sacramentis cap. 18. Quod ad Matrimonium non requirantur expressè verba, sed sufficiant verba æquivalentia, patet ex communi Ecclesiæ praxi, & ex decreto Eugenij pro Armenorum instructione, nam postquam dixit: *Omnia Sacramenta nouæ legis perfici tribus, nimirum rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Miniſtri*; loquens postea de Matrimonio sic dicit: *causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus (accipio te in meam &c.)* vbi consulto posuit illam particulam regulariter, vt significaret non necessariò formalia verba requiri.

Quod

Quod autem in alijs Sacramentis res, & verba formaliter requirantur patet discurrendo per singula, in Baptismo namque res, & verba reperiuntur, nempè ablutio, & forma, *Ego te baptizo, &c.* in Penitentia absolutio, & actus penitentis per confessionem expressi; in Eucharistia panis, & vinum, & verba; consecrationis, in Confirmatione consignatio, & verba, in extrema vnctione vnctio, & verba; in ordine traditio materix, & verba Episcopi. Quod autem res, & verba habeant rationem materix, & formæ.

Probatur primò, quia illa habent rationem materix, & formæ, quorum vnum se habet vt indifferens, & determinabile, & aliud vt determinans; seù quorum vnum habet rationem potentix, & aliud habet rationem actus, sed in Sacramentis res habet rationem potentix, & determinabilis, & verba habent rationem actus, & determinatiui; ergò in Sacramentis res, & verba se habent vt materia, & forma. Maior est se

ipsa certà, & constat ex physicis. Minor probatur discurrendo per singula sacramenta; videmus namque quod in sacramento Baptismi ablutio secundum se est indifferens ad significandum animæ ablutioem, & corporis, quæ postea determinatur per formam ad significandum determinatè animæ interiorem ablutioem; & sic de alijs; propterea rectè docet D. Augustinus tract. 80. in Io. *accedit verbū ad elementum, & fit Sacramentum*, per quod significatur quod sicut forma superueniens materix facit physicum compositum, sic superueniens forma sacramento supra elementum rei sacramenti, facit sacramentum.

Probatur secundò, quia non solum ens per se physicū ex materia, & forma componitur, verum etiam res artificialis; sed sacramentum est res quædam artificialis; ergò componi debet ex materia, & forma. Maior ex se nota est. Minor probatur, quia sacramenta sunt quædam artificia diuinæ omnipotentix, & sapientix, quibus homines san-

sanctificantur, & ad cultum eius deputantur; ergò &c.

Confirmatur; quia si ob aliquam rationem Sacramentum non constaret ex rebus, & verbis tanquam materia, & forma, maximè quia essentia Sacramenti est significatio, quæ cum vna, & simplex sit compositionem excludit, sed hæc ratio est nulla; ergò. Minor in qua est difficultas probatur; quia in Sacramentis nõ vnica, & indiuisibilis est significatio, sed duplex partialis ex qua vna totalis integratur, licèt enim in Sacramentis verba primatum teneant in significatione, tamen etiam res significat, & ex vtraque significatione integra Sacramenti significatio coalescit; quod clarè cognoscetur si attendatur, quod forma Sacramenti practicè gratiam sanctificantem non significat, nisi saltem moraliter cum re, verbigratia ablutione, coniungatur; nec similiter ablutio practicè gratiam signat, nisi saltem moraliter cum forma coniungatur; ergò clarum signum est, quod tam res, quàm verba suas partiales habent

significationes, quæ simul per modum actus, & potentia, seù per modum determinabilis; & determinatiui vnitàe integram componunt Sacramenti significationem. Sed soluamus partis oppositæ argumenta.

Primum argumentum est, quia si Sacramenta rebus, & verbis constarèt tanquam materia, & forma, deberent aliqua vniri vnione; sed hoc dici nequit; ergo Sacramenta non constant rebus, & verbis tanquam materia, & forma. Maior est certà, vbi enim est ratio materiae, & formæ, ibi compositio dari debet, & vbi datur compositio dari etiam debet partium vnio; componere namque est simul ponere, & compositio, est simul positio. Minor in qua est difficultas probatur, quia si inter rem Sacramenti, & verba, seù inter materiam, & formã Sacramenti aliqua daretur vnio, vel hæc esset physica, vel moralis; neutra esse potest; ergò &c. Maior est certà; Minor probatur, quia in Sacramento Eucharistiæ transactis verbis manet Sacramentum; simi-

similiter in Sacramento Penitentia profertur multoties forma post multum tempus à positione materie; ergò &c. Tum etiam quia forma compositi non potest esse eadem causa efficiens eiusdem compositi, sed verba in Eucharistia sunt causa efficiens Sacramenti; ergò non possunt esse forma eiusdem Sacramenti.

Respondetur concedendo maiorem, sicut enim dictiones vocales ad hoc ut vnam constituant orationem, necessè est ut aliquam habeant coniunctionem, ita pariter ad hoc ut materia, & forma Sacramenti vnum integrum signum constituant opus est, ut aliquam habeant simultatis coniunctionem, pro diuersitate tamen Sacramentorum maior vel minor requiritur, ut de singulis dicetur: pro nunc solum dico, quod ea simultas requiritur, quam vnū quodque exigit Sacramentum ad verificationem propriæ formæ, vndè in Sacramento Baptismi, Confirmationis, extremæ vnctionis, & ordinis, requiritur quod for-

ma ponatur eo tempore moraliter loquendo, quo forma profertur, ut in hac eadem disputatione dicemus; in Sacramento Penitentia ea requiritur simultas quæ ad rationem iudicij requiritur, & quia in iudicio potest proferri sententia supra causam, pridè expositam, ita potest quis serò sua confiteri peccata, & mane absolutionem recipere, ut suo loco melius explicabitur. In Matrimonio ea requiritur simultas inter materiam, & formam, quæ in alijs contractibus requiritur. Ad illud, quod de Eucharistia dicebatur, quod transactis verbis manet Eucharistia, nulum autem compositum potest esse in rerum natura sine sua forma.

Respondetur primò, satis probabiliter, quod verba consecrationis non sunt forma formaliter componens Eucharistia Sacramentum, sed forma extrinseca efficiens illud. Nam quando Concilia & PP. dicunt verba consecrationis esse Sacramenti Eucharistia formam, sicuti verba absolutionis sunt forma Sacramenti

cramenti pœnitentiæ, &c. debent intelligi proportione seruata, & secundum Sacramenti naturam; nam cum 6. Sacramenta in usu, & in fieri consistant debent habere formam quæ sistat in fieri. At cum Sacramentum Eucharistiæ consistat in esse permanenti, & stabili, verba nō possunt esse forma informans cum non habeant esse permanentis, sed debet esse forma efficiens, dicuntur autem verba forma efficiens, quia determinant materiam, ut ex dictis liquet.

Respondetur secundò, & est valde communis solutio, quod Sacramentum Eucharistiæ dupliciter considerari potest, in fieri scilicet, & facto esse; verba ergo sunt forma Eucharistiæ in fieri non in facto esse, & ratio est quia tunc verba habent rationem formæ cum materiæ applicantur, & applicantur in fieri, non in facto esse; ergò &c.

Respondetur tertio, quod verba consecrationis sint forma Eucharistiæ non solum in fieri, verum etiam in facto esse, quia licet pro latione fini-

ta materialiter transeant, formaliter tamen remanent, quatenus materiam relinquunt determinatam ex diuina institutione, quæ determinatio tamdiu perseverare censetur quamdiu res ipsa manet determinata. Sed hæc solutio melius quæstione sequenti explicabitur.

Secundum argumentum est; quia in Matrimonio utriusque coniugis verba, interuorum expressiua consensu, rationem materiæ, & formæ non habent, cum non sit maior ratio de verbis viri quam fœminæ; ergò non est de ratione Sacramenti quod componatur ex rebus, & verbis tanquam, ex materia, & forma. Nec respondere valet, quod utriusque coniugis verba siuè virtualiter, vel æquiualentem, siuè formaliter, ad inuicem rationem formæ, & materiæ habent, ratione diuersorum consensuum, ita quod verba prius prolata rationem habent materiæ, quæ postea, rationem formæ. Nam contra est, quia sequeretur, quod vnum, & idem rationem materiæ haberet, & formæ

mæ respectu eiusdem, quod non videtur dicendum.

Respondetur optimam esse solutionem datam, de qua suo loco, ad replicam dico, nullum esse inconueniens, quod vnus, & idem consensus exterius per verba, & nutus expressus possit habere rationem, & formæ, & materiæ respectu eiusdem consensus alterius, pro diuerso tamen tempore, imò, etiam pro eodem tempore, vt si simul proferatur, secundum tamen diuersam rationem determinabilis, & determinatiui, vt de numero docent communiter Thomistæ, quod vltima vnitas sit forma numeri, vt etiam docent N. Complutenses in Logica, sed de hac Matrimonij materia, infra suo loco dicetur.

Tertium argumentum est, quia Sacramentum pænitentia (idem dici posset de Matrimonio) caret rebus; ergò falsum est, quod Sacramenta constent rebus, & verbis tan-

quam materia, & forma. Antecedens patet, quia Sacramentum pænitentia solis verbis completur, nempe confessione, & absolutione. Consequentia tenet; ergò &c.

Respondetur quod Sacramentum pænitentia non solum perficitur verbis pænitentis, & absoluentis, verum etiam dolore pænitentis, qui verè est res, & ipsa pænitentis confessio aliquando fit nutibus, qui verè etiam sunt res, & quando fit verbis semper versantur circa peccata quæ sunt res saltè quo ad id quod habent à voluntate, & licet sint materia remota, fiunt, vt ita dicam proxima per ipsam confessionem; similiter satisfactio est res saltem quo ad id quod habet à voluntate. Ad id quod de Matrimonio innuitur, iam patet ex dictis. Adde quod non solum consensus, verum etiam mutua corporum traditio, rei rationem habet &c.

QVAESTIO II.

An in Sacramentis compositio, ex materia, & forma, seu ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma sit physica, an moralis.

P Robauimus præcedenti Quæstione Sacramenta constare rebus, & verbis tanquam materia, & forma, nunc videndum est, num hæc materia, & formæ Sacramentalis compositio, sit physica, vel moralis.

Prima sententia est esse solum compositionem moralem, & sic Sacramenta dici componi ex materia, & forma, per quandam solummodo accommodationem. Ita Suarez hic, Conin. Isamb. & communiter moderni quorum rationes postea soluentur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Compositio materiæ, & formæ in Sacramentis est vera, realis, & physica, in ultimo tamen gradu physicæ compositionis. Ita plures ex Schola

Thomistica post Nugnez hic art. 6. Explicatur conclusio assignando cum eodem Nugnez physicæ compositionis gradus. Primus gradus physicæ compositionis, est compositio ex materia, & forma substantiali ex quibus fit vnum per se substantialiter, & physicè, de quo nulla est dubitatio. Secundus gradus compositionis physicè est compositio, quæ fit ex miscibilibus, mixtum namque est *miscibilium alteratorum unio*, qui gradus à primo deuiat, quia in primo partes componentes formaliter post factam compositionem remanent, in hoc autem secundo compositionis gradu, partes componentes virtualiter dumtaxat remanent, nempe ratione suarum qualitatum, certum nam-

namque est elementa quæ sunt quatuor miscibilia formaliter in mixtis non remanere. Tertius compositionis physicæ gradus, est compositio accidentalis, nempe ex subiecto, & accidente, ut ex homine, & albedine, quæ compositio physica quidem est, sed alijs imperfectior, cum illæ sint substantiales, hæc accidentalis. Quartus gradus physicæ compositionis, est compositio artificiosa, qua verbigratia domus ex lignis; lapidibus &c. componitur ex vna parte tanquam materia, & ex figura ex alia, tanquam ex forma, quæ compositio omnibus alijs inferior est, quia subiectum figuræ domus, verbigratia lapides, ligna, &c. non est vnum per continuitatem, sed per contiguitatem duntaxat. Tamen hoc non facit quominus hæc compositio non sit vera, & physica per quam verum, & physicum resultat compositum; alij addunt etiã compositionem ultimo loco numeralem, qua numerus ex pluribus componitur vnitatibus, sed quia hæc quoad præsens nihil deseruit, propterea

missam facio; videantur N. Compl. in Logica Disp. 13. q. 8. Igitur compositio Sacramentalis ex materia, & forma est vera, & realis compositio ad modum compositionis artificialis, quod ex sequentibus patebit rationibus.

Prima ratio: domus, verbigratia est verum compositum physicum, & reale, in ultimo tamen gradu compositionis; ergo etiam Sacramentum pro ut componitur ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma erit verum compositum physicum in ultimo tamen compositionis gradu. Antecedens à nullo negari potest, cum ex se satis notum sit. Consequentia probatur, ex antecedenti: idè domus est verum, & physicum compositum ex materia, & forma, nempe ex lapidibus, lignis &c. tanquam materia, & figura tanquam ex forma, quia ex tali materia vna per contiguitatem, & forma, vnum artificiatum integratur; sed etiam in Sacramento ex materia, verbigratia ablutione, & forma integratur vnum artificiatum; ergo Sacramentum erit vnum

vnum physicè, realiter, &c.

Confirmatur, & explicatur: quia maior vnitas physica reperitur in nostro artificiato, nempe in Sacramento, quam reperitur in domo; ergò si domus est verum artificiatum physicum ex sua materia, & forma coalescens, multo magis erit Sacramentum. Consequentia videtur certa. Antecedens probatur, quia materia domus est multiplex, & solum vna per contiguationem, nempe plures lapides, ligna plura, & alia, at in nostro artificiato nempe in Sacramento, verbigratia Baptismi, materia est vnica nempe vnica ablutio, in Confirmatione vnica consignatio, &c. quidquid sit de extrema vnctione in qua sunt plures vnctiones, an sint plura Sacramenta partialia componentia vnum integrum Sacramentum de quo suo loco; ergò saltem in Sacramento Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ &c. minor est compositio in materia, & forma, quam sit in domo.

Sed dices quod Sacramentum non ideo non est compo-

situm physicum ex materia, & forma, quia in materia sit maior, vel minor compositio, vt contingit in domo, sed quia nulla datur physica vnio formæ ad materiam, sicut datur figuræ ad materiam domus, verba namque realiter, & physici vniri non possunt cū propria materia verbigratia, *Ego te baptizo, &c.* cum ablu-tione, nam si semel hæc vnio physica verborum, cum materia dari posset, non posset negari quin ex tali materia, & forma vnum physicum artificiatum non coalesceret, sicuti ex materia, & forma domus. Sed contra quia non minus vnitur figura, materiæ domus, quam vniatur forma Sacramenti propriè materiæ, seu quam vniantur verbaque sunt forma Sacramenti, materiæ; sed figura vnitur materiæ domus realiter; ergò etiam verba propriè materiæ. Maior in qua est difficultas probatur, quia non minus figura domus determinat materiam domus, quam verba Sacramentalia determinent materiam Sacramenti; ergò non minus figura domus determinat

minat materiam domus quæ
 verba Sacramentalia mate-
 riam Sacramentalem. Con-
 sequentia tenet nam non po-
 test poni vera, & physica
 materiæ determinatio nisi per
 realem formæ vnionem, for-
 ma namque non aliter deter-
 minat materiam nisi per da-
 tionem sui, seu per realem
 vnionem. Antecedens pro-
 batur, quia ita sunt indeter-
 minati lapides, & ligna ad
 formam domus, quam sit ab-
 lutio ad gratiam sanctifican-
 tem significandam, imò ma-
 iorem indeterminationem ha-
 bent lapides, & ligna ad for-
 mandam domum, quam ha-
 beat exterior aquæ ablutio
 ad significandam gratiam;
 ergo sicuti figura determinat
 lapides ad figurandam domū,
 ita verba determinat mate-
 riam Sacramentalem ad signi-
 ficandam gratiam.

Sed dices quod figura de-
 terminat materiam domus ad
 figurandam domum physicè,
 quia, & figura, & materia
 realiter existunt, at in Sacra-
 mentis non sic, quia verba
 prolatione finita non amplius
 manent. Sed contrà; quia

in primis hoc nihil facit respe-
 ctu Sacramentorum quæ in-
 fieri, & vsu perficiuntur; suf-
 ficienter enim verba manent
 quamdiù res ipsa manet; re-
 spectu verò Sacramenti quod
 in facto esse manet, verba ma-
 nent virtualiter, quatenus
 primò determinarunt mate-
 riam ad talem significatio-
 nem, & in tali determinatio-
 ne tamquam in sua virtute
 verba manere censentur, sicut
 elementa dicuntur manere
 in mixto ratione suarum qua-
 litatum quæ sunt ipsorum e-
 lementorum virtutes.

Secunda ratio est, quia
 Sacramenta, vt infra videbi-
 tur, sunt instrumenta physica
 gratiæ, quatenus physicè in-
 strumentaliter gratiam cau-
 sant; sed non possent Sacra-
 menta esse causa physica in-
 strumentalis, nisi essent vnum
 physicum; ergo Sacramenta
 si sunt instrumenta physica,
 debent esse vnum physicum.
 Maior infra probabitur. Mi-
 nor ostenditur; quia eo modo
 causa causet quo est, operari
 enim sequitur ad esse; ergo
 si Sacramenta sunt causa phy-
 sica, debent habere esse phy-
 sicum.

ficum, non plura esse; ergo vnum; si enim Sacramentum esset plura esse physicè, esset plures causæ physicæ, & tunc vel totales, vel partiales, non totales, quia vnus & idem effectus non potest pendere à pluribus causis totalibus; non partiales, quia vel componerent vnã totalem, vel præcisè concurrunt, vt partiales: si primum habemus intentum: Secundum dici nequit, quia est vnica instrumenti assumptio, & non multiplex etiam partialiter, vt patet; ergo &c. Sed soluamus argumenta in oppositum.

Primum argumentum est, quia ad hoc vt compositio materiæ, & formæ Sacramentalis, esset realis, & physica, deberet forma in materia physicè subiectari, sed forma Sacramentalis, nempe verba, non subiectantur in materia Sacramentali; ergo materia, & forma Sacramentalis non faciunt compositionem Sacramentalem veram, & physicam. Maior est certà, vnio namque physica inter materiam, & formam non fit nisi

per realem subiectionem formæ in propria materia. Minor probatur; quia ablutio, quæ est Baptismi materia in baptizato subiectatur, verba verò in sacere, nec vllus vnquam dixit quod forma Baptismi, nempe verba, *Ego te baptizo* in ipso baptizato subiectantur.

Respondet Nugnus, quod nullum est inconueniens asserere quod Deus, qui tot supernaturalia facit in isto artificio, perducatur verba vsque ad abluionem, ita vt realiter tangant illam, & sic multo melius fit hoc artificiosum vnum, quando ablutio, & verba secundum aliquam partem sunt simul.

Sed hæc solutio sustineri non debet, cum finè necessitate ad miracula recurrat; finè namquè euidenti necessitate, noua non debent induci miracula.

Respondetur ergo primò, quod nõ est necessè, quod verba pertingant ad abluionem secundum suum esse reale physicum, sed sufficit, quod ad illam pertingant secundum esse reale intentionale; quod esse

esse intentionale sic vocatur non quia non sit quoddam verum esse physicum, & reale, sed quia cum sit minimè entitatis, & debilissimæ, tali vocitatur nomine. Verba ergò sic pertingentia ad materiam Sacramenti illam sufficienter determinant, tanquam vnicum, & verum, & physicum instrumentum ad significandam, & causandam gratiam in suscipiente.

Respondetur secūdo, quod si daretur casus, quo verba neque intentionaliter ad materiam Sacramentalem peringerent, adhuc fieret Sacramentum; quia tunc curret oppositæ sententiæ probabilitas, qua per accidens moralis similtas sufficeret, in defectum physicæ, quæ per se poni petitur, licèt per accidens possit fortè non poni &c.

Secundum argumentum, quo aduersarij conuincuntur est: quia compositio physica actu existens debet fieri ex partibus actu existentibus; sed materia, & forma Sacramenti multoties actu non existunt; ergò non possunt vnum physicum componere. Ma-

ior clara est. Minor probatur in duobus potissimum Sacramentis Eucharistiæ scilicèt & Pænitentia, in quorum primo manent species Sacramentales, quæ sunt illius Sacramenti materia, quando non sunt amplius verba, transfactis enim verbis, Sacramentum manet, cum sit Sacramentum facti esse. Similiter in Sacramento Pænitentia dantur verba, quando iam materia nempè confessio desijt.

Respondetur concessa maiori negando minorem; ad probationem dico cum Nugno, quod quandiu manent species Sacramentales, manent etiam verba virtualiter, seù in sua virtute; verba namque à principio determinarunt illas species ad significandam, & producendam gratiam per modum nutritionis spiritualis, inò etiam ad significandum Christi Corpus præsens; & sic patet quomodo fiat vera, & realis compositio ex partibus simul existentibus. Similiter confessio Sacramentalis reliquit quemdam modum, quo pænitens remansit determinatus ad hoc

vt adueniente forma, nempè Sacramentali absolutione, fieret vnum physicum compositum, quod per modum vnius & integri instrumenti assumatur ad significandam, & causandam gratiam sanctificantem. Nec valet dicere quòd ista sit potius modorum compositio, quam rerum, & verborum, cum loco illorum subrogentur. Nam non fit hæc compositio ex modis præcisè, sed pro vt sunt rerum, & verborum virtutes, quod est sufficiens ad hoc quod talis compositio fieri dicatur ex rebus, & verbis.

Tertium argumentum est; quia si ob aliquam rationem requireretur realis compositio ex materia, & forma Sacramentali, maximè quia Sacramentum debet esse quid vnum in ratione instrumenti assumptibilis ad significandam, & causandam gratiam; sed hæc ratio non vrget; ergò nõ requiritur realis, & physica compositio in materia, & forma Sacramentalibus, sed sufficet moralis. Maior videtur certa. Minor probatur, quia potest aliquid assumi

tanquam instrumentum ad aliquid significandum, & etiã efficiendum absque eo quod eius partes aliqua reali vnione vniantur, vt cum pictor assumit penicillum tanquam instrumentum ad pingendum cuius tamen partes aliqua vnione non copulantur, similiter manus, & calamus, absque tali vnione sunt scribentis instrumentum, malleus artificis, &c. ergo etiam in casu præsentis.

Respondetur concessa maiori, negando minorem, ad probationem dico non requiri in nostro casu compositio nem physicam præcisè ratione instrumenti, nam vt patet ex exemplis adductis, ad rationem instrumenti vt sic talis physica vnio non requiritur, sed quia nostra instrumenta ex sui natura hoc petunt, non enim sunt quoquomodo instrumenta, sed in linea instrumenti tenentia primum locum quippè cum petant constare (vt ex Concilijs constat) ex materia, & forma, tanquam ex partibus componentibus, seù petunt constare ex rebus, & verbis tanquam

quam ex materia, & forma; patet autem quod constare ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma aliquid amplius dicit quam habere partes quoquomodo, sed unitas eo modo quo partes sunt; cum ergò partes sint physicae, etiam unitas physica erit; & cum habeant rationem materiae, & formæ, unio erit physica ex materia, & forma, &

vnun̄ nempè forma debet recipi in alio tanquam in subiecto, &c. Igitur cum supremum infimi attingat infimum supremi, & Sacramenta sint in linea instrumenti, supremum debent pertingere ad infimum compositi physici, & per consequens debent habere vnionem realem partium, infimam tamen in genere physice vnionis.

QVAESTIO III.

Vtrum res Sacramentorum, seu vtrum materia Sacramentorum debeant esse determinate taliter quod nemini liceat illas mutare.

PRO huius difficultatis plena intelligentia aliqua, vt certa præsupponenda sunt. Primum est, quod Sacramenta ita debuerunt in omni lege institui, vt sub certis, ac determinatis rebus conficerentur, cuius rei elegantem tradit Angelicus Doctor rationem, huius quæstionis art. 5.

quia hætenus aliter in nulla lege factum est: quæ ratio in re morali ostendit aliter fieri non debere. Tum quia cum de Sacramenti essentia sit esse interioris sanctitatis signū debet esse res signata, & determinata quæ talem sanctitatem valeat significare. Tum etiam quia Sacramen-

rum est quædam cæremonia ad Dei cultum pertinens, & sic debet esse aliquo modo determinata, vt per illam fideles Deum valeant colere. Tum denique, quia Sacramentum est id per quod Dei cultores à non cultoribus discernuntur, hoc autem non potest nõ esse aliquid determinatum; ergò in omni lege Sacramenta sub certis, ac determinatis rebus confici debuerunt.

Secundò præsupponendum est, in quo etiã omnes conueniunt, quod res, seu materiæ Sacramentorum legis naturæ minus fuerunt determinatæ, quam in lege fuerint Mosaica, quod etiã docet D. Tho. in eodem articulo 5. ad tertium. In lege namque naturæ Sacramentorum materiæ in confuso dumtaxat determinatæ fuerunt, nempè res aliquæ sensibiles, & externæ, quæ assumebantur ad gratiam significandam, quæque ex solo interiori instinctu Dei sumebantur; cum enim naturæ lex non nisi in hominum cordibus scripta esset, congruum fuit quod illius legis Sacramenta haberent res ex ho-

minum cordibus procedentes. Sed quid si aliqua res publica interiori Spiritus Sancti instinctu Sacramentorum materiam magis in particulari determinasset, & aliquis illius Reipublicæ determinaret propria voluntate aliud signum; an Sacramentum fuisset validum? Cabrera, & alij hoc articulo 5. partem tuentur affirmatiuam, quia adhuc materiæ determinatio à Deo facta maneret, & per consequens verum esset Sacramentum. Nihilominus verior Sententia est, quod nullum fuisset Sacramentum illius particularis; cum enim in tali casu Reipublica ex Dei instinctu materiam determinasset, illi standum esset, cum specialior determinatio tollat generalem, vt patet in Sacramento Matrimonij, & Ordinis in lege noua, quia enim Christus Dominus in his Sacramentis minus determinatam reliquit materiam, & specialem magis determinationem Ecclesiæ reliquit, facta semel ab Ecclesia hac determinatione, non possunt illa Sacramenta amplius confici,

fici, nisi in materia ab Ecclesia determinata; ergò &c.

Tertiò præsupponendum est, quod nouæ legis Sacramenta sunt determinata quoad materiam vel in specie, vel in genere: in specie vt in baptismo aqua elementaris, in genere vt in Eucharistia panis, & vinum, vt magis patebit ex infra, & suis locis dicendis. His ergò positis quærimus an Sacramentorum nouæ legis materiæ à Christo Domino modo dicto determinatæ, possint mutari, & ad libitum variari.

Prima sententia est Bezzæ hæretici affirmatiua, in Epistola namque secunda ad Tiliolum dicit quod vbi panis, & vini nullus est vsus, vel certo tempore nulla copia, tunc rectè celebrabitur Sacramentum Eucharistiæ, si quod supplet vicem panis, & vini, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione, loco panis, & vini adhibeatur; item si desit aqua, & Baptismus differi nõ possit, tunc Baptismus celebrari poterit alio quouis liquore.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. Nullo licitum est Sacramentorum nouæ legis materias immutare. Hæc conclusio est certa, apud omnes Catholicos, & tradunt omnes Scholastici in 4. dist. 1. & Theologi cum D. Tho. 3. p. q. 60. artic. 8. Et quatum spectat ad aquam, quæ est Sacramenti Baptismi materia, est definita in Trid. sess. 7. can. 2. & ab August. lib. de hæresibus hæresi 64. contra Aquarios, & quantum ad omnia Sacramenta etiam definita est in eodem Tridentino sess. 21. cap. 2. vbi dicit: *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret: vbi vt vides Concilium vult Ecclesiam posse aliqua circa Sacramenta statuere, quæ ad Sacramenti substantiam non pertinent, cum velit semper debere saluari Sacramentorum substantiam*

tiam . Probatur conclusio ratione . Nullus potest nisi solus Deus Sacramenta instituere ; ergò nullus potest nisi solus Deus Sacramentorum materias variare . Antecedens patet ex dictis , & patebit magis ex infra dicendis ; illius enim est Sacramenta instituere , cuius est rem sensibilem , vel etiam insensibilem eleuare ad gratiam sanctificantem significandam , & etiam causandam ; sed nulla potestas creata valet eleuare rem materialem ad significandam gratiam sanctificantem ; ergò nulla potestas creata valet Sacramenta instituere . Consequentia ex antecedenti colligitur : nam mutare Sacramentorum materias , est facere quod illa materia , quæ prius gratiam non signabat , modo signet ; sed hoc non potest facere nisi qui Sacramentum potest instituere ; ergò nullus potest Sacramentorū materias mutare nisi qui potest instituere , & per consequens cum solus Deus possit Sacramenta instituere , solus etiam Deus poterit Sacramentorum mate-

rias mutare . Hęc ratio est D. Thomæ hic art. 5. vbi elegantè sic loquitur . *Non pertinet ad aliquem determinare , quod est in potestate alterius , sed solum id quod est in sua potestate . Quia ergò sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis , non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur , sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum .* Ita D. Thomas . Soluuntur argumenta partis oppositæ .

Primum argumentum quo maximè fidit Beza est ad probandum , quod Eucharistiæ Sacramentum tempore præsertim necessitatis possit confici in alio quam in pane , & vino . Nam Christi Domini mens Eucharistiæ Sacramentum instituentis fuit , vt propositis earum rerum signis , quibus nostrum alitur Corpus , spiritualement repræsentaret alimoniam ; sed nostrum corpus non solum alitur pane , & vino , sed alijs etiam rebus ; ergò etiam in alijs rebus spiritualis repræsentari potest alimonia ; ergò etiam
in illis

in illis confici potest Christi Corpus, & Sanguis. Hoc idem argumentum conficit de Baptismo; cum enim hoc Sacramentum institutum sit, ad significandam interiorem animæ abluionem per externam abluionem corporis, sequitur quod per quemcumque liquorem, qui quoquomodo inferuire potest ad Corporis extersionem, significari poterit interna extersio, seu mundities, seu ablutio animæ, & per consequens deseruire poterit pro materia Sacramenti Baptismi.

Respondetur, quod mens Christi Domini non fuit representare spiritualem animæ alimoniam per quamcumque rem per quam quocumque modo alitur Corpus, sed per eam dumtaxat, quæ est communis hominum cibus, & qua ut plurimum homines in conuiujs vtuntur; fuit enim sacra mensa per modum conuiuij instituta; patet autem, quod communior cibus, & potus conuiuiorum est panis triticus, & vinum vitis; ergo Christi mens fuit solum in his duobus Sacramentis

instituire, &c. Similiter Christi Domini mens dum Baptismi Sacramentum instituit non fuit per quamcumque rem, qua fit Corporis extersio, seu ablutio, significare interiorem animæ extersionem, & abluionem, sed per eam quæ vbique gentium ad extersionem sordium deseruit, hoc autem non est quicumque liquor, sed aqua elementaris vt patet.

Secundum argumentum est, quia Concilium Tridentinum de facto Sacramenti Matrimonij materiam immutauit: Similiter materiam Sacramenti ordinis; ergo Sacramentorum materiæ mutari possunt. Consequentia tenet. Antecedens probatur: nam si loquamur de Matrimonio à Concilio fuit immutatum, nam antè Concilium Matrimonium Clandestinum erat verum matrimonium, & etiam modo, vbi Tridentinum non est acceptatum, vbi verò est acceptatum non amplius valet; ergo &c. Quoad ordinem verò etiam eius materia est mutata, tempore namque Apostolorum non erat

erat Liber Euangeliorum qui traderetur, nec erat aliorum ordinum materia determinata, nec tales traditiones, ut modo, & post Concilium Carthaginense quartum adhuc non erant assignata instrumenta, quæ ordinandis traderentur, ut modo assignata sunt; ergò horum, & aliorum Sacramentorum materiæ mutari possunt cum sit omnium vna, eademque ratio. Aliqui ab hoc argumento facile se expediunt sequentes sententiam Magistri Cano, quam hic probabilem dicit Nugnus, nimirum quod nunquam matrimonium fuit Sacramentum sine Sacerdote, qui est huius Sacramenti necessarius minister, ita quod nec ante Tridentini Decretum, nec post quoquomodo matrimonium celebretur sine Sacerdote ministrante, licet contractus materialis sit, Sacramentum tamen nullomodo, sed quia hæc sententia communiter reicitur, propterea aliter ad argumentum respondendum est, prænotando tamen prius cum eodem Nugnez, & cum alijs de hac ma-

teria scribentibus, quod in cuiuscumque Sacramenti datur suum formale, & suum materiale, verbigratia in aqua datur forma aquæ, et materia aquæ, in vino datur forma vini, & materia vini, in pane datur forma panis, & materia panis, & in re matrimonij datur forma illius rei, & materia eiusdem, in ordine similiter datur materia, & forma rei eiusdem ordinis; Deus ergò determinavit Sacramentorum materias quoad formale illarum non quo ad materiale, iuxta tamen naturam cuiuscumque Sacramenti, vnde si saluata forma aquæ eius materia mutaretur, talis res esset sufficiens Sacramenti Baptismi materia, similiter si in pane, & vino, quæ sunt res Sacramenti Eucharistiæ saluata forma mutaretur panis, & vini materia sufficienter in illis Eucharistiæ Sacramentum subsisteret. Similiter in Sacramento matrimonij determinavit Christus Dominus illius materiam quoad esse formale illius non quoad esse materiale eiusdem, vnde cum materiale materiæ, seu rei

rei matrimonij, cum sit ratio materialis contrahens, substat Ecclesiæ potestati ab ea mutari potuit relicto formali eiusdem; & sic Ecclesia non mutavit Sacramenti matrimonij materiam formaliter, sed non mutavit formam illius materiæ, sed solum id quod purè materiale est. Materia namque Sacramenti matrimonij formaliter est contractus humanus sufficiens ad exprimendum mutuum coniugum consensum, & hanc non immutavit Ecclesia, sed solum fecit, quod non poneretur sufficiens ratio contractus naturalis sufficiens ad exprimendum hunc mutuum consensum, nisi in præsentia Parochi, & testium. Hoc idem dicendum est de materia Sacramenti Ordinis, Apostolorum namque tempore, & tempore Concilij

Carthaginensis, non erat quidem determinata materia, materialiter huius Sacramenti, sed formaliter dumtaxat, quatenus erat aliquid sensibile sufficiens ad exprimendam traditionem potestatis cuiuscunque ordinis, postea Ecclesia talem materiam, etiã materialiter determinavit. vnde ad argumentum verbo vno respondetur: Ecclesia non potest variare Sacramentorum materias, quæ sunt res aliqua materialis vt aqua in Sacramento Baptismi, panis, & vinum in Sacramento Eucharistiæ &c conceditur; non potest Ecclesia variare illas materias, quæ propriè subsunt potestati, & iurisdictioni negatur, si intelligatur materialiter, inpropriè, & remotè, secus formaliter, proximè, & propriè.



QV. AESTIO IV.

*Vtrum verba formæ Sacramentorum
debeant esse determinata.*

Verba quantum ad præ-
sens attinet institutū
in triplici sunt genere, alia
dicuntur promissoria, alia
concionatoria, & alia conse-
cratiua. Lutherani, & etiam
Caluinistæ, vt videre est apud
Danæum ad caput 19. quartæ
controuersie Belarmini, vo-
lunt requiri quidem determi-
nata verba, sed illa esse debe-
re promissoria, volunt enim
*Sacramentum esse dumtaxat,
quoddam sensibile testimonium
nostræ cum Deo reconciliatio-
nis, beneficio apprehedentis fi-
dem, & sic Sacramentorum
verba solum erunt quædam
promissiones reconciliatio-
nis, quam facit Deus media
fide Sacramentum suscipien-
tis. Sed hoc omninò falsum
est, quod sic ostendo; primò,
quia si verbum promissorium
esset de essentia Sacramenti
vt sic, esset etiam de essentia
omnis Sacramenti; sed non*

est de essentia omnis sacra-
menti; ergo nullius. Maior
ex se patet. Minor probatur.
Accipiamus verba sacramen-
ti Baptismi, *Ego te baptizo &c*
illa verba nullam denotāt pro-
missionem per fidem Bapti-
zantis, sed denotant, vt pa-
tet ablutionem animæ interi-
orem per gratiam, quàm &
significant, & causant; ergò
&c. Similiter verba, quibus
Eucharistiæ sacramentum cō-
ficitur nempè, *Hoc est Corpus
meum, & Hic est Calix San-
guinis mei*, nullam important
promissionem, sed actualem
consecrationem; ergò &c.
secundo quia si hæc, & alia,
sacramenta per verba fierent
promissionum, non per illa ci-
tata, sed potius per alia, quæ
in sacra reperiuntur scriptura
fieri deberent: sed hoc nec
ipsi hæretici admittunt; ergò.
maior probatur; quia si illa
sacramenta deberent fieri per
verba

verba promissoria, certè deberent esse illa, quæ aliquam videntur in Scriptura præferre promissionem, quam illa quæ nullam; sed dantur alia verba, quæ aliquam præferunt promissionem; ergò per illa fieri deberent, & non per assignata. Minor probatur, quia loquendo de Sacramento Baptismi maiorem præferunt promissionis rationem illa verba Christi Domini, Mat. 26. *Qui credideris, & baptizatus fueris, saluus eris, &c.* quam ista: *Ego te baptizo, &c.* Similiter loquendo de Sacramento Eucharistiæ maiorem rationem promissionis præferunt illa verba Christi Io. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo, & tamen nec ipsi hæretici hisce utuntur verbis, ut videre est apud illos; ergò &c.*

Præter verba promissoria requirunt iidem Lutherani, & Calvinistæ in formis Sacramentorum etiam verba concionis non tanquam partem essentialem Sacramenti, sed solummodo tanquam aliquid requisitum ut forma

Sacramenti percipiatur. Sic Calvinus lib. 4. instit. cap. 14 §. 4. Beza quæst. 131. 132. & 133. Sed hoc etiam falsum est, quia Apostoli omnes, Iuda excepto, acceperunt per manum Christi Eucharistiæ Sacramentum in vltima Cæna cum fructu, & tamen nullum ibi præcessit verbum concionale; ergò ad hoc ut quis Sacramentum cum fructu recipiat, verbum concionale non prærequiritur. Maior est certa, & clarè colligitur ex illis verbis Christi: *Vos mundi estis, sed non omnes.* Io. 13. Minor probatur, quia verbum concionale per illos est illud quod facit venire in cognitionem recipientem Sacramentum, quod signum illud visibile signet, sed antè Apostolorum communionem nullum tale verbum præcessit; ergò &c. antè enim Eucharistiæ institutionem, pedum lautio immediatè præcessit non verbum concionale, quod faceret venire Apostolos in cognitionem illius, quod Sacramentum Eucharistiæ significaret.

Nec fundamentum hæreticorum

corum aliquid euincit ; quia inquirunt si non adhibeantur verba concionatiua , sed ritualia , seu consecratiua vt nos vocamus , sequeretur quod Sacramenta essent potius res quædam magicæ quam sacræ ceremoniæ : hoc dici nequit ; ergò &c. Sequelam probant ; quia verba consecratiua secundum vsum Catholicorum sunt demurmurationes supra aquam , vel panem , vel vinum vel supra inanima , & muta elementa ; hoc ad magiam pertinet ; ergò &c. est enim magia , & incantatio loqui rebus inanimis , & elementis , præsertim cum fiat per subtractionem doctrinæ , quæ plebi fieri deberet &c.

Respondetur enim , quod proferre verba super rem inanem ex pacto expresso , vel tacito dæmonis , est quid ad magiam pertinens ; At proferre verba consecratoria super elementum , vel panem , vel vinum , &c. ex Christi Domini institutione non ad magiam , sed ad veram pertinet religionem , vt patet . His reiectis .

Conueniunt Catholici om

nes , verba formæ Sacramentorum esse consecratoria , seu ritualia , vt de singulis loquētes explicabitur. Difficultas ergò præsens est , an debeant esse determinata : pro quo nota duplitem distingui posse determinationem in verbis , materialem vnã , formalem alteram , materialis ea est , quæ verba formæ secundum illud idioma , quo proferuntur , considerantur , vt sunt Latina , Græca , Hebraica , Italica , Germanica , Gallica , &c. Formalis determinatio illa est , quæ secundum sensum verborum consideratur , quatenus verba formæ quocumque proferantur idiomate eundem retinent sensum , seu significationem . Certum est apud omnes non requiri determinata verba materialiter vt patet ex vso omnium Ecclesiarum ; nam cum certum sit Christum Dominum , quando instituit Sacramentorum formas fuisse locutum Hebraicè , vel Syriacè , tamen Ecclesia Latina vtitur idioma te latino , & Ecclesia Græca , idioma te græco , &c. si autem Christus determinasset for-

mas Sacramentorum materialiter, verbigratia Hebraicè, solum in illa lingua Sacramenta conficerentur, non in alijs, quod est falsum, & contrà vsus omnium Ecclesiarum, & in hoc etiam hæretici nostri temporis conueniunt. Difficultas ergò præsens est an Sacramentorum formæ debeant esse determinatæ formaliter.

Prima sententia est aliquorum Iuris Canonici Doctorum, vt Ionno, in cap. 1. de Baptismo. Felin. in cap. quæ de Ecclesiarum de constitutionibus. Quatenus dicunt quod in Ecclesia Græca in Sacramento Baptismi sufficiunt ista verba. *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, &c.* At si quis in Ecclesia Latina vteretur eadem forma non conficeret Sacramentum, sed Ecclesia Græca vti debet forma Græca, & Ecclesia Latina vti pariter debet forma latina alioqui Sacramentum non conficietur, quod idem dicunt de aliorum Sacramentorum formis, & sic in sententia horum doctorum vnaquæque Ecclesia proprias

habet Sacramentorum formas, & sic formæ Sacramentorum non sunt determinatæ, nec materialiter, nec formaliter &c.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentorum formæ sunt determinatæ formaliter. Et sic teneret Sacramentum, verbigratia Baptismi quocumque idiomatè forma eiusdem Sacramenti proferatur, licèt vnaquæque Ecclesia suum debeat sequi vsus, & ritum. Hæc conclusio est ab omnibus Theologis recepta, vnde non est necessè aliquem in particulari referre. Videatur D. Th. hic ar. 7. & omnes eius expositores.

Probatum primò conclusio ratione, qua vtitur D. Th. loco mox citato. In Sacramētis requiritur determinatæ materia formaliter; ergò etiam requiruntur determinatæ verba formaliter. Antecedens ostensum est quæstione præcedenti. Consequentia probatur; quia in quocumque composito semper magis requiritur determinatæ forma, quam materia; ergò si in Sacramen-

cramentis requiritur determinata materia formaliter, multo magis requiretur determinata forma formaliter; forma namque, ut dicit D. Tho. est illa quæ habet materiam in compositis determinare.

Probatur secundò: quia si Sacramentorum formæ non essent determinatæ formaliter, ita quod illa forma, quæ in vno loco est sufficiens non esset in alio; vel hoc esset ex Christi auctoritate, vel Ecclesiæ; neutrum dici probabiliter potest; ergò Sacramentorum formæ formaliter sunt determinatæ. Maior certa est, non enim est aliud assignare à quo talis indeterminatio delumi possit. Minor probatur, quod non à Christi auctoritate, quia licet potuisset Christus Dominus instituere pro singulis idiomaticis singulas formas, tamen nec fecit, nec fuit conueniens quod sic fieret; ergò &c. quod hoc non fecerit, patet, quia in nullo Euangeliorum talis variarum formarum institutio reperitur: quod nequæ hoc fuerit conueniens breui-

ter ostendo, quia cum Christus vnicam instituerit Ecclesiam toto orbe dispersam, vnicam etiam pro singulis Sacramentis verborum formam formaliter instituere debebat. Tum quia si pro diuersis locis diuersas instituisset Sacramentorum formas, cum sit eadem temporum ratio, quis etiam dicere posset, quod etiam pro diuersis temporibus diuersas etiam instituisset sacramentorum formas, quod tamen nemo dicit; ergò &c. Quod autem talis formarum indeterminatio non possit desumi ex Ecclesiæ auctoritate, etiam patet, quia Ecclesia ut infra quæst. 64. dicitur, non habet potestatem sacramenta instituendi; ergò nequæ eorum formas formaliter immutandi; dixi formaliter quia materialiter posset Ecclesia sacramentorum formas immutare, ut docet Nugnus hic, & alij plures, verbigratia si Ecclesia faceret. l. facere posset de quo modo non disputo, quod hæc vox corpus non significaret corpus, tunc hæc verba: *Hoc est Corpus meum*: non essent forma consecrationis, quia

tunc

tunc variaretur forma materialiter, non formaliter, variando significationem; variata autem significatione non maneret amplius eadem vox formaliter, maneret tamen materialiter, quia maneret eadem dictionis prolatio. Sed soluamus potissimum partem oppositæ fundamentum.

Potissimum sententiæ oppositæ fundamentum est, quia Apostolorum tempore quædam Sacramenti Baptismi forma erat sufficiens, quæ postea non fuit, nec modo est; ergo huius, & per consequens aliorum Sacramentorum formæ non fuerunt à Christo Domino determinatæ. Consequentia tene; si namque semel Sacramenti forma est determinata, semper fuit determinata & sic semper fuisset eadem formaliter, & quæ aliquando fuit sufficiens, semper sufficiens esset. Antecedens probatur, quia Apostolorum tempore Baptizabantur homines *in nomine Christi Iesu*, ut Actorum secundo, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu*. & cap. 8. *Baptizati tantum erant in nomine Do-*

mini Iesu, & cap. 10. *Iussit eos baptizari in nomine Domini Nostri Iesu Christi*. Modò autem requiritur Sanctissimæ Trinitatis expressio; ergò &c.

Respondetur primò, cum D. Thoma infra quæstione 66. art. 6. ad primū ubi habet: *Ex speciali Christi reuelatione Apostoli in primitiua Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum Iudeis, & Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo*. Hæc ille.

Respondetur secundò cum Soto in 4. dist. 3. artic. 6. Cano lib. 6. de locis cap. 8. & est communis modernorum sententia, quod nunquā Deus dispensauit in forma Sacramenti Baptismi. Undè ad loca Sacræ Scripture adducta dico, quod Apostoli dicuntur baptizasse, *in nomine Iesu*, vel *Christi*, primò, quia auctoritate illius baptizabant per eandem, quam nos utimur, formam. Sicuti cum dicitur Marci ultimo *in nomine meo demonia eiciens non*

non est sensus, quod deberent eicere per inuocationem expressam sui nominis, sed sensus est, quod eius virtute, & auctoritate dæmonia essent eie&uri. Secundò, quia baptizabant, *in nomine Iesu*, vel *Christi*, expressè addito formæ hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Domini Nostri Iesu Chris-*

ti, & Spiritus Sancti. Tertid, quia baptizabant, *in nomine Iesu* non expresso, sed virtualiter contento in forma baptismi; eo enim ipso quod baptizabant *in nomine* etiam *Filij* in quo continetur *nomen Iesu, & Christi*, etiam in his nominibus censebantur baptizare.

QVAESTIO V.

Quo casu nullum est Sacramentum ratione mutationis verborum formæ.

Vera, & communis Theologorum sententia est, mutationem materiæ, & formæ quando substantialis est, nullum reddere Sacramentum, secus quando accidentalis: tunc autem materiæ mutatio substantialis est, quando est tanta, vt iuxta communem conceptum, & vsum hominum, nomine, & ratione non conueniat cum ea, quam Christus præscripsit, & qua Ecclesia vitur: & sic

cum Christus Dominus aquâ præscripserit naturalem, vt Sacramenti Baptismi materiam, si quis aqua vtatur rosea nullum conficiet Sacramentum; secus si aqua sit calida, vel frigida; tunc verò tam materiæ, quam formæ mutatio accidentalis est, quâdo conseruatur Christi Domini instituentis præscriptum. Et quia ex dictis, & ex dicendis suis locis, & ex dicendis de mutatione formæ, constabit

bit quid de mutatione
 materiæ dicendum sit, prop-
 terea missam facio agere de
 materiæ mutatione, ageudo
 dumtaxat de mutatione for-
 mæ: sex autem modis fieri po-
 test mutatio in forma Sacra-
 mentali. Primò per solam
 verborum mutationem. Sec-
 undò per additionem vnius
 vel plurium vocum. Tertio
 per detractionem vnius, vel
 plurium similiter vocum.
 Quartò per corruptionem vni-
 us vocis, vel plurium. Quin-
 tò per transpositionem vnius,
 vel plurium vocum, seù dic-
 tionum. Sextò per interpo-
 lationem, quando scilicet ali-
 quid effluit temporis inter
 prolationem vnius vocis, vel
 dictionis, & alterius, vel inter
 vnam syllabam eiusdem dic-
 tionis, & aliam, quæ omnia
 maiori qua poterimus breui-
 tate, & claritate explicabun-
 tur.

Circa verborum mutatio-
 nem, dico quod si fiat solius
 idiomatis, seù linguæ muta-
 tio Sacramentum tenet, vti
 si proferantur verba, verbi-
 gratia Baptismi, lingua Lati-
 na, Italica &c. Secundò di-

co Sacramentum etiam tene-
 re si fiat diuersarum lingua-
 rum, seù idiomatum commix-
 tio in eadem forma, vt si
 quis proferat vnam dictionem
 formæ Baptismi latinè,
 & aliam Italicè, &c. quod re-
 cte obseruauit Caietanus art.
 7. huius quæstionis. Ter-
 tiò dico tenere Sacramentum,
 si consuetæ formæ verba in
 alia synonyma eiusdem idio-
 matis mutantur, vt si quis lo-
 co verbi *baptizo*, dicat *abluo*;
 illa autem verba dicuntur sy-
 nonima quæ idem profus si-
 gnificant explicitè, & distin-
 ctè; quod debet notari, quia
 defectu huius distinctæ signi-
 ficationis non esset validus
 Baptismus, qui hac verborum
 forma conficeretur: *Ego te*
baptizo in nomine Sanctissime
Trinitatis: aut in nomine
Primæ Personæ, Secundæ, &
Tertiæ; quia licet Sanctissi-
ma Trinitas sit idem, quod
Pater, Filius, & Spiritus San-
ctus; & licet Prima, Secunda
& Tertia Persona, sint idem
quod Pater, Filius, & Spiritus
Sanctus, tamen quia ista no-
mina non significant idem
 eodè modo, & distinctè, prop-
 terea

tereà Sacramentū nullū esset.

Circa secundum, quando nimirum fit formæ mutatio per additionem vnius, vel plurium vocum; dico quod si talis additio sensum formæ corrumpat, Sacramentum nullum est, vt patet; secus quando non corrumpit; regula autem generalis ad dignoscendum quando additio sensum verborum formæ corrumpat, hæc esse potest; nimirum quando verba, quæ adduntur faciunt cum præcedentibus sensum falsum: vt si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris, & Spiritus Sancti minimi*: Secus si dicat: *Ego te Baptizo in nomine Patris generantis, & Filij geniti, & Spiritus Sancti procedētis*, quia faciunt sensum verum cum prioribus, & eundem quem prius; &c. Si autem quis dicat: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatissima Virginis* Sacramentum nullum erit, si sic baptizans intendit a quæ baptizare in nomine Virginis, ac in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti, secus

si intenderet solum in tali additione postulare Beatissimæ Virginis intercessionem.

Circa tertium, quando verba formæ mutantur per deductionem vnius, vel plurium vocum: breuiter dico, quod si deductio tollat formæ sensum, Sacramentum nullum est, secus si non tollat; vndè si quis baptizet hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritus Sancti* Sacramentum nullum est: si verò baptizet hoc modo: *Baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*, Sacramentum tenet. Idem dico de quarto quādo fit formæ mutatio per verborum corruptionem, vt si quis dicat: *Ego te Baptizo in nomine Patria, Filia, & spiritua sancta &c.*

Circa quintū, quando scilicet fit formæ mutatio per transpositionem, dico eodem modo, quod si fiat talis transpositio taliter quod verborum sensus tollatur, Sacramentum nullum est, secus si non tollatur. Vndè si quis baptizet hoc modo: *Ego te baptizo in nomine spiritus sancti, Filij, & Patris*: Sacramen-

mentum tenet: Secus si quis consecraret hoc modo, *Meum est hoc Corpus*, quia tunc variatur sensus formæ, & fit sensus, *hoc Corpus ad me pertinet*. Quando autem transpositio fit de actiua in passiuam significationem, dummodo semper retineatur eadem formæ significatio, semper fit Sacramentum.

Tandem circà interpolationem dico, quod Sacramentum nullum est, quando interpolatio est tanta iuxta viri prudentis existimationem, quod sensum formæ destruat: si verò est brevis, Sacramentum tenebit: vt si celebrans dictis verbis formæ, *hoc est Corpus*, vertatur, & dicat *taceas*, & statim subiungat *meum*, tunc verè consecrabit; quia talis interpolatio iudicio prudentis non est magna. Similiter, si inter verba formæ vel propter tussim, vel propter sternutum parum immoretur, interpolatio brevis censerur. Pariter si Baptizans dictis verbis, *Ego te baptizo*, dicat, *verte folium*, vel *hæc aqua est nimis frigida*, vel *nimis calida*, & deinde subiungat: *in nomine Patris, &*

Filij &c. Sacramentum tenet. Nota tamen quod quando tam in hoc, quam in alijs mutationibus non est satis exploratum an Sacramentum validum sit, nec ne, esset repetendum sub conditione, vel tacita, vel expressa vt omnes fatentur. His positis tria dubia breuiter expedienda sunt, ex quorum resolutione, hæc materia quam præ manibus habemus sufficienter explicata manebit.

Primum dubium est, an mutatio corruptiua sensus verborum facta ignoranter, vel inaduertenter, vel etiam scienter sinè animo introducendi aliquem ritum erroneum, cum intentione tamen faciendi quod facit Ecclesia, reddat Sacramentum nullum.

Prima conclusio. Mutatio corruptiua sensus verborum ex ignorantia, vel inaduertentia facta sinè animo introducendi errorem aliquem, dummodo remaneat sensus ex communi vsu, vel accommodatione, si adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia, facit verum Sacramentum. Ita omnes Theologi hic ar. 8. cū

D. Thoma, quod probat ex cap. *retulerunt* de Consecratione dist. 4. vbi declaratur Sacramentum hac forma collatum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti*, validum fuisse, si ille, qui sic baptizavit non haberit animum introducendi animum, quia ex sola ignorantia Romanæ loquutionis sic verba protulerit, tum quia verba ex communi usu, & accomodatione hic, & nunc proprium retinent sensum, & per cōsequens verū fiet Sacramentū.

Secunda conclusio. Mutatio corruptiua sensus verborum secundum eorum proprietatem, non tamen secundum communem usum, & accomodationem, facta scienter, sinē voluntate introducendi errorem, & cum intentione faciendi quod vera facit Ecclesia, valorem non tollit Sacramenti: patet, quia valor Sacramenti posita materia, forma, & intentione ministri non dependet ex ignorantia, vel inaduertentia, vel ex scientia ministri; ergo cum in hoc casu sint omnia prædicta, verum fiet Sacramentum; &

sic si quis sinē animo introducendi errorem, & cum debita intentione baptizaret hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & spiritus sancti*, faceret verum Sacramentum, quia ex communi usu, & accomodatione illa verba per talem corruptionē à propria non extraherentur significatione; ita communiter Theologi cum D. Thoma vbi supra.

Secundum dubium est, an mutatio corruptiua verborum Sacramentalium facta animo introducendi errorem oppositum vero sensui formæ, si remaneat eorundem verborum sensus secundum communem usum, & accomodationem, Sacramentum sit validum, vel nullum. Do exemplum: Sacerdos animohæreticus vbi quista pro Catholico habitus, vt humanitatis Christi Domini vbiquitatem introducat Missam celebrando sic consecrat: *Hic est Corpus Meum*, vsurpando illam particulam *Hic* aduerbialiter; tamen adstantes cum putent ipsum esse Catholicum existimant id facere, vel linguæ lapsu, vel

ex ignorantia, vel inaduer-
tentia, & sic accipiunt illam
particulam, *Hic*, loco parti-
culæ, *Hoc*, & sic ex quasi com-
muni usu, & accomodatione
pro eodem accipiuntur: in
hoc ergò sensu propositum
accipitur dubium; circa quod
duæ sunt sententiæ.

Prima est Tanneri hic di-
sput. 3, quæst. prima dub. 3.
asser. 3. & aliorum qui di-
cunt talem Sacerdotem ve-
rum conficere Sacramentum
& verè consecrare. Secunda
verior, & cõmunior est, quod
in casu posito, & alijs simili-
bus nullum conficiatur Sacra-
mentum, & est plana senten-
tia Sancti Tho. ar. 7. ad pri-
mum ubi explicans illud Au-
gustini, *quod verbum sacra-
mentale operatur non quia di-
citur, sed quia creditur*, dicit
sensum illorum verborum esse:
*Verbum sacramentale ope-
rari secundum sensum verbo-
rum qui fide tenetur.* & art. 8
dicit: *Verba operari in sacra-
mentis quantum ad sensum,*
quem faciunt, intellige ex par-
te proferentis, non audientis.
Nec deest sufficiens ratio;
quia verba formæ debent pro-

ferri à ministro eo sensu, què
Christus instituit, habet nam-
que verbasuam vim ab insti-
tutione Christi, qui licet vt
supra dicebamus non deter-
minauerit verba materialiter,
determinauit tamen formaliter,
idest quo ad suam signifi-
cationem; in hoc autem casu
certum est, quod nõ pronũcian-
tur verba ab illo Sacerdote eo
sensu, quem Christus instituit;
ergò &c. Tum quia Christus
instituit verba humana, de ra-
tione autem humanorum ver-
borum est, quod sint signa,
earum quæ sunt in anima pas-
sionum, quod in casu posito
non contingit. Tum etiam,
quia valor Sacramentorum
nouæ legis, quæ ex veris con-
stare debent verbis non pen-
det ab adstantibus, nec a mo-
do concipiendi illorum, sed
ex vera materia, & vera for-
mà Christo instituta.

Nec argumenta, quæ pro
Tanneri sententia fieri possunt
conuincunt; sunt autem ar-
gumenta talia. Primum si
Arianus nostra Baptismi for-
ma vtatur cum intentione
faciendi quod vera facit Eccle-
sia, verum conficit Sacramen-
tum;

GRANADA

tum, etiam si dum primo loco in forma pronunciat, *Patrē* intendat illum esse filio maiorem, & hunc errorem intendat introducere; ergo etiam in casu posito verum conficitur sacramentum: Antecedens est certum: vnde Ariani ad Ecclesiam reuertentes non rebaptizabantur; ergo &c.

Respondetur præsentem casum esse valde diuersum à nostro, in nostro enim casu fit formæ mutatio, profertur enim particula verbigratia, *Hic*, pro *Hoc*, at in casu Ariani baptizantis, nulla fit formæ mutatio; & licet Arianus mente, suam concipiat hæresim, cum tamen efficacem habeat voluntatem faciendi, quod Christus fecit, & eadem qua Christus vsus est forma, & ipse vtatur, verum conficit Sacramentum cum nullam habeat intentionem formæ contrariam, propterea ab Ariani baptizati, & ab alijs hæreticis, quando & materia, & forma, qua vsus est Christus vtuntur, ad Ecclesiam reuertentes, non rebaptizantur. Vnde non est simile.

Secundum argumentum est, quia quando verba formæ sunt ambigua, si proferantur secundum sensum contrarium illi quem Christus instituit, etiam animo introducendi errorem conficitur Sacramentum; ergo etiam in casu dubij. Antecedens probatur: In forma, qua Calix consecratur illa particula, *Hic*, potest habere ambiguum sensum, potest enim aduerbiallyter intelligi; si ergo sacerdos, vel ex ignorantia, vel ex malitia proferat illam particulam in sensu aduerbially verè consecrat, vt omnes fatentur ergo &c.

Respondetur, quod si sacerdos ille imperitus proferat illam particulam in sensu aduerbially ad significandam præsentiam purè localem sanguinis Christi Domini cum exclusione transubstantiationis, taliter quod aliàs consecrare nolit, verè non consecrat, habet namquè intentionem positiuè formæ contrariam; si verò habeat illum errorem, sed retineat intentionem consecrandi, seù faciendi quod Christus fecit, vel quod facit

facit Ecclesia verè consecrat; error enim particularis, intentionem generalem non retractat, &c. Idem dico de tota forma, qua Calix consecratur; cum enim sit dubium an omnia illa verba sint de essentia, vel solum prima, nempe *Hic est Calix Sanguinis mei*, si quis putaret vel omnia requiri, vel solum prima, dummodo non habeat intentionem contrariam retractantē illam generalem, verum conficit sacramentum: vt autem censeatur illam generalem retractare per suam specialem debet hæc specialis reflecti supra illam generalem, & illam saltem virtualiter excludere, ita quod saltem virtualiter non sit consecrare, nisi secundum propriam, & particularem intentionem, sed de hoc magis infra.

Tertium dubium est, an mutatio verborum formæ Sacramenti intentione errorem introducendi facta, sit substantialis, vel accidentalis. Varij circa hoc dubium sunt modi dicendi. Alij namque volunt quamlibet mutationem, factam animo errorem

introducendi, semper esse substantialem, & per consequens reddere Sacramentum nullum: ita D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13. Aliacensis in 4. disp. 4. ar. 1. Alij distinguunt: vel est mutatio facta animo introducendi errorem toleratum, & tunc Sacramentum tenet, si mutatio est accidentalis, secus si fiat animo introducendi errorem non toleratum ab Ecclesia. Ita Sotus in 4. distinct. prima q. 1. art. 8. & alij. Alij volunt Sacramentum esse nullum, etiam cum mutatione solum accidentali, quando is, qui ita accidentaliter mutat formam intendit nouum introducere ritum essentialem respectu vniuersalis Ecclesiæ, secus respectu particularis. Ita Be-larm. cap. 21. & alij.

Nostra circa hoc dubium sententia, sequenti explicatur conclusione. Quando verba formæ, ita mutantur, vel corruptè proferuntur ex animo nouum introducendi ritum, taliter quod verborum significatio quoad substantiam corrumpatur, sacramentum est nullum, etiamsi minister habeat

habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, secus quãdo verborum sensus integer manet, etiam si habeat intentionem nouum ritum introducendi siuè toleratum, siuè non, siuè contrà vniuersalem, siuè contrà particularem Ecclesiam. Primam partem cõclusionis docet D. Tho. ar. 8. quam probat auctoritate Didymi, & patet ex cap. Retu-

lerunt supra citato. Secunda pars conclusionis patet ex dictis; quamdiù enim manet vera forma à Christo instituta, tamdiù verum producitur Sacramentum, dummodo maneat vniuersalis intentio faciendi quod facit Ecclesia, etiam si postea aliundè sit ministri deprauata intentio, dummodo vniuersalem non tollat intentionem.

QVAESTIO VI.

Quale peccatum sit Sacramentorum formas mutare.

Conueniunt Theologi õnes, quod formæ Sacramenti mutatio secundum se fit peccatum Religioni oppositum; vt enim docet D. Tho. 22. quæst. 99. art. 1. & 3. omne quod ad irreuerentiam rerum sacrarum pertinet, ad sacrilegium pertinet, & sic cum mutatio formæ Sacramentalis fit irreuerentia sacris rebus exhibita ad sacrilegiũ pertinebit; an autem hoc sacrile-

gium sit grauè, vel leuè ex sequentibus conclusionibus patebit.

Prima conclusio: omnis mutatio essentialis formæ Sacramentalis, per quam nullum fit Sacramentum, facta ex aduertentia, vel ex magna negligentia peccatum inducit mortale. Hæc conclusio clara est; vbi enim est materiæ grauitas, & aduertentia sufficiens ad mortale, transgressio

mortalis est, sed hoc currit in præsentem ut patet; ergo & irritum namque reddere Sacramentum grauis irreuerentia est ipsi Sacramento exhibita, & sic si sufficiens adsit aduerentia peccatum mortale erit.

Secunda conclusio: est peccatum mortale mutare formam, qua utitur Ecclesia in aliam eiusdem significationis contra præscriptum, & usum Ecclesiæ; similiter mutare materiam unam in aliam, etiam sufficientem ex Christi institutione. Cuius ratio est; quia nulli licitum est ritum Ecclesiæ mutare, unde Sacerdos latinus qui baptizaret forma, qua Greci utuntur mortaliter peccaret; similiter si idem latinus Sacerdos consecraret in pane fermentato; tenetur namque latinus dum apud Latinos degit morem sequi latinorum &c.

Tertia conclusio: est peccatum solum veniale mutatio materia, tum formæ accidentalis non notabilis, si tamen nullum sequatur scandalum: Leuitas namque materiæ à mortali excusat. Prop-

terea aliqui volunt, quod si in forma Baptismi omittas, *Ego, & Amen*; & enim in forma Eucharistiæ sit solum veniale, quia non videtur mutatio notabilis.

Quarta conclusio: est peccatum mortale malè pronunciare formam Sacramentalem de industria iocæ causa, est enim grauis irreuerentia, secus si fiat vitio linguæ, & corruptio non sit notabilis; si autem esset notabilis, quod risum, & scandalum excitarret, extra casum necessitatis, non liceret cum tali vitio linguæ verba illa proferre. Propterea isti iure canonico tanquam irregulares à sacris arcentur ordinibus.

Quinta conclusio: est peccatum mortale uti forma, & materia dubia extra casum necessitatis, nè scilicet fiat irritum Sacramentum: dixi extra casum necessitatis; quia in casu necessitatis licet uti materia, & forma dubia; materia quidem, ut si infans baptizari non possit nisi in aqua rosacea, vel vitis cum naturalis non habeatur, &c. forma quidem, ut si quis mina-

retur alicui mortem nisi baptizet in forma dubia, verbi gratia *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, qui casus debet intelligi quando ille, qui minatur, hoc non faceret in contemptum Ecclesie, sed quia putat illam formam esse

sufficientem, & non esse dubiam; si enim putaret formam esse dubiam censeretur mortem minari in contemptum Ecclesie, & tunc nullo modo esset ei obediendum, sed potius mors esset sustinenda. Videatur Conin. hic art. 8. dub. 1.



DISPV TATIO III.

D E

SACRAMENTORVM

NECESSITATE.

Agit D. Thomas de Sacramentorum necessitate quaest. 61. per totam: articulo autem primo probat in communi Sacramenta ad humanam salutem esse necessaria, cum enim necessarium sit, quod homines in vnam conueniant Religionem, aliqui ritus necessarii erant ad publicè id ipsum protestandum, alioqui publicè constare nequireret, quam Religionem quisque colat, vnde experientia compertum est, quod nulli vn-

quam in aliquam conspirarunt Religionem, nisi per certos aliquos ritus, propterea eleganter D. docet Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coadunari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilibus consortio colligentur.* In articulis postea sequentibus descendit ad particulares status, quem ordinem etiam nos in hac disputatione seruabimus. Sit ergo.

QV AESTIO I.

*An durante Statu innocentiae fuissent aliqua
in eo Sacramenta.*

Porphyrus absolutè, & in
vi uersum omnia dam-
nat Sacramenta, quia indignū
illi videtur hominem rebus
subijci sensibilibus, quas Deus
sub eius posuit pedibus, quē
errorem tenuerunt antea di-
scipuli cuiusdam Marci quos
refert D. Iræneus lib. 1. ad-
uersus hæreses cap. 18. &
impius Bucerus dicit, quod
per Sacramenta (intellige no-
uę legis) est reuerti ad syna-
gogam antiquam, ad infirma,
& egena elementa, & pusillis
occasionem præbere existi-
mandi nos colere Cererem,
& Bacchum, oblatione panis,
& vini: Sed hæc omnia fal-
sa sunt; licet enim indignum
sit homini subijci rebus sensi-
bilibus per se, non tamen cum
ab ipsis remedium capiat à
Deo institutum. Nequē est
reuerti ad synagogam, sed
est uti remedijs à Christo Do-
mino institutis, potentibus, &

fæcundis ad animas nostras
sanctificandas, ut ex dicendis
suis locis patebit. His ergo,
& alijs hæreticis relictis, que-
rimus an si status durasset in-
nocentię aliqua in eo fuif-
sent Sacramenta.

Conueniunt omnes, quod
de facto pro illo breui spatio,
quo status durauit innocen-
tię nulla fuerint Sacramenta
instituta, nec fuit conueniens
quod instituerentur; quia ut
patet ex dictis superius, de
Sacramenti ratione est, quod
secundum se sit signum fir-
mum, & stabile, non autem
aliquid pro breui tempore
durans, cum ergo Innocentię
status pro breui tempore du-
rauerit non debuit Sacra-
mentum, quod est signum
firmum, & stabile institui.

Difficultas ergo præsens
procedit, an si status Innocen-
tię diuturnior fuisset, Sacra-
menta in illo instituta fuif-
sent,

sent, siuè ex vi præsentis decreti, siuè non, siuè homines alij peccassent, siuè non, licet ex dicēdis constabit quid in his casibus dicendum sit. Nec præsens quæstio dependet ab illa, an si Adam non peccasset Verbum Diuinum carnè assumpsisset; quia licet Sacramenta de facto vim habeant ex meritis Christi, tamen hoc non est necessè, nam etiamsi Verbum non venisset, de potentia absoluta potuisset Deus Sacramenta instituere ad signandam, & causandam gratiam. Similiter non inquirimus an Deus potuisset Sacramenta pro tali statu instituere, cum in omnium sententia hoc certum sit, sed inquirimus dumtaxat, an instituta fuissent, ex eo quod magis congruum fuerit illa institui quam non institui.

Prima sententia est, quod si ille innocentiae status diu perseverasset Sacramenta instituta fuissent. Hanc sententiam sequitur Pater Suarez. & alij plures ex eadem societate, quorum fundamenta, postea soluentur.

• Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. Si status innocentiae durasset non congrueret illi, imò esset contra excellentiam, & perfectionem illius, vsus, & institutio Sacramentorum. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sententia in hac quæstione 61. art. 2. cuius rationem, postea illustrabimus: hoc idem docet in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. D. Thomam sequuntur omnes eius discipuli, vnde non est necesse illos in particulari referre. Sed sufficiet conclusionem rationibus probare.

Prima ratio desumpta ex D. Tho. locis citatis ad sequentem formam redacta, est. Si Sacramenta innocentiae statui congruerent, vel congruerent vt sunt signa gratiae sanctificantis, vel vt sunt causa eiusdē gratiae, neutro modo congruere possunt; ergò nullo modo. Maior est certà quoad vtranque partem, gratiam enim signare, vt supra dicebamus, est de essentia Sacramenti, & gratiam causare est proprietas illius, cui enim non congruit res nec quoad essentiam, nec quoad pro-

proprietaem, nullo modo congruere potest. Minor probatur quoad vtrâque partem; & primò quoad primam, deinde quoad secundam: quoad primam quidem, nimirum quod Sacramentum non possit statui Innocentiæ congruere quoad rationem significandi gratiam: Nam ratio significandi gratiam intantum congruere potest alicui statui in quantum illi statui deseruit ad dirigendum intellectum ad cognitionem eiusdem gratiæ; sed ad hoc ratio significandi gratiam, Innocentiæ statui deseruire nequit; ergò nullo modo. Minor probatur; quia homo in illo statu felicissimo non cognouisset supernaturalia per sensibilia, sed ex influentia diuini luminis, seù per scientiam infusam, ad eum modum quo Angeli viatores fuerunt instructi de rebus supernaturalibus per lumen internum absquè aliquo signo externo, etiam spirituali.

Sed dices quod indignifessent Sacramentis tanquam signis ad fouendum internum cultum, & ad excitandum vo-

luntatem ad amorem illius, & exercitium. Sed contrà, quia in illo statu nulla fuisset carnis rebellio, nulla propensio ad res sensibiles, quæ voluntatis retardarent affectum à studio, & amore rerum spiritualium, sed ex vi, & natura illius status fuissent homines satis excitati ad res diuinas. Tum quia ideò homo in statu naturæ lapsæ indiget externorum signorum vtu, quia per sensibilia à rebus auertitur spiritualibus, & illorum obliuiscitur, & sic indiget alijs sensibilibus per quæ ad spiritualia reuocetur, & in illorum veniat cognitionem; Acqui in innocentia statu non fuisset sic; non enim sensibilia tunc temporis auocassent hominem à rebus spiritualibus & diuinis, nec induxissent illarum obliuionem, nulla namque fuisset tunc ad sensibilia propensio, nulla rebellio, sed omnimoda subordinatio partis inferioris superiori, & superioris Deo: habuisset tunc temporis homo maximam ad supernaturalia attentionem, & sic superflua fuissent externa signa ad excitandam re-

rum

rum spiritualium memoriam, & deuotionem, & dato quod aliquando à tali excideret memoria ad eum facili negotio reduci posset ratione subiectionis partis inferioris superiori.

Probatnr deindè illa minor quoad secundam partem, nimirum quod Sacramentum innocentia statui congruere nequit ratione causalitatis gratia. Primò, quia gratia causalitas non est de essentia Sacramenti, sed esse gratia signum, vndè si daretur aliquid gratiam causans, & non significans, Sacramentum nõ esset. Secundò, quia dato, & non concesso, quod ratio causandi gratiam esset de Sacramenti essentia, adhuc non congruit dari in statu innocentia tale gratia causatiuũ, quod sic ostendo: quia rei naturæ congruit, quod per easdem causas per quas primum recipit esse per eandem conferretur, & augeatur; cum ergò in statu innocentia gratia primo non causaretur per Sacramenta, sed daretur quod ammodo per modum naturæ, sicuti modo per modum

cuiusdam naturæ peccatum transfunditur originale, ita non congruebat quod per Sacramenta conferuaretur, vel augetur.

Confirmatur hoc primò, quia magis naturæ gratia congruit causari per actus internos quam per res materiales, & sensibiles, sed tunc temporis potuisset causari sufficienter per actus internos; ergò frustra causaretur per Sacramenta. Maior ex se patet, maiorem namque proportionem habet actus, verbigratia dilectionis cum gratia, quam habeat aqua, vel panis, vel oleum &c. Minor etiam ex dictis satis clara est: cum enim tunc temporis homo non haberet carnis rebellionem per quam à Deo auocaretur, facili negotio illos potuisset actus elicere, cum non haberet à quo retardaretur vt modo habet, modo namque retardant sensibilia, tunc autem temporis impedimento non essent &c.

Confirmatur secundò, quia ideò Angeli viatores gratia augmentum ex opere operato non acquisierunt, quia facile po-

lè poterant tale gratiæ augmentum ex opere operantis acquirere, per proprios nempe actus, est autem perfectius habere gratiam per proprios actus, seu ex opere operantis, quam ex opere operato, habere namque gratiam ex opere operato, est illam habere per dependentiam, & subiectionem ad res inferiores; & illam habere ex opere operantis, est illam per se, sine tali subiectione, & dependentia habere. Sed etiam homo in statu innocentie, poterat facili negotio illos habere actus, per quos gratiam ex opere operantis haberet, sine subiectione, & dependentia ad res sibi inferiores; ergo congruum non erat quod Sacramenta instituerentur ad hoc ut gratiam acquireret, conseruaret, augetet, &c.

Secunda ratio principalis pro nostra conclusione est, quia Sacramenta sunt quedam spirituales medicinæ institutæ ad sanandos animi morbos; sed in statu innocentie non fuissent animi morbi; ergo neque medicinæ. Maior videtur clara, si enim ut

fatetur idem Suarez contra quem disputamus, Verbum nõ venisset, Sacramenta instituta nõ fuissent, solius enim Christi intuitu instituuntur, patet autem, quod secundum D. Tho. & Thomistarum mentem Verbum Diuinum venit principaliter, ut nostrorum Medicus morborum, cuius medicinæ sunt Sacramenta, &c. Minor probatur; si enim tunc temporis fuissent animi morbi, vel fuissent peccata venialia, vel mortalia: non venialia solum, quia ut D. Tho. supra probat, non poterat Adam peccare prius venialiter antequam peccaret mortaliter, cum durante illo statu nullum potuisset esse malum, &c. & sic pro solis venialibus nullum requirebatur Sacramentum. Nec etiam essent morbi peccatorum mortalium quia licet putem potuisse hominem peccare mortaliter, tamen peccatum mortale nõ fuisset morbus pro cuius curatione Sacramenti medicina requireretur, quod sic ostendo; quia ut hic obseruat Lugo disp. 3. sect. 1. num. 12. pro Adam, & Eua post lapsum nullum

nullum fuit institutum Sacramentum per quod à tali peccati morbo curarentur, vel quo crescerent in gratia, & hoc non ob aliam rationem nisi quia facile poterant habere contritionem, experientia propriæ miseræ, & felicitatis amissæ, Sacramentum autem cum habeat causare gratiam ex opere operato, & hoc detur in defectum operis operantis, vel ratione difficultatis operis operantis, & cū tunc talis non fuerit difficultas, Sacramentum institui nõ debuit; Sed hæc eadem ratio militat in nostro casu, ergo &c. Minor hæc explicatur, nam si innocentia status durasset, & aliqui in eo lethali-ter deliquissent certè edocti experientia miseræ, quam contraherent, & felicitatis, quam amitterent facile ad statum gratiæ excitarentur sine sensibilibus signis, &c. contraherent namque homines tunc temporis per peccatum carnis rebellionem, cum iustitiam originalem amitterent talem impediendam rebellionem, &c.

Tertia ratio est, quia nul-

lus speciale instituit remedium pro eo morbo, qui per accidens in aliquo statu reperitur; sed si innocentia status perdurasset, per accidens fuisset peccati morbus; ergo pro eo non debuit spirituales, & specialis institui medicina, vel remedium. Maior præterquam quod ex se clara est, duplici etiam elucidatur exemplo. Primum est, quod in lege nostra Deus nullum instituit speciale remedium pro paruulis, qui in ventre matris moriuntur, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia per accidens est, quod sic moriantur de morbo autem, quod per accidens euenire solet non est necesse speciale instituere remedium. Secundum est, quod tempore legis antiquæ pro hominibus actualiter peccantibus, ut rectè aduertit Lugo supra, post dimissum originale peccatum, nullum remediū institutum est pro peccato illo dimittendo, sed solum erat remedium adus contritionis, & gratia non aliter producebatur, quam ex opere operantis, & si respectu alicuius talis contritionis adus non-

N habe-

haberetur, hoc erat per accidens, quod autem modo Sacramenta instituta sint, in efficaciam meritorum Christi refundi debet, quæ efficacius influunt in tempus subsequens, quam in antecedens, quando gratia dabatur dumtaxat in virtute meritorum Christi futurorum. Minor etiam clara est; cum enim homines cum iustitia nascerentur originali, nec carnis haberent rebellionem, sed omnimodam subiectionem partis interioris superiori, & superioris Deo, sequitur, quod licet tunc temporis fuisset diaboli tentatio, lapsus tamen essent valde rari, ex status conditione, ubi nullum peccatum esset ex ignorantia, nullum ex infirmitate, sed solum ex certa malitia, quod valdè rarum tunc temporis fuisset, sicut etiam nunc temporis. Sed soluamus argumenta partis oppositæ.

Primum argumentum est, quia si ob aliquam rationem non congrueret Sacramento- rum usus innocentia statui si diu durasset, maximè ob illam quam assignat D. Tho. in art.

2. huius quæstionis 61. Sed illa ratio videtur nulla; ergò &c. Minor probatur, ratio namque D. Thomæ est, quod non decebat excellentiam status innocentia, quod anima hominis perficeretur quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquod corporale, & sensibile: sed hæc ratio infirma est, & contra eundem Sanctum Doctorem 1. p. q. 93. art. 2. ubi docet, quod Adam cognouisset per conuersionem ad phantasmata, sicut & nos cognoscimus; imò si ille status perdurasset acquisuissent scientias per experientiam à sensibilibus, vt docet idem Sanctus Doctor eadem p. p. quæst. 101. art. 1. ergò ex eodem Sancto Doctore non est contra excellentiam status innocentia, quod homo perficiatur quantum ad scientiam per aliquod corporale.

Nec valet communis Thomistarum solutio, quod D. Thomæ mens solum sit, esse contra excellentiam status innocentia, quod hominis anima perficiatur rebus corporalibus quantum ad acquisitionem

fitionem supernaturalium, nō verò quantum ad acquisitionem naturalium rerum, cum naturale sit homini progredi in naturalium rerum perfectione ex rerum externarum, & sensibiliū cognitione.

Nam contrà est, quia etiam in illo innocentiae statu homo perficeretur in cognitione rerum supernaturalium, ex rerum naturalium, & sensibilibus cognitione; quod sic ostenditur, primò quia etiam tunc temporis minores instruerentur à maioribus de rebus spiritualibus: quis enim negare audebit, quod paruuli, qui etiam ex mente D. Thomæ supra nascerentur tanquam tabula rasa, quod ab eorum non instruerentur parentibus de rebus credendis, & de Mysterijs fidei prout ad illum statum cōgruebat, quod certè non aliter fieret quam medijs sensibilibus. Secundo quia, vt arguit Suarez, nō est dubium, quin tunc essent signa vocalia; credibile etiā est futuras tunc fuisse scripturas, saltem vt possent homines cum absentibus loqui: itē verisimile est futuras fuisse

imagines non solum propter exercendam artem illam nobilem, in qua homo naturam & auctorem eius quadammodo imitatur, sed etiam vt res absentes quadammodo præsentes fierent, & præterea in honorem, & venerationem aliquarum personarum, & in signum amoris: nequè etiam haberent rerum omnium memoriam in actu continuo: sed indigerent vt aliquo modo excitarentur ad actu considerandas res quas memoria retinerent, & per consequens deberent adiuuari adminiculo sensibilibus signorum; ergò &c.

Respondetur optimam esse Thomistarum solutionem si rectè intelligatur, consistit namquè in hoc quod D. Thomæ ratio in hoc sita sit, vt reuera sita est, quod inconueniens sit quod homo accipiat notitiam, seu memoriam rerum spiritualium à rebus corporalibus ad excitandum voluntatem ad cultum Dei, eo quod per affectionem, & propensionem ad res sensibiles à memoria, & studio rerum spiritualium retardetur, quod

est evidentissimum, ut patet ex prima nostra ratione; loquitur enim D. Thomas iuxta subiectam materiam: cum enim Sacramenta ut signa instituantur ad inducendum in cognitionem rerum supernaturalium, & præsertim gratiæ, à qua cognitione retardatur per res sensibiles, & per affectum illarum; & hoc deceat excellentiam status innocentiae, sequitur, eleganter intulisse D. Thomam, Sacramenta non congruisse pro statu innocentiae, ex eo quod homo pro illo statu non desumat scientiam spiritualium, nec affectum illarum à sensibilibus, à quibus retardetur: nulla autem implicatio est, quod aliquam cognitionem desumat à sensibilibus, & illis etiam utatur ad memoriam rerum spiritualium, ut concludant ea, quæ contra Thomistarum adducuntur solutionem, sed non propter hoc inferri potest, quod Sacramentorum usus tunc temporis congrueret, cum illa sensibilia non essent retardatiua rerum spiritualium, pro qua retardantia tollenda, Sacramenta instituantur.

Secundum argumentum est, quia Sacramentum tum in genere signi, tum in genere causæ innocentiae statui congruit; ergo si ille status perdurasset à Deo productum fuisset. Antecedens quo ad primam partem probatur, quia in illo statu alia congruunt signa sensibilia, quæ res insensibiles significarent; ergo etiam congruum fuisset Sacramentum, quia signum est. Consequentia ex paritate rationis tenet, non enim est maior ratio de vno, quam de alio, imò potior ratio stat pro Sacramento; si namque pro illo statu congrua fuissent alia signa inferiora, multo magis fuissent congrua nobilissima signa, qualia sunt Sacramenta. Antecedens probatur, quia usus ligni vetiti fuit prohibitus in signum obedientiæ interioris, quam Deus à primo homine exigebat; ergo &c. Tum quia signa externa valde deseruiunt ad populi instructionem; ergo &c. Probatur deindè idem antecedens quoad secundam partem quia communicatio tantæ virtutis rebus sensibilibus maxime

mè deseruiret ad ostensionem diuinæ omnipotentiae, & amoris erga homines; certè negari non potest, quin homines valdè assurgerent ad cognitionem infinitæ omnipotentiae Dei, videndo quod tantam daret virtutem rebus sensibilibus quod possent gratiam sanctificantem causare, &c.

Respondetur negando antecedens quod utramque partem: ad cuius primam probationem dico, quod diuersa valdè est ratio prohibitionis ligni veriti, & institutionis Sacramentorum, nam illa prohibitio fuit valdè congrua, cum enim homo tunc temporis accepisset vniuersale dominium omnium inferiorum creaturarum, congruum fuit, quod hoc dominium à Deo recognosceret sub tali prohibitione, & sic talis prohibitio fuit quoddam signum subiectionis hominis ad Deum, & obedientie, quam illi in omnibus præstare debebat; at verò Sacramentorum institutio congrua non fuit, non quidem ratione signi præcisè, sed ratione talis signi, nempe gra-

tiae sanctificantis, quam debuisset tunc à sensibilibus commendicare propter subiectionem ad eadem sensibilia à quibus retardarentur, & impedirentur homines à cognitione rerum supernaturalium, vt supra dicebamus; per quod patet ad secundam probationem, non enim signa quælibet negamus, sed illa dumtaxat, quæ dedecent felicissimum illum innocentiae statum &c. Ad probationem secundæ partis dico, quod non omne id admitti debet, quod excogitatur Diuinæ omnipotentiae, vel bonitatis ostensiuum pro hoc, vel pro illo rerum ordine, sed etiam aliæ congruentiæ attendi debent secundum ordinem diuinæ sapientiae, quæ singulares circumstantias, & congruentias attendit, quæ in nostro casu magis relucet relegando Sacramentorum usum à statu innocentiae, quam ipsum admittendo, vt ex nostris rationibus constat.

Tertium argumentum est, quia de facto Adæ cum Eua. Matrimonium fuit verè, & propriè Sacramentum, ergò non

non incongruit Sacramento-
rum vsus. Consequentia te-
net: probatur antecedens
ex illo Apostoli Ephes. 1. Sa-
cramentum hoc (loquitur de
Matrimonio Adæ) *magnum
est, ego autem dico in Christo,
& Ecclesia &c.* Nec valet di-
cere, quod ibi Sacramentum
accipiatur pro mysterio: Nā
contrā est, quia Adæ Matri-
monium non fuit purus con-
tractus naturalis sed fuit si-
gnum rei sacræ sanctificantis
homines si non formaliter sa-
tem effectiue, quatenus erat
signum vnionis verbi cum
humanitate, vel Christi cum
Ecclesia &c.

Respondetur quod Matri-
monium nec inter Adam, &
Euam, nec in tota lege anti-
qua nunquam fuit Sacramen-
tum, sed purus contractus na-
turalis, ratio namque Sacra-
menti fuit illi addita à Chri-
sto; quod autem significaret
vnionem Christi, & Ecclesiæ
fuit ex consequenti, quæ so-
lutio est D. Tho. art. 2. cita-
to ad 3. dum dicit, quod ma-
trimonium institutum in sta-
tu innocentiae non fuit Sacra-
mentum, sed secundum quod

est in officium naturæ. Ex
consequenti tamen aliquid
significabat futurum circa
Christum, & Ecclesiam sicut
& omnia alia in figura Christi
præcesserunt.

Quartum argumentum est,
quia perfectius est gratiæ aug-
mentum consequi ex opere
operantis, & ex opere opera-
to simul, quam recipere tale
augmentum solummodo ex
opere operantis; ergo in statu
innocentiæ debebant dari Sa-
cramenta ad hoc vt homo v-
troque modo gratiam reci-
peret. Antecedens est cer-
tum, & constat ex eo quod
in nostra lege fit, si enim ho-
mo ad Sacramentum accedat
Baptismi, vel Pœnitentiæ cum
contritione perfecta, dupli-
cem recipit gratiam, aliam
correspondentem operi ope-
rantis, & aliam corresponden-
tem operi operato, vt in trac-
tatu de Iustificacione docui-
mus; patet autem esse melius,
& perfectius duplicem recipe-
re gratiam quam vnā dum-
taxat. Consequentia patet,
quia statui nobiliori, & per-
fectiori, etiam nobilior, &
perfectior modus gratiæ ac-
qui-

quirendæ debetur; ergò cum status innocentix esset perfectissimus, etiam proportionatus debebatur modus gratix acquirendæ.

Respondetur negando antecedens: est quidem melius recipere gratiam utroque modo, quia duplex recipitur gratia, non tamen est perfectius: patet enim ex dictis à nobis quomodo recipere gratiam ex opere operato, innocentix statui dedecet, quod autem est melius non semper est congruentius, sed illud est congruentius, quod magis statui congruit, magis autem innocentix statui congruit habere gratiam ex opere operantis, quia per hunc modum magis splendet independentia hominis à sensibilibus, ut iam diximus.

Quintum argumentum desumitur ex Doctrina P. Suarez loco citato lect. prima ubi certam ponit conclusionem, quod in statu innocentix fuisset cultus Dei exterior: primò, quia hic cultus non est introductus per accidens ratione peccati, sed iure naturæ; cum enim homo anima, & corpore constet, obsequium

naturaliter Deo prestare debet, non solum interiorius per quod recognoscat Deum esse auctorem anime, verum etiam exteriorius per quod recognoscat esse auctorem etiã corporis. Secundo, quia cum homo sit animal politicum debet suis conciuibus aliquod suæ Religionis externum signum ostendere. Tertio etiam propter se ipsum, naturaliter namq; inclinatur homo ad suas ponendas operationes, & mente, & corpore. quarto, quia sicut etiã in patria post Resurrectionem erit externus cultus ita in statu innocentix laudabunt nãq; beati Deum non tantum mente, sed etiam voce, imò adorabunt Deum, & Christum Dominum exteriorius, illi exteriorem exhibendo reuerentiam; ergo si cultus exterior innocentix statui non incongruit, neque Sacramentorum usus, qui inter cultus Dei externos principem tenet locum.

Respondetur prænotando ex D. Tho. 2. 2. quæst. 81. ar. 6. & 7. quod cultus externus dupliciter potest ad cultum internum comparari. Primò per

per modum fomenti cultus interioris. Secundò per modum effectus, quatenus actio, vel cultus exterior procedit ex interna reuerentia, & deuotione, quatenus naturalis est homini signis manifestare externis, internos animæ affectus: hoc prænotato dico ad argumentum, quod in statu innocentiae non fuisset externus Dei cultus primo modo, sed secundo: non primo modo, quia res externæ sicut non habebant retardare, nec auocare hominem ad Deum, ita neque habebant adducere, vt ex nostris rationibus patet: secundò autem modo daretur talis cultus exterior, & particularis, & publicus, vt beatis post Resurrectionem conceditur, quia nullam denotat imperfectionem, sed solum externam animi manifestationem, cum enim anima, & corpore constet homo, congruum est, quod vtroque modo operetur, & Deum colat, &c.

Sextum argumentum est, quia in statu innocentiae congruisset sacrificiorum vsus; ergò etiam Sacramentorum.

Antecedens probatur, quia sacrificij obligatio, vt probat D. Tho. 2.2. quæst. 85. art. 1. est de iure naturæ; at qui ea, quæ sunt de iure naturæ in quocunque statu non solum congruunt, verum etiam obligant; ergò sacrificiorum vsus in statu innocentiae fuisset; consurgit namque sacrificij obligatio ex honore Deo debito, titulo creationis, &c.

Nec valet respondere cum Soto; quod statui innocentiae congruisset interna protestatio Diuini dominij, non externa, & sensibilis. Nam contrà est, quia iure naturæ tenetur homo recognoscere Deum non solum auctorem spiritus, verum etiam corporis; ergò tenetur ad protestationem non solum internam, verum etiam externam, quæ fit per sacrificium. Sacrificium namque est quasi quoddam pensum, tributum, & census Deo exhibitus pro beneficijs acceptis, cum autem accepisset tunc temporis homo, sicuti, & nunc temporis beneficium spiritus, & etiam corporis, pro vtroque censum sacrificij reddere debebat Deo.

Adde

Adde quia nemo negare potest vt benè aduertit Suarez, quod in statu innocentie nõ essent aliquæ externæ faciæ cæremoniæ, vt genuflexiones, capitis humiliationes, salutationes, orationes vocales, & alia huius generis, quæ sunt adorationis cultus.

Respondetur primò sustinendo probabiliter solutionem Soti 4. dist. 1. quæst. 2. art. 2. quod nimirum in innocentie statu nulla fuissent sacrificia, propter eiusdem Soti rationes; quia ratio sacrificij in innocentie statu cessaret, quæ est ratio peccati, pro quo sacrificia dantur satisfactoria; nec esset varietas cultus, cum omnes vnum Deum colerent; nec essent sacrificia necessaria ob memoriam beneficiorum Dei, quia alijs modis essent homines sufficienter instructi de Diuinis rebus, & beneficijs: nec ad gratias agendas, quia omnes simplici corde, & ore Deum laudarent; tum quia tunc temporis non essent templa, nec ministrorum vsus, in quorum utilitatem cederent res, quibus sacrificia fierent. Nec ca-

quæ contra Sotum adducuntur urgent; Nam externum sacrificium in tantum est de iure nature in quantum est signum interni sacrificij, sed in quantum instruit nos circa internum sacrificium, & continet in studio, & officio illius, vt docet D. Tho. loco citato; in statu autem iusticie originalis non indigebant homines sacrificijs externis vt in officio, & studio interni sacrificij continerentur. Vnde quando D. Tho. loco citato docet Adamum obtulisse sacrificium etiamsi non legatur non loquitur de statu innocentie, sed post peccatum. Nec ex hoc quod fuissent aliquæ externæ cæremoniæ sequitur quod fuissent sacrificia cum illæ cæremoniæ non essent ordinate ad continentiam hominem in officio, & studio interioris affectus, & cultus, sed solum vt signa externa illius.

Respondetur secundò cum Nagnez hic ar. 2 esse probabilius, quod in statu innocentie fuisset sacrificia non solum largè prout sacrificiũ est pura oblatio rei, verum etiã prout

sacrificium addit. supra oblationem quandam actionem circa rem oblatam, ut infra de sacrificio Missæ dicetur. Et ratio D. Thomæ loco citato convincere videtur; quia homo iure naturæ tenetur profiteri omnia esse Dei, quod fit per sacrificium; sacrificium namque essentialiter nil aliud est quam signum, non gratiæ, sed auctoris, & gratiæ, & naturæ; nec est necessè, quod contineat, vel non contineat nos in studio, vel officio interioris affectus, ut suo loco dicetur. Ad argumentum ergò in forma respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiã, & ratio discriminis est, quod sacrificiorum usus est de iure naturæ non Sacramentorum; iure namque naturæ tenemur Deum auctorem omnis rei recognoscere, quod fit per sacrificia, quæ sunt signa ex-

terna id significantia; Sacramenta autem sunt signa gratiæ sanctificantis nos, quæ nullum naturæ ius important, ut ex se patet.

Ex quibus omnibus inferitur, quod si Adam non peccasset, siuè verbum veniret, ut volunt plures, siuè non veniret, ut cum D. Tho. suo loco dicemus, nullum fuisset in statu innocentiæ Sacramentum propter rationes dictas; & sic, minus rectè dicunt aliqui, quod Adam non peccante, & Verbo veniente, fuisset Sacramentum Eucharistiæ ad reconciliandum amorem; Ordo, quo constituerentur Sacramentorum ministri; Pænitentia, in remedium peccatorum, & Matrimonium, quia significaret unionem Verbi cum humanitate, quæ omnia ex dictis facili negotio reici possunt.

QVAESTIO II.

*An in lege naturæ fuerit verum, & proprium
Sacramentum,*

PRO præsentis difficultatis intelligentia premittere oportet quatuor distinguendos esse status. Primus est legis naturæ à primo parente usquè ad Abraham. Secundus status vocatur confinij ab Abraham usquè ad Moysen, quo tempore erat præceptum positivum Circumcisionis, nõ tamen aliquod scriptum. Tertius est status legis scriptæ, ab Moysè usquè ad Christum. Quartus legis gratiæ à Christo usquè ad mundi finem. Primus status dicitur naturæ, non quia tunc temporis solum lex obligaret naturalis, hoc enim fallum est, cum etiam tunc obligarent præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, sed quia tunc temporis nullum erat præceptum Divinum purè positivum, aut scriptum, continebat namquè ille status solum ea præcepta,

quæ absolutè, & simpliciter erant necessaria ad hoc ut homo salutem consequeretur; vndè quando Theologi dicunt hominem in statu puræ naturæ saluari potuisse, non est sensus, quod per solum vigorem naturæ salutem consequi potuerit, sed quod per Fidem, Spem, & Charitatem in Christum potuerit saluari, sinè alijs præceptis positivis, & scriptis, quæ tunc temporis non erant. His positis, pro tituli quæstionis propositæ intelligentia,

Suppono id, in quo omnes Theologi conveniunt, quod in statu puræ naturæ fuerint vera sacrificia, Genesi namque 4. dicitur de Abel, quod sacrificia Deo obtulerit; cum enim sacrificium, ut præcedenti quæstione notavimus, sit de iure naturæ, & tunc temporis fuerit cognitio Dei auctoris non solum naturæ,

verum etiam gratiæ, credendum est, quod Deo sacrificia obtulerint homines in recognitionem eiusdem Dei auctoris naturæ, & gratiæ. Est etiam certum, quod esset tunc temporis aliquod remedium pro paruulis, sicuti erat pro adultis, nè tota hominum massa damnaretur; adulti namque habebant remedium contritionis, & dilectionis Dei super omnia; paruuli etiam suum habebant remedium: an autem esset Sacramentum inquirimus.

Prima sententia est, remedium paruulorum non fuisse Sacramentum, nec signum aliquod exterius, sed fuisse solam fidem internam absque ullo actu externo. Ita Durandus, Palatius, & alij quos refert, & sequitur Vasquez hic Disput. 165. cap. 3. quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. In lege naturæ fuit verum, & proprium Sacramentum ad delendum peccatum originale paruulorum. Hæc conclusio est communis in Scholis:

videatur Suarez lect. 2. Lugo lect. 2. Coninch. dub. vnico. Nugnus ar. 3. & alij, præsertim Hugo de Sacramentis p. 11. cap. 1. qui ait non rectè se sentire qui oppositum opinatur.

Probat primò ex cap. maiores de baptismo vbi habentur hæc verba: *Absit enim ut vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin, & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurarit ad salutem.* Et D. Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 21. sic ait: *Nec ideo tamen credendum est & ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatrix fides in carne uenturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit.* Hoc idem clare docet D. Tho. ar. 3.

Probat P. Suarez hanc conclusionem sex argumentis, quæ primo aspectu licet videantur aliquid probare, tamen si rectè perpendantur parum, aut nihil probant. Primum argu-

argumentum est: quia paruuli per hoc remedium Deo consecrabantur, & initiabantur; ergò per illum cultum qui est homini accomodatus, & Deo ab homine debitus; sed hæc non est tantum interior, sed etiam exterior; ergo &c. Hæc ratio videtur inefficax: potest namquæ aliquis Deo initiari, & consecrari per solum actum internum, vt cum quis Deo per votum, vrbigraria castitatis, consecratur; si ergò quis potest Deo initiari per actum internum, etiam poterit paruulus ab eo ad quem pertinet hoc facere, solo interiori actu Deo dicari; deinde dato quod aliquid exterius requireretur, non propterea sequitur, quod esset Sacramentum, sed solum quædam exterior oblatio, & non amplius, si nihil amplius addatur; Secundum argumentum P. Suarez est, quia ad saluarem non solum requiritur fides, sed etiam professio fidei, eo modo quo quis capax illius est; ergò sicuti adultus debet fidem actiue profiteri, ita paruulus passiuè. Neque hæc ratio probat: primò, quia

non semper externa fidei professio obligat, vt est ex se notum. Secundo quia nemo vnquam dixit quod ad salutem requiratur externa professio fidei passiuæ, nec DD. vnquam mentionem fecerunt de hac fidei professione passiuæ; sed si qua fidei professio aliquandò obligat, hæc actiuæ est, non passiuæ; nec sub nomine professionis fidei, professio passiuæ venit. Tertium argumentum est, quia aggregabantur Ecclesiæ visibilibus; ergo per signum visibile. Neque hoc probare videtur: quia poterant esse plura alia signa, per quæ constare Ecclesiæ posset illos paruulos esse eiusdem Ecclesiæ membra, &c. Nec quartum argumentum probat, quia inquit coniuebantur Christo capiti. Nam Christus tunc temporis non erat caput visibile cum nondum esset, sed futurus esset, & quia adhuc vt aliquis etiam modo sit membrum Christi, non est necessè, quod sit tale per signum visibile, sicut in omnium sententia est caput cathæcumenorum; & in multorum sententia est caput Angelo.

gelorum, & tamen non sunt membra visibilia, sed sufficit quod influxum etiam inuisibilem recipiant &c. Minus probat quintum argumentum nimirum peccatum originale communicatur per actionem sensibilem; ergo & remedium per sensibilem actionem communicari debet. Nam sicut remedium adultorum non erat sensibile, iustificabantur namque adulti ex opere operantis, nempe per actum contritionis, & dilectionis Dei sui, per omnia; ita neque remedium paruulorum sensibile necessario erat. Vltimum P. Suarez argumentum est; quia modus communicandi suam fidem per actionem humanam, & externam est magis proportionatus naturæ hominis, ergo &c. Nam ad hoc respondere poterit Vasquez, vel ille cui sententia Vasquez arripserit, quod nullus hominum fidem supernaturalem per actionem humanam, & externam alteri homini communicat, sed à Deo supernaturali auctore dumtaxat infunditur. His ergo rationibus reiectis.

Probatur nostra conclusio

ratione sic, quia ex opposita sententia sequeretur Deum liberaliori manu, ut ita dicam, prouidisse paruulis legis naturæ, quam legis gratiæ; hoc nullo modo est dicendum, ergo falsum est, quod paruuli in naturæ lege à peccato mundarentur originali per solam fidem internam. Consequentia tenet; minor etiam patet: fortius enim influit gratia Christi in homines post ipsius realem aduentum, ac influeret eius futuricio, ut est omnium Teologorum iudicium. Maior in qua est difficultas probatur, quia tunc per solam fidem internam fuissent paruuli ab originali purgati, modo autem exterior corporis ablutio requiritur; imò remedium paruulorum illius temporis potuisset etiam paruulis absentibus applicari, & ut aduertit Lugo etiam existentibus in ventribus matrum, & sic nullus paruulus perire potuisset; si enim aliquis tale applicasset remedium omnibus paruulis, cum tunc nulla requireretur actio exterior in paruulos, sed sola sufficeret interior, quæ à loco & tempore non dependet,

omni-

omnibus paruulis remedium præbisset; similiter cum actio interior sit intentionalis, & cum al quo signo exteriori non connexa, potuit suum præstare effectum etiam in paruulos in ventribus suarum matrum existentes; idè enim modo baptizari non possunt absentes, vel existentes in ventribus suarum matrum, quia actione exteriori contingi nõ possunt; ergò si semel talis exterior actio pro paruulorum sanctificatione non requiritur & absentes, & existentes in ventribus matrum sanctificari poterunt: hæc omnia absurda sunt; ergò & illud ex quo sequuntur. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia in statu legis naturæ nullum fuit institutum signum sensibile externum pro iustificatione paruulorum; ergò paruuli non iustificabantur per Sacramentum, sed per solam fidem; Consequentia tenet, cum enim ut supra dicebamus, licet possit Deus instituere aliquod Sacramentum, quod sit signum insensibile, tamen de facto nullam

fuit institutum, quod non sit sensibile. Antecedens probatur ex communi consensu Sanctorum Patrum, & Scholasticorum; Sanctorum quidem Patrum, ut D. Bernardi Epist. 7. ubi dicit: *in nationibus etiam post circumcisionem paruulis solam profecisse, imò sufficere parentum fidem.* D. Grego 4. moral. cap. 2. & habetur cap. quod autem de Consecratione dist. 4. ubi dicitur: *quod apud nos valet aqua baptismi; hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus cultus sacrificij.* Alij Patres videri possunt apud Scribentes. Est etiam communis sensus Scholasticorum, ut Magistri in 4 dist. prima, Hugo, parte 4. cap. 5. & parte 11. cap. 5. & 6. D. Tho. 2. 2. quæst. 10. ar. 12. & 3. p. q. 70. ar. 4. ad 2. & aliorum communiter. Unde ortum habuit commune Theologorum proloquium, quod in lege naturæ paruuli sola parentum fide saluarentur; ergò &c.

Respondetur negando antecedens: ad probationem dico Sanctos Patres, & Scholasti-

Iusticos per solam fidem per quam paruuli sanctificabantur non excludunt signum sensibile exterius, per quod ipsa fides protestabatur, & gratia significabatur; & per consequens non excludunt Sacramentum; sed sensus Patrum est, quod paruuli sola fide exteriori protestata signo sensibili per modum Sacramenti sanctificabantur, sine villo sacrificio, vt sanctificabantur adulti; vnde illa particula *sola fides*, solum habet excludere sacrificium, non Sacramentum.

Secundum argumentum est: quia si aliquod signum exterius, quod esset Sacramentum fuisset institutum pro paruulis legis naturæ, sequeretur quod fuisset prouisum paruulis legis naturæ melius, quam prouisum sit in lege gratiæ; hoc dici nequit; ergo &c. minor, & consequentia tenent. maior probatur nam ante datam circuncisionem omnes paruuli mundari poterant ab originali per tale Sacramentum, quod non erat determinatum, sicuti modo est, ad solam aquam; & post

datam circuncisionem, & feminæ populi Israelitici, & masculi, & feminæ extra populum Israeliticum sanctificabantur per illud Sacramentum adeo faciliè, ad nullam materiam determinatum, sicut modo est; vnde plures darentur modo paruuli propter difficultatè remedij, quod non habebant tunc temporis ex maiori latitudine, & vniuersalitate materiæ, vel signi exterioris, per quod poterant paruuli sanctificari; ergo &c.

Respondetur, supponendo communem Theologorum sententiam, quod signum illud per quod sanctificabantur paruuli in lege naturæ non fuit determinatum, sed indifferens, & vt ita dixerim, relictum determinatoni parentum, vel illorum qui parentum vices gerebant, cuius duplex assignatur congruentia: prima est, quod remedium paruulorum ante datam Circuncisionem siuè essent masculi, siuè feminæ idem perseueravit post datam Circuncisionem pro feminis populi Israelitici, & pro masculis, & feminis extra illum populum,
sed

sed in Sacra Scriptura nec ante datam Circumcisionem nec post, nullum determinatur signum pro fæminis; ergò neque pro masculis, & fæminis ante datam Circumcisionem. Secunda congruentia esse potest, quod in lege naturæ, vt supra dicebamus nulla erant præcepta nisi naturalia, & supernaturalia Fidei, Spei, & Charitatis; de Sacramentis autem nullum erat præceptum, nec supernaturale, nec naturale; cum ratio naturalis nihil diceret de Sacramentis, bene autè de sacrificijs. His positis.

Respondeo ad argumentum negando maiorem: ad probationem dico, quod cū aqua elementaris sit adeo frequens, & præ manibus, & facilioris cognitionis, etiam præ manibus habetur remedium paruulorum, & tunc temporis; licet illud signum esset magis indeterminatum, tamè erat minus cognitum, deinde abundantior gratia conferretur modo quam conferretur tunc temporis; & sic etiam ex hac parte melius prouisum est nostris, quam illorum paruulis &c.

Tertium argumētum: quia etiam si gratis concedatur tempore legis naturæ dari signum aliquod exterius, & sensibile; per quod parentum fides protestaretur, non sequitur propterea quod fuerit Sacramentum; sicut non sequitur quod fuerit sacrificium; sed solum sequitur quod fuerit aliqua externa parentum oblatio per quam fidem in Christum venturum protestarentur, & sic sufficienter fuisset paruulis prouisum; ergò non requiritur Sacramentum. Antecedens ex se satis constare videtur; consequentia probatur; quia frustra introducitur Sacramentum ad aliquem effectum præstandum; vbi sufficit oblatio simplex; frustra enim ad Sacramentum recurritur, vbi virtus inferior sufficit; sicut etiam in causis naturalibus frustra recurrimus ad causam superiorem, vbi inferior præsto est.

Respondetur negando maiorem: eo enim ipso quod gratia non producit nisi ad præsentiam fidei signo externo protestari, sequitur patenter tale signum exterius esse de-

bere Sacramentum : Deus namque licet de potentia absoluta non alligauerit vim, vt ita dicam, causatiuam gratiæ Sacramentis, sed possit illam causare etiam per externam oblationem, vel per sacrificium, vel per quodcumque aliud signum; tamen de facto Deus in nulla lege gratiam causauit nisi per Sacramentum, vnde puto quod sicut modo Sacramentum causat gratiam per contactum physicum recipientis, vt disputatione præcedenti diximus, ita tunc requirebatur, quod illa externa cæremonia, in Sacramentum eleuata, ad sanctificandum pertingeret, & in ipso, suo modo, recipere-
tur, &c.

Quartum argumentum est: quia si in lege naturæ fuisset datum Sacramentum pro sanctificandis paruulis, tale Sacramentum etiam modo duraret respectu illorum; qui Euangelicæ legis inuincibile habent ignorantiam; sed hoc est falsum; ergo & illud. Maior certa videtur; quia illi qui Euangelicæ legis habent ignorantiam inuincibilem,

legis naturæ præcepta obseruare tenentur; ergo si præcepta naturalia illos obligant etiam remedia suffragari debent, videtur enim rationi cõsonum quod qui sentit legis naturæ incommodum, etiam commodum sentiat. Minor etiam patet, quia si illi qui Euangelij ignorantiam habent inuincibilem, possent suos paruulos per Sacramentum naturæ sanctificare, hoc facere deberent vel in fide Christi venturi, vel qui iam veniunt, non hoc secundum, cum de hoc ignorantiam habeant inuincibilem; non primum cum talis fides iam cessauerit; ergo &c.

Respondetur negando maiorem; tale enim Sacramentum, & omnia alia antiquæ legis, post sufficientem Euangelij promulgationem cessauit. Ad probationem concedimus quod teneantur ad legis naturæ præcepta, non tamen ex hoc sequitur quod illis suffragetur Sacramentum naturæ, cum tale Sacramentum iam cessauerit, vt patet ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit*

trahit in Regnum Calorum.

Quintum argumentum est: quia si in lege naturæ esset institutum Sacramentum pro sanctificandis paruulis, etiam deferuiret adultis ut à peccato originali liberarentur; sed hoc est falsum; ergò & illud; sequela probatur, quia videmus, quod tam circumcisio, quam baptismus, qui habet vim liberandi paruulos ab originali, id ipsum habet ut liberet adultos; ergò &c. Minoris falsitas probatur: quia ut communis tenet opinio, pro adultis in lege naturæ nullum erat Sacramenti remedium, sed solum habebant remedi-

um contritionis, & dilectionis Dei super omnia; tum quia, facere de attrito contritum proprium est Sacramentorum legis gratiæ.

Respondetur negando maiorem: & ratio disparitatis est, quia paruuli alio modo iustificari non poterant, adulti vero poterant, ex diuina gratia, per contritionem, & dilectionem Dei super omnia, at in lege noua est alia ratio nempe maior gratiæ abundantia post Christi aduentum, quam ante, ut alibi dictum est: ad illud quod de circumcisione tangitur, infra dicitur.

QV AESTIO III.

An in ministro Sacramenti legis naturæ pro iustificandis paruulis, fides, vel actualis, vel habituali requireretur.

VT certa ab incertis discernantur noto primo, quod sicut modo Sacramentum Baptismi validè à quocunque ministratur, licitè ve-

rò extra casum necessitatis à solo Parocho; ita tunc temporis Sacramentum illud quo paruuli sanctificabantur validè à quocunque administrar

poterat, licitè verò extra necessitatis casum à solis parentibus, vel ab illis qui parvulorum curam gerebant, cum esset propriæ illorum iurisdictionis.

Noto secundò, quod supposito quod in ministro talis Sacramenti Fides requireretur, non erat necesse quod talis fides esset formata, seù hominis existentis in gratia, sed sufficiebat fides in formis, seù hominis peccatoris; sicut enim modo in nostrorum Sacramentorum ministro ad validè illa administranda formata fides non requiritur, sed sufficit in formis, ita & tunc. Difficultas ergò præsens stat in hoc, an sicut modo Sacramentum Baptismi, ad hoc ut validè administraretur nullam requirit in ministro fidem, sed sufficit quod habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod fecit Christus, ita & tunc; & sic, sicut modo potest validè baptizari puer ab hæretico, vel infideli, dummodo sufficientem habeat intentionem; ita, & tunc, an potuisset puer sanctificari ab aliquo Gentili, vel infideli,

qui nullam habebat fidem Christi venturi, dummodo habuisset animum faciendi, quod tunc temporis faciebant illi qui in Christum, vel Messiam venturum credebant, vel quod faciebat illa, illius temporis Ecclesia.

Prima sententia est, quod sicuti modo ad validam Sacramenti Baptismi administrationem nulla ex necessitate in ministro requiritur fides, sed sufficit intentio faciendi quod vera facit Ecclesia, vel quod fecit Christus, vel quod faciunt Christiani, ita & tunc, nulla in Sacramenti parvulorum administratione fides requirebatur, sed sufficiebat intentio faciendi, quod faciebat illius temporis Ecclesia, vel quod faciebant illi, qui in venturum Messiam credebant &c. Hanc Sententiam post D. Antoninum 3. p. tit. 14. §. 2. Palud. dist. 14. art. 5. sequitur Suárez infra disput; 10 sect. 1. & alii moderni; quorum rationes postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione: ad cõficiendum Sacramentum pro iustif-

iustificacione paruulorum, necessario in ministro requirebatur fides Christi venturi. Hanc conclusionem defendit Durandus 4. dist. 1. quæst. 8. art. 3. M. Cano relect. de Sacramentis p. 5. Sotus 4. dist. 2. quæst. 2. art. 4. Vasquez disp. 163. cap. 4. & alij plures.

Probatum primò Sanctorum PP. auctoritate. D. Augustinus lib. 2. de nuptijs, & concupiscentijs cap. 11. habet: *Superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum iustificationis ex fide, eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis.* D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 3. versic. 2. dicit: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij.* D. Bernard. Epist. 77. habet. *Adultos quidem fide, & sacrificijs credimus expiatis, paruulis autem etiam solum fidem profuisse, imò sufficisse credimus.* Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis par. 12. capit. 2. ait: *Porro famina in populo circun-*

cisionis sola fide saluabantur, & tandem D. Tho. infra qu. 70. art. 3. ad secundum habet ad secundum dicendum quod sicut ante institutionem Circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos, &c. quem modum loquendi obseruant ceteri qui de hac re loquuntur, tum Patres, tum Theologi, ergò de mente Sanctorum PP. & etiam Theologorum, in ministro Sacramenti paruulorū fides Christi mediatoris requirebatur. Adde communem loquendi modum Sanctorum PP. quod paruuli in lege naturæ in fide parentum iustificabantur: si autem in ministro nulla requirebatur fides, talisum esset paruulos in parentum fide saluari.

Respondent aduersarij 1. paruulos dici in fide parentum fuisse iustificatos, quia iustificabantur in fide Ecclesie, scilicet in fide quam Ecclesia profitebatur quæ (per illos) paruulis, medio aliquo sensibili signo applicabatur; unde paruuli iustificabantur per fidem parentum obiectiue, non subiectiue.

Sed contra: paruulos iustificari per fidem Ecclesiæ, non est iustificari in fide parentum sed in fide Ecclesiæ, sed hoc est contra commune Sanctorum PP. & Theologorum proloquium; ergò &c. Deinde secundum omnium iudicium, ad paruulorum iustificationem aliqua cæremonia exterior requirebatur in fidei protestationem exhibita, atqui minister infidelis positiuè discredens fidem Catholicam, non protestatur, sed potius execratur; ergò fide ex parte ministri deficiente, legis naturæ Sacramentum ad paruulos iustificandos deficere necesse erat, etiam si ipsius Ecclesiæ fides perseuerasset.

Respondent secundo nomine fidei parentum intelligi fidem ministri, non propriè sed inpropriè dictam, prout nimirum importat intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nam contra est, quia verba in propria significatione accipi debent quando aliundè nullum sequitur absurdum si nãq; diceretur quod ad paruulorum iustificationem Dei dilectio requireretur, de vera

dilectione deberet intelligi; ergò cum Sancti Patres & Theologi dicant, quod ad paruulorum iustificationem, parentum, seu ministri fides requiratur, de fide vera intelligi debet, non de impropria.

Probat ur secundo ratione: quia ex opposita sententia sequitur facilius fuisse paruulorum remedium in lege naturæ, quam modo sit in lege gratiæ, hoc videtur absurdum; ergò & illud ex quo sequitur, sequela probatur: quia modo paruulorum remedium est contractatum ad vnum, nempe ad aquæ naturalis ablutioem, in lege autem naturæ non sic, quia tunc sufficiebat quolibet actio exterior pro singulorum arbitrio, cum sola illa generali intentione faciendi, quod facebat Ecclesia: vnde quilibet infidelis, & barbarus qui audiisset apud aliquam gentem dari remedium pro sanctificandis paruulis per benedictionem, vel eleuationem &c. potuisset, & suos, & alienos saltem validè sanctificare. Minor etiam probatur: quia non videtur credibile, quod adeo generale remedium fuerit

rit sufficiens tempore illo, quo Deus volebat homines afficere erga Deum mediatorem venturum; & tempore, quo volebat Christi venturi fidem dilatare, & conseruare in Sacramento paruulorum; ergò non sufficiebat illa generalis intentio, sed aliqua vltorius actio exterior quæ esset fidei internæ Christi mediatoris protestatio.

Respondent ad hoc argumentum nullum esse inconueniens quod tempore legis naturæ paruulorum remedium, facilius esset quam modo sit, sicuti nullum inconueniens est, quod contritio ante Sacramenti Pænitentiaë institutionem facilius esset quam modo sit; modo namque debet habere votum Pænitentiaë, tunc autem non; nunc affert obligationem fatèdi postmodum peccata; tunc autem talem non afferebat obligationem, ergò sicuti remedium hoc adultorū erat facilius tūc quam modo; nullum erit inconueniens dicere quod etiam paruulorum remedium esset facilius tunc, quam modo.

Nam contra est, quia licet contritio tunc temporis non afferret talem confessionis obligationem quam modo affert, tamen adhuc est facilius contritio modo cum tali obligatione, quam esset tunc sine illa; ex meritis namque Christi Domini exhibiti, abondantius datur auxilium, quam daretur tunc ex meritis eiusdem Christi exhibendi, & sic facilius est modo contritio cum tali obligatione quam esset tunc sine illa, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum desumit P. Suarez ex D. Augustino lib. I. contra Cresconium cap. 31. vbi circuncisionem cum Baptismo aequiparat in hoc, quod sicut circuncisio data etiam ab infideli reiteranda non erat, sic nec baptismus, quod idem diceret Augustinus de Sacramento paruulorum legis naturæ, &c.

Respondetur ita esse quod circuncisio ab infideli data, reiteranda non erat sicut nec baptismus, etiam si data fuisset absque debita intentione; quia

quia vt idem notauit August. ibidē, nec physicè iterari poterat, nec debebat; & ratio est quia iam puer per talem circōcisionem physicam, legem adimpletset circōcisionis, non tamen fuisset sanctificatus, propter rationem dictam, vt autem sanctificaretur debebat adhiberi remedium naturæ cum protestatione externa fidei venturi Messæ, &c.

Secundum argumentum est: quia Sacramentum Baptismi ab infideli ministratum tenet, dummodo habeat generalem intentionem faciendi quod vera facit Ecclesia, absque vlla prorsus fide; ergò idem dicendum est de Sacramento legis naturæ. Antecedens est communis Catholicorum sensus. Consequentia ex paritate rationis tenet.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiã, ratio discriminis est; quia baptisumus à quocunque detur, datur vt à Christi ministro, & est actio Christi, & sic semper habet efficaciam, at vero illud remedium paruulorum non erat à Christo,

cum nondum esset Christus; sed erat à fide in Christum, & per consequens non data fide in Christum externa actione exhibita, non esset Sacramentum.

Tertium argumentum est: quia virtus, & vis iustificatiua paruulorum non erat in habitu, vel actu fidei, sed in obiecto credito, nempe in Christo venturo. ergò etiam si minister fidem non haberet, dummodo saluetur fides obiectiuè, Sacramentum poneretur. Antecedens admittunt omnes. Consequentia etiam tenet; ergò &c.

Respondetur, quod licet ministri fides non esset virtus iustificans, sed gratia quæ causaretur à Deo ad præsentiam illius Sacramenti, tamen negari non potest quin esset conditio omninò necessaria ex parte ministri ad tale Sacramentum ponendum, sicut in Sacramentis nouæ legis uirtus iustificatiua nõ est ministri intentio, tamen hæc indispensabiliter requiritur ex parte ministri ad hoc vt Sacramentum ponatur, vt infra dicetur, sic in præsentia &c.

Sed

Sed proconide, hic quæres, an in statu legis naturæ præter Sacramentum paruulorum fuerint alia Sacramenta, nec ne. Respondetur negatiuè; quia pro illo statu nõ fuerunt data nisi necessaria ad salutem: tum quia cum Sacramentum sit in genere signi, & non constet tunc temporis fuisse datum aliquod signum, quod gratiam sanctificantem significaret, dicendū est nullum aliud fuisse Sacramentum, vnde non placet, quod dicit P. Suarez, quod pro aliqua familia potuit esse aliquod particulare Sacramentum vt sacrificium Melchisedech, eo quod mysterium significaret incarnatio-

nis, nam vt supra dicebamus est differentia inter Sacramentum, & sacrificium, quod Sacramentum est rei sacræ signum, non cuiuscunque, sed gratiæ sanctificantis, sacrificium verò non est gratiæ signum, sed auctoris illius: fuerunt ergò tunc temporis plura sacrificia, non Sacramenta; plura inquam sacrificia fuerunt, vt sacrificium Melchisedech, quod per oblationem panis, & vini perficiebatur, sacrificium primitiarum, vt patet de sacrificio Abel; sacrificium Abrahæ Gen. 15. de Vacca trienni, & Capra triema, &c. Sacrificium Noè Gen. 8. de Pecoribus, & volucris mundis, &c.

QVÆSTIO IV.

An Circuncisio sit primario instituta vt peculiaris consignatio populi Israelitici, an vt Sacramentum originalis peccati remissiuum.

Supponit quæstionis titulus contra Manicheos. &

Pelagianos Circuncisionem tulisset Sacramentum, vt ostendit

Q dicit

dit D. Augustinus lib. 6. contra Faustum Manicheum, & lib. 6. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. Negabant Manichei Circuncisionem esse Sacramentum, propterea quia fiebat in pudendo generati-
onis membro, vnde dicebant fuisse institutam ab impuro, & malo Deo. Negabant Pelagiani ex alio principio Circuncisionem esse Sacramentum, nempe quia negabant peccatum originale, in cuius etiam remedium fuit instituta, quos omnes impugnat, & expugnat D. Augustinus citatis locis. Quod in hac quaeritur quaestione est: an supposito quod fuerit Sacramentum, an fuerit primario instituta ut Sacramentum ad delendum originale peccatum, an vero ut peculiaris consignatio populi Israelitici.

Prima sententia est, Circuncisionem fuisse primario institutam ad expiationem peccata originalis, & per consequens ut Sacramentum, secundario vero, ut signaculum proprium distinctivum populi Israelitici. Hanc sententiam tribuit P. Suarez sine

vlla opinionem varietate Scholasticis omnibus antiquis, imò dicit esse sententiam omnium Sanctorum PP. post D. Augustinum. Huius sententiae fundamenta postea referentur, & soluentur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Circuncisio primario iuit instituta ut signaculum populi Israelitici, secundario vero ut Sacramentum ad peccatum originale delendum. Hæc conclusio est communis in Scholis, & illam bene defendit Suarez disput. 5. sectione prima, & est communis sententia Sanctorum PP. Chrysostomi ho. 27. in Gen. Irenei lib. 4. contra hæreses cap. 30. Hieronymi lib. primo in epist. ad Calatas. Theodo. quaest. 67. in Gen. Epiphani. hæres. 30. Damasc. lib. 4. cap. 26. D. Cyrilli N. lib. 1. in Ioannem cap. 22. D. Ansel. ad Rom. 4. & aliorum plur. quos causa breuitatis omitto. Nec D. Augustinus, & alij PP. qui Augustini sententiam sequuntur ab hac conclusione dissentunt, cum solum velint Circuncisionem esse Sacramentum quod

quod nec nos, nec alij qui nostram sequuntur sententiam, negant, sed solum volumus, hanc non esse primariam circumcissionis institutionem, sed secundariam dumtaxat, & quod ita sit.

Probatum primò, Sacra Scriptura auctoritate. Gen. 17 habetur: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fæderis inter me, & vos;* ubi ut vides primo instituta fuit circumcisio in signum fæderis; deinde ut constet, quod etiam secundario instituta fuit in Sacramentum peccati originalis remissiuum subdit Scriptura. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo. Et Apostolus ad Rom. 3. interrogans quænam esset Circumcisionis utilitas respondit: *Multum quidem per omnem modum:* & postea ostendens quænam esset hæc magna circumcissionis utilitas, nullam aliam assignat: *nisi quia credita sunt*

illis eloquia Dei: hoc est, quia populus ille fuit segregatus ut legem Dei digito scriptam acciperet; ergo per Apostolum circumcisio ut erat quædam, cæremonia particularis non fuit primario instituta ut esset Sacramentum peccati originalis remissiuum; licet postea quatenus erat cæremonia sacra fidei protestatiua, etiam Sacramenti rationem haberet. Igitur circumcisio duo continet, & quod erat quædam particularis cæremonia distinguens, & signans populum Israeliticum, & quod erat cæremonia sacra protestatiua, fidei, secundum quam rationem gratiam signabat, quod de Sacramenti ratione est, & cum hoc secundum primum supponat, primum pro primo institutum est; secundum pro secundo. Unde quod erat indeterminatum pro Sacramento legis naturæ, fuit determinatum in Circumcissione; circumcisio ergo in tantum erat Sacramentum in quantum continebat Sacramentum legis naturæ, & illa cæremonia quæ legis naturæ tempore erat, ut ita dixerim, vaga, co-

arctata fuit quantum ad masculos populi Israelitici ad cæremioniam circumcissionis, licet quantum ad feminas illius populi, & masculos aliorum, durauerit antiqua indeterminationis.

Probatur secundo rationibus, seu congruentijs satis bonis. Prima est, quia vt colligitur Iosue 5. populus Israel dum per 40. annos per desertum peregrinaretur circumcissione non fuit usus; cuius plana Sanctorum, & Doctorum ratio est, quia cum circumcissio esset instituta ad separandum populum Israeliticum ab alijs, & per totum illud tempus esset ab alijs separatus nationibus, dum per desertum ambularet, cessauit potissima circumcissionis ratio, per quam ab alijs segregaretur, & nosceretur distinctus. Et tamen tunc aliquod pro paruulis adhibebatur remedium ad peccatum delendum originale; ergo clarum signum est, quod circumcissio non erat ex se Sacramentum; sed in tantum erat in quantum Sacramentum naturæ continebat.

Secunda ratio, vel con-

gruentia est, quia circumcissio taliter præscribatur fieri 8. die vt communior docet Theologorum sententia cum D. Tho. infra quæst. 70. art. 3. ad 3. vt nec ob mortis periculum posset talis dies præueniri, & tamen non destituebantur paruuli remedio pro peccato delendo originali, imò si licuisset octauum diem præuenire, multoties non licuisset, vt si paruulus graui laborasset infirmitate, quod si circumcideretur præ nimio dolore animam exhalaret, ergo &c.

Tertia ratio, vel congruentia est, quia si Gentilis sine intentione faciendi, quod faciebat Ecclesia, Hebræi filii circumcidisset, per talem circumcissionem non fuisset ille puer iustificatus; ergo cum non esset amplius capax circumcissionis, cum pars illa, quæ per circumcissionem abscinditur esset abscissa, dicendum est, quod per Sacramentum legis naturæ potuisset iustificari, & per consequens circumcissio in tantum solum habebat effectum in quantum naturæ Sacramentum continebat:

nebat: hæc vltima consequentia liquet, si enim circumcisio fuisset Sacramentum primario institutum in remedium paruulorum, fuisset necessarium necessitate medij, & per consequens non potuisset amplius recurri ad Sacramentum naturæ; ergò cum de facto ad tale Sacramentum fuisset recursus, dicendum, non fuisse ratione sui Sacramentum, sed ratione illius ad quod recurrebatur.

Quarta ratio, vel congruentia desumitur ex modo loquendi Apostoli ad Rom. 2. *quid ergò amplius Iudeo, & Græco, aut quæ utilitas Circumcisionis?* quoad fructum scilicet spirituales: & prima ad Cor. 7. dicit, *Circumcisio nihil est, præputium nihil est.* Ad Gal. 6. *Nec Circumcisio aliquid valet nec præputium, sed noua creatura.* In quibus, & alijs locis supponit Apostolus Circumcisionem nihil prodesse ad nouam creaturam faciendam, hoc est, ad sanctificandam animam ratione sui; si autem ratione sui sanctificaret, certè non posset dicere Apostolus, *quod nihil valet,*

cum reuera multum valeret. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia Circumcisio paruulis peccatum remittebat originale; ergò primo instituta fuit in Sacramentum quam in signum distinctiuum populi Iudaici. Antecedens nullam habet difficultatem & admittunt omnes. Consequentia probatur, quia si circumcisio primario fuisset instituta vt nota, & signum distinctiuum populi, congruentius differri debuisset vsque ad ætatem adultam, quia sic homines, illius perciperent significationem, & ad maius inferuiret meritum, per doloris quem causabat sufferentiam; ergò cum non differretur, sed statim à principio conferretur ad peccatum delendum originale, signum patens est, quod primario instituta fuit in Sacramentum, quam in signum.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam ad cuius probationem dicitur, talem dilationem non fuisse congruam; primo,

mo, quia vt dicebatur, prout erat cæremonia sacra fidei protestatiua, instituta vt determinatiua materiæ indeterminatæ Sacramenti naturæ, ipsum naturæ Sacramentum continebat, & per consequens differri non debebat, sicut nec differrebat ipsum naturæ Sacramentum, secundo quia magis congruebat, quod paruuli statim à principio consignarentur nota, & veluti caractere illius populi, & statim ad populum electum pertinerent, & fierent membra illius, &c.

Secundum argumentum est, quia Circuncisio, & erat Sacramentum, & signum distinctiuum populi Israelitici, modo supradicti; sed inter illa duo primum tenet locum ratio Sacramenti quam signi distinctiui; ergo &c. Maior ex dictis à nobis satis clara est. Minor probatur, quia prius est aliquem sanctificari, quam cum Deo nouum pactum, vel fædus inire; congruum namque est, quod qui Deo dicatur iustus, & sanctus sit; ergo prius paruulus per circuncisionem sanctificari debebat,

quam notam, vel characterem populi reciperet, per quam notam, vel characterem de numero cultorum Dei fiebat &c.

Respondetur concessa maiori, negando minorem ad cuius probationem dico illam esse falsam, vt etiam colligere licet ex ijs, quæ in Baptismi Sacramento fiunt, in hoc namquæ Sacramento prius est, quod character imprimatur, & fiat puer, vel baptizatus de numero fidelium, quam quod gratia producat; character namque Sacramenti Baptismi, vt supra tetigimus, est Sacramentum, & res Sacramenti simul, quia & significatur per Sacramentum tantum, & significat rem Sacramenti tantum, nempe gratiam, vnde dari potest verum Baptismi Sacramentum informè, seù absque eo, quod gratia sanctificans producat &c.

Sed petes, an præter Sacramentum naturæ, & circuncisionem fuerint alia Sacramenta in veteri lege.

Respondetur fuisse alia plura quæ à Theologis cum D. Tho.

Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad tres classes reuocantur. In prima classe reponuntur ea Sacramenta per quæ sacerdotes, & Pontifices consecrabantur quæ nostrum sacramentum Ordinis figurabant. In secunda classe ponuntur ea quorum usu, & participatione suscipientes Deo coniungebantur, & magis in legali sanctificatione

confirmabantur, qualis erat esus Agni Paschalis, qui nostram Eucharistiam significabat. In tertia denique Classe ponuntur lustrationes, & expiationes legales quibus homines à sordibus legalibus mundabantur, quæ figurabant nostrum Pœnitentiæ sacramentum. videatur D. Tho. loco citato.



DISPVATIO IV.
 DE PRINCIPALI
 SACRAMENTORVM
 EFFECTV,

QVI EST GRATIA.

Agit de hac materia Angelicus Doctor, & cum eo eius Discipuli questione 62. per totam, sed præsertim articulo primo, vbi tanquam certum supponere videtur, quod sacramenta nullatenus esse possint gratiæ causæ principales, & merito certè, quia hoc est adeo euidens, quod & ipsi admittunt hæretici, cū enim gratia sit ordinis supernaturalis, & diuini, imò tene-

at principem locum inter res supernaturales, & diuinas, cum sit formalissima Diuinæ essentiæ participatio, nequit, vt in tractatu de gratia probauimus, à nulla creatura tanquam à causa principali attingi, multo ergo minus à sacramentis, cum sint in ordine rerum sensibilibus, & materialibus, & sic de hoc puncto nulla erit in hac Disputatione disceptatio: sit ergò quæstio præambula.

QVAESTIO I.

*Utrum nouæ legis Sacramenta causent gratiam
ex opere operato.*

Quamuis nostri temporis hæretici Sacramentorum vim verbis attollant, re tamen penitus destruunt, sicut & olim Messaliani; & licet varij sint modi loquendi hæreticorum, vt ex eorum verbis ostendit Belarminus lib. 2. cap. 2. in hoc tamen omnes conueniunt, quod gratiam ex opere operato non causent, sed solum volunt illam causare mediatè, nempe mediante fide, quam excitant, ad eum profus modum, quo concio gratiam causat mouèdo, & excitando homines ad fidem, & contritionem, & non aliter: quapropter modum loquendi Theologorum, nimirum Sacramenta causare gratiam ex opere operato vocant barbarum, monstruosum, & portentum verborum. Sed non mirum, quia hæreticorum mos est magis Donati præcepta seruare quam Dei:

licet ergò illa Theologorum loquutio non sit ita latina, est tamen valde antiqua, vt videre est apud Innocentium 3. lib. 3. de Mysterio Missæ; & multum deseruit ad explicandam virtutem, & modum operandi Sacramentorum. Vnde etiam D. Augustinus in Psal. 138. *pro os offis, vsurpauit, offum offi, quia, inquit, melius est vt reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.*

Volunt ergò Theologi, quod producere gratiam ex opere operantis, sit gratiam dari solū meriti intuitu, quod ad illam obtinendam ponitur, & producere gratiam ex opere operato, vel gratiam dari ex opere operato, est gratiam dari intuitu operis, prout præscindit ab hoc quod sit, vel non sit meritorium, scū quod idem est, gratiam dari ex opere operato est gratiam

R

dari

dari per vsum, & applicationem ipsius operis. Hinc dicimus Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, quia illam conferunt vfu, & applicatione sua. Similiter dicimus per bonum opus augeri gratiam ex opere operantis, quia illud augmentum datur præcisè intuitu operis meritorij; similiter quando peccator per pœnitentiam cõuertitur, seu per contritionem perf. etiam iustificatur extra Sacramentum, dicitur gratiam ex opere operantis recipere, quia illam non recipit vfu, & applicatione alicuius operis, nec illam meretur per contritionem de condigno, licet illam mereatur de congruo, quod sufficit vt dicatur illam habere ex opere operantis.

Hic vnum aduertat velim, quod etiam alij hic aduertere solent, nimirum, quod ille modus loquendi ex opere operato, & ex opere operantis, quo vtuntur Theologi in ordine ad habendam gratiam solent etiã vti in ordine ad habendam satisfactionem. Iustus namque per opera bona,

quæ ipse facit dicitur ex opere operantis satisfacere pro pœna temporali; per indulgentias vero, vel per sacrificium Missæ dicitur ex opere operato satisfacere; satisfactio namquẽ ex opere operantis ex bonitate operis, vel ex eius valore, quem ab ipso habet operante attenditur, at satisfactio ex opere operato non attenditur pœnes bonitatem operis, vel valorem, quem ab operante habet, sed aliundè, vndè etiam si aliquis opus à Pontifice præscriptũ pro indulgentia lucranda adimpleat absque vilo merito, vel valore, quia illud ex vana facit gloria, indulgentiam lucratur, quia ex opere operato datur, dũmodo præscriptũ opus adimpleatur: patiter si per me quis sacrum offerat, vel sacro ego intersim, & celebrans sit in peccato mortali, fructus sacrificij ex opere operato mihi applicatur. Idem dicendum est de satisfactione Sacramentali, quæ ex pœnitentia à Sacerdote imposita oritur, ipsi satisfaciendi conceditur etiam si præscriptum à Confessario opus ex ma-

la vitietur circumstantia.

Ex quibus inferitur, quid dicendum sit de Martyrio, an nimirum conferat gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis; patet namque conferre gratiam ex opere operato, cum illam causet ex suo, ut ita dicam usu, & applicatione, licet enim secundum multorum sententiam aliquā supponat dispositionem, verbigratia attritionem, tamen talis gratia non correspondet tali dispositioni, sed affertur à propria Martyrij excellentia, ex quo tamen non sequitur martyrium esse Sacramentum, cum non sit institutum ut signum gratiam signās sanctificantem, illam quidem ex opere operato causet, sed non signat, non enim sic applicatur ut gratiam signet, seu ut subiectum sanctificet, sed adhibetur à tyranno ut subiectum destruat &c. His positis.

Prima sententia hæreticorum est, Sacramenta nouæ legis non causare gratiam ex opere operato, sed solum excitatiuè quatenus habent fidem excitare, qua fide tan-

quam manu iustitiam à Deo promissam apprehendimus: igitur volunt isti Sacramenta non habere maiorem vim in ordine ad gratiam, quam habeant verba concionis in prædicante. Ita Lutherus, Kemnitius, Caluius, & alij, quorum verba refert Belarminus lib. 2. capit. 2. quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramenta nouæ legis causant gratiam non quidem tanquam causæ principales, sed tanquam causæ instrumentales, seu ex opere operato, seu ex virtute operis operati, & non solum excitando, vel confirmando fidem, vel applicando obiectum, quod illam excitet, & confirmet.

Hæc conclusio est de fide definita contra prædictos hæreticos à Tridentino sess. 7. can. 4. vbi dicitur: *si quis dixerit Sacramenta noua legis non esse ad salutem necessaria sed superflua, & sine eis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustifi-*

cantem adipisci, &c. anathema sit. Clarius can. 5. 6. & 7. & clarissime can. 8. ubi dicitur: *si quis dixerit per ipsa noua legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Proba i posset hæc conclusio pluribus Sacrae Scripturae testimonij, Cõciliorum, & Sanctorum Patrum, sed quia hæc satis super quæ afferuntur à controuersistis, breuitati consulens misiam facio: videatur tamen Belarminus loco citato capit. 3. 4. 5. 6. & 7.

Probatur primò ratione: Sacramenta sunt à Christo Domino instituta vt supra inuimus, & fatentur vel ipsi hæretici; ergo debent veritatem habere; sed si solum excitarent ad modum concionis veritatem non haberent; ergo &c. Antecedens, & prima consequentia patent. Minor subsumpta probatur, quia verba Sacramentorum verbi gratia Baptismi, & Penitentia, significant illorum ministrum verè abluere baptizati animam, & verè absoluerè

pænitentem à peccatis; ergò veram gratiam debent producere per quam illi producuntur effectus, per talia verba significati; quis enim diceret, quod fidem excitare sit animam abluere? quis diceret, quod excitare fidem ad modum concionis sit peccata dimittere? si enim hoc ita esset quilibet concionator fidei mysteria proponens, per quam propositionem fidem obiectiuè habet excitare, à peccatis habebit emundare; & sic idem erit mysteria fidei proponere, ac dicere, *Ego te absoluo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Confirmatur primò hæc ratio; quia Sacramenta à Christo Domino sunt instituta vt nos reddant certos remissionis peccatorum, & gratia Dei; sed si solum operarentur obiectiuè repræsentando, more concionis, obiectum per quod fides excitetur, & ex opere ipso, non causarent quod significant, certos nos nõ redderent remissionis peccatorum, & gratia Dei; ergò &c. Maior non solum est Catholi-

tholicorum sensus, verum etiam est communis hæreticorum consensus; differunt tamen hæretici à Catholicis, quod hæretici volunt Sacramenta in nobis certam, & ab solutam causare certitudinem quatenus habent excitare certò, & infallibiliter fidem, qua credimus nos esse iustificatos; Catholici verò licet velint sacramenta ex se infallibiliter gratiam causare, & efficacia esse, tamen contingere potest, quod in nobis talem non præsentent effectum ob nostram indispositionem. Minor probatur, quia si Sacramenta solum causarent gratiam excitando fidem modo dicto nullam causarent certitudinem, cum tunc temporis non haberent certitudinem à Deo, vel à Christo Domino instituyente, seu ratione Christi institutionis, sed à creatura fallibili, præsertim cum videamus plures suscipere Sacramenta, in quibus non solum fides non excitatur, verum etiam in quibus nulla fides reperitur. Tum etiam, quia Sacramentorum certitudo non solum provenit ex

Christi institutione, verum etiam quia in eorundem Sacramentorum usu Christus est principalis minister; ergò non solum debent Sacramenta excitare, sed gratiam causare, alioqui Christus non esset principalis Sacramentorum minister. Maneat ergò Sacramenta à Christo per hominem ministrata gratiam verè efficere, seu ex opere operato, seu ex opere effecto &c.

Confirmatur secundò; quia si Sacramenta haberent solum excitare modo dicto, & non causare gratiam ex opere operato, seu ex ipso Sacramentorum usu, & applicatione, sequeretur quod formæ Sacramentorum non essent solum determinatæ formaliter, verum etiam materialiter; hoc est falsum, ut etiam ipsi hæretici fatentur; ergò &c. Minor, & consequentia tenent; maioris sequela probatur; quia si Sacramenta obiectivè haberent excitare ad modum cognitionis, verba Sacramentorum deberent proferri ea solum lingua, qua possent excitare, illa nimirum lingua, quæ est propria cuiusque loci; & sic si
luth-

Lutheranus alia vteretur lingua quam teutonica nihil conficeret, præsertim apud ignaros alterius idiomatis, quod nec illi volunt, cum baptizent communiter lingua latina, quæ ignaros illius non habet excitare. Adde quod Sacramenta non profunt nisi suscipientibus, quod esset falsum, si de Sacramenti ratione esset solum fidem obiectiuè excitare; cum enim non solum suscipiens Sacramentum, verum etiam adstantes verba sacramenti audiant, in audientibus etiam haberent obiectiuè fidem excitare; & sic omnibus prodesse, non solum suscipientibus, verum etiam adstantibus, quod nullus hominum etiam hæreticorum dicit.

Secunda ratio, quia baptismus paruulis collatus ipsos sanctificat, vt Concilia, Patres, & Fides ipsa docet, & admittunt vel ipsi hæretici, & tamen sacramentum Baptismum ritalem excitationis effectum respectu paruulorum non habet; ergo &c.

Zuinglius lib. de vera, & falsa religione vt vim huius

effugeret argumenti in hanc incidit amentiam vt diceret, quod non ideo paruuli saluantur quia baptizantur, cum multi baptizati statim post baptismum morientes damnentur; sed quia à Deo non fuerunt æterna electione electi, qui error damnatur in Tridentino loco supra citato can. 8. & est apertè contra Sacram scripturam Io. 3. Marci ultimo. Ad Ephes. 5. 1. Petri 3. Actorum 2. vbi aperte baptismo tribuitur vis remittendi peccata. Lutherus, & Calvinus, vt eiusdem argumenti vim effugerent in maiorem prolapsi sunt insaniam dicentes, quod quando paruuli baptizantur intelligunt significationem; & credunt per Christum sibi remitti peccata. Hoc enim præterquam quod manifestè repugnat experientia, est etiam contra D. Augustinum Epist. 57. ad Dardan. epist. 106. lib. 3. de libero arbitrio cap. 21. 1. de peccat. merit. cap. 35. lib. 21. de Ciuit. cap. 16. & lib. 22. cap. 24. & alibi. Hoc idè improbat D. Bernardus epist. 77. dicens, *paruulos aliena*

fide,

*fide, non propria saluari cum
baptizantur.*

Tertia ratio desumitur ex diuersis absurdis, quæ ex sententia hæreticorum sequeretur. Primum namque sequeretur, quod Sacramentum quodlibet validum esset à quocunque Sacramentalia verba proferantur, cum respectu omnium verba eandem habeant vim excitandi fidem, quod tamen est apertè falsum; non enim omnes habent potestatem remittendi peccata per verba absolutionis. Secundo sequeretur, quod verba, etiam si à prolata, & sine animo conficiendi Sacramentum, sed cum contrario animo, verum conficerent Sacramentum propter eandem rationem; quod autem hoc absurdum sit, & rationi absurdum, explicatione non indiget, nec probatione. Tertio sequeretur eandem esse omnium Sacramentorum vim, & efficaciam, cum eandem retineant vim excitandi fidem in audientibus. Quarto sequeretur eandem esse Sacramentorum vim siuè verba audiantur, si legantur, siuè

meditentur, cum secundum omnia ista in mente fidem excitare possint. Soluuntur hæreticorum argumenta.

Primum argumentum desumit ex pluribus Sacrae scripturae auctoritatibus, & Sanctorum Patrum, sed quia iam soluta sunt à nobis in tractatu de Iustificatione explicantes, quod non sola fides est quæ nos habet iustificare, propterea missam facio: qui plura videre voluerit consulat Be-larm. lib. 2. cap. 9. 10. & 11. Hic solum placet afferre aliquas hæreticorum rationes, seu argumenta ex rationibus petita.

Secundum argumentum est Zuvinglij lib. de vera, & falsa religione cap. de Sacramentis ubi sic arguit. Solus Deus nouit corda hominum; ergò solus Deus potest eamundare; ergò Sacramenta non habent iustificare, seu gratiam ex opere operato producere. Primum antecedens patet naturæ lumine. Prima etiam consequentia satis clara est, quod enim ad cor non pertingit, cor mundare non valet; ergò cum so-
lus

Ius Deus ad cor pertingat, (*ipse namque solus nouit abscondita cordis*), solus Deus ipsum cor mundare poterit. Ultima etiam consequentia tenet; si namque Sacramenta gratiam ex opere causarent operato, certè ad cor pertinere deberent; si ergò ad cor non pertingunt cor mundare non poterunt, nec gratiam ex opere operato causabunt.

Respondetur concessio antecedente distinguendo consequens: solus Deus potest cor mundare tanquam causa principalis, & conceditur; tanquam causa instrumentalis, & negatur, nec aliud euincit primæ consequentiæ probatio, sola enim causa principalis ad cor pertinere debet ut illud mundet, non instrumentalis.

Tertium argumentum eiusdem hæretici est, quia si Sacramenta gratiam causarent ex opere operato, Deus alligaretur Sacramentis; hoc dici nequit; ergò nequè illud, Maior patet, ei namque causa

alligatur per quod suum attingit effectum; ergò si Sacramenta producant gratiam ex opere operato Deus illis alligabitur cum illis medijs suum producat effectum, gratiam scilicet sanctificantem. Minor clara est, valdè enim rationi est absolum Deum rebus sensibilibus, & materialibus alligari &c.

Respondetur negando maiorem; Deus enim non alligatur Sacramentis, sed potius Sacramenta alligantur Deo; Nam Deus se solo gratiam causare valet, non Sacramenta, non enim causa principalis dependet ab instrumentali, sed instrumentalis à principali, quod autem Deus uoluerit uti Sacramentis ad nostram iustificationem non fuit ex necessitate, sed ex dignatione propter congruentias suprà allegatas. Alia plura òmitto hæreticorum argumenta, quæ hic fieri poterant, quia còmodiori loco infrà soluentur.

QV AESTIO II

*Virum Sacramenta nouæ legis causam gratiam
ut instrumenta physica, an
moralia.*

Catholici omnes contra Caluinum, Lutherum, Philippum, Kemnitium, Bucerum, de quibus quæstione præcedenti, tanquam irrefragabile fidei dogma tenent, nouæ legis Sacramenta esse causas gratiæ, id enim patet ex illo Zacha. 13. *Erit fons patens domus David in ablutionem peccatorum; hic autem fons baptisma est, vt docent omnes, & Io. 3. dicitur. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. & cap. 6. Caro mea verè est Cibus, & per consequens verè cibat media gratia animam, & cap. 20. Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis; patet autè quod peccata nõ remittantur nisi per gratiæ infusione, & Marci ultimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, sal*

uus erit: hanc veritatem definiuit Concilium Florentinum in decreto Eugenij ad medium, vbi ponitur discrimen Sacramentorum veteris, & nouæ legis penes hoc, quod illa non causabant gratiam, hæc verò illam causant. Idem testatur Inno. 3. vt habetur c. firmiter de summa Trinitate; id habet Concilium Mileuit. c. 2. Arausicanum secundum cap. 25. Senon. c. 2. & Tridentinum sess. 6. cap. 7. & sess. 7. can. 6. 7. 8. &c. Et hoc non vt causæ principales vt supra docuimus, sed vt instrumentales vt idem docet Tridentinum. Diffidium duntaxat est inter Catholicos, an Sacramenta sint causæ instrumentales morales, an physica; pro cuius intelligentia, & vt radicatus rem hanc intelligamus,

gamus, nota hoc interesse discriminis inter causam moralem, & physicam, quod hæc in effectum influit, & eius attingit entitatem, seu communicat illi esse per virtutem physicam, siue propriam, seu quam in se habet si est causa physica principalis, siue ab alio communicatam, seu ab alio receptam, si est instrumentalis. At causa moralis non habet influxum physicum in effectum, sed moralem tantum, quia applicat causam physicam ad producendum effectum, quæ applicatio fit solum in genere moris consulendo, rogando, impetrando, seu merendo, intimando pactum iam initum, vel alio simili modo, quo inclinari solet alterius voluntas ad aliquid efficiendum. Et sicut in linea physice causalitatis datur causa principalis physica efficiens, & instrumentalis illi subordinata, ita in linea causalitatis moralis datur causa principalis moralis, & instrumentalis: causa principalis moralis est illa, quæ agit per intentionem, seu per voluntatem liberam, non sic est

neceffe, quod causa moralis instrumentalis agat, sed sufficit quod agat vt subest intentioni, & libertati causæ principalis, vt epistola verbigratia est causa instrumentalis, quia mouet vt subest intentioni, & libertati causæ principalis in ordine ad beneficium obtinendum: similiter præteritum est causa instrumentalis moralis redemptionis captiuorum, quia mouet vt subest libertati soluentis illud. His positis.

Conueniunt Theologi ferè omnes, quod Sacramenta sint causæ gratiæ instrumentales morales, quia vt subsunt intentioni, & libere voluntati instituentis Christi Domini, habent vim mouendi Deum ad gratiam producendam. Dubium solum est; an Sacramenta ultra causalitatem moralem, etiam physicam obtineant causalitatem. Circa hanc rem licet sint plures, & varij modi dicendi, ad duas tamen reuocantur sententias.

Prima sententia est, quod Sacramenta nouæ legis non nisi moralem habeant causalitatem. Hanc sententiam

post

post Scotum, Bona. Richard. Marsil. Durand. Canum, & alios sequitur Vasquez disp. 132.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramenta nouæ legis, sunt causa physica instrumentalis gratiæ. Hæc est plana mens Angelici præceptoris, & Discipulorum eius, quam etiam plures sequuntur extranei, vt Suarez. hic disput. 9. sect. 2. & alij.

Probatur primò D. Thomæ auctoritate in hoc art. primo quæstionis 62. vbi postquam reiecit solam moralem causalitatem, physicam adstruit, hisce verbis: *Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit, & hoc modo non potest causare gratiam nisi solus Deus, quia gratia nihil aliud est quam quadam participata similitudo diuinæ essentiæ secundum illud 2. Petri primo magna nobis, & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes nature.*

*Causa vero instrumentalis nō agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo mouetur à principali agente, vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis, & hoc modo Sacramenta nouæ legis gratiam causant, adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam, &c. hoc idem docet articulo 4. vbi propter hoc probat, quod in instrumentis debet dari aliqua virtus à principali agente communicata. Non refero Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum PP. testimonia breuitati consulēs, videri tamen poterunt inscribentibus, placet solum adducere testimonium Cardinalis Belarm. lib. 2. de Sacramentis cap. 11. vbi relata prima sententia de causalitate morali Sacramentorum, subdit: *Puto longe probabilior, & tutiorem esse sententiã, quæ dat Sacramentis veram efficientiam, quia Patres passim docent Sacramenta non agere nisi prius à Deo virtute.**

sem, seu benedictionem, seu sanctificationem accipiant, & referunt effectum Sacramenti ad omnipotentiam Dei, & conferunt cum veris causis efficientibus ut supra vidimus. Secundo, quia non esset differentia inter modum agendi Sacramentorum, & signorum magicorum. Tertio, quia tunc non esset homo Dei minister in ipsa actione Sacramentali, sed homo praeberet signum actione sua, & Deus alia actione, viso eo signo infunderet gratiam, ut cum vnus ostendit syngrapham mercatori, & ille dat pecunias. At Scriptura docent Deum esse qui Baptizat per hominem ut supra ostendimus. hæc ille. Sed probemus conclusionem rationibus.

Prima ratio: nouæ legis Sacramenta sunt instrumenta Dei ab eodem mota ad causandam gratiam; ergo sunt instrumenta physica, & non moralia. Antecedens est non solum commune Sanctorum Patrum dictum, verum etiam est Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. Consequentia probatur primo; quia Sacrae scripturae, Conciliorum, & san-

ctorum Patrum testimonia cum omni proprietate, & rigore accipienda sunt, ex communi regula ex D. Augustino desumpta; patet autem, quod instrumenti nomine in omni rigore sermonis physicum instrumentum accipiendum est. secundo, quia Patres communiter docent sacramenta supernaturalem habere virtutem ad gratiam producendam, qua non indigerent, si solum instrumenta moralia essent, sed sufficeret Sacramenti praesentia, ut gratia physicè causaretur à Deo. Tertio, quia non maiorem vim haberent Sacramenta in ordine ad proprium ponendum effectum, quam habeat res malefica ad suum ponendum effectum ex dæmonis pacto, & institutione; ita enim dæmon suos causat effectus ad praesentiam rei maleficae ex pacto expresso, vel tacito, sicut haberent Sacramenta, si nihil physicum reciperent, quod certè dissonum rationi est, & Sacramentorum dignitati indecorum valde, &c. Quarto probatur illa consequentia, quia si dicamus Sa-

cramenta esse gratiæ physica,
 instrumenta, cædit hoc in ma-
 iorem ipsorum Sacramentorū
 dignitatem, & excellentiam;
 maioris namquē excellentiæ
 est per virtutem intrinsecam
 gratiam attingere, & ex vi sua,
 quam quod solum à Deo ad
 Sacramentorum præsentiam
 attingatur; licet enim quan-
 tum ad nostram pertinet uti-
 litatem, perinde sit quod gra-
 tia physicè, vel moraliter ca-
 usetur, cum in eadem intensi-
 one quoquomodo à Sacra-
 mentis causetur, à Deo causa-
 ri possit, tamen quantum per-
 tinet ad Sacramentorum di-
 gnitatem, & excellentiam
 negari non potest, quin ma-
 ioris sit excellentiæ gratiam
 causare physicè, quam mo-
 raliter tantum, ad hoc enim
 ut Sacramenta gratiam phy-
 sicè causent Dei indigent ele-
 uatione, qua non indigent ut
 causent moraliter; propterea
 patres extollunt Diuinam Om-
 nipotentiam, quia media re
 corporea, & sensibili gratiam
 producere potuerit, quod nõ
 esset si solum moraliter grati-
 am producerent Sacramen-
 ta, &c.

Nec valet quod solent ali-
 qui ad hoc argumentum re-
 spondere; quod causalitas mo-
 ralis excellentior sit physica,
 quia causalitas moralis, vel
 libertatem dicit, vel saltem
 inuoluit, seù connotat, ratio-
 ne institutionis, vel deputa-
 tionis, non sic causalitas phy-
 sica, vnde causalitas physica
 instrumentalis gratiæ potest
 cuicumque creaturæ conue-
 nire, vt lapidi, imò etiam ip-
 sis damnatis; potest namque
 Deus damnatum eleuare ad
 causandam gratiam in quo-
 cumque voluerit subiecto ca-
 paci, non tamen potest damna-
 tus esse causa moralis gratiæ,
 &c.

Nam contra est, quia licet
 causalitas moralis ratione li-
 bertatis importatæ physicam
 superet causalitatem, non ta-
 men superat in ratione causæ,
 seù qua causa est; nobilitas
 namque causæ in ratione ca-
 usæ non ab extrinsecè impor-
 tatis desumitur, sed ab excel-
 lentiori influxu in effectum.
 Vnde si Deus damnatum as-
 sumeret ad causandam gra-
 tiam, negari non posset, quin
 talis damnatus, licet morali-
 ter

ter pessimus esset, physicè nō mobilitaretur, & ad quandam maiorem eleuaretur excellentiam, quam si solum Deus intuitu præcedentium eiusdem damnati meritorum gratiam in aliquo causaret.

Secunda ratio est desumpta ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. vbi dicitur: *si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre quasi signa tantum externa sint &c. anathema sit*; ex quibus verbis sic fortissimam desumimus contra aduersarios rationem. Si Sacramenta nouæ legis physicè gratiam non causarent, in sermonis proprietate dici non posset, quod gratiam continerent, quam significant, seù quod gratiam conferant non ponentibus obicem quam significant, sed essent solum externa quædam gratiæ signa; sed hæc omnia sunt contra Concilium; ergò nouæ legis Sacramenta gratiam physicè causant, quam significant. Maior sola indiget probatione. Minor namque vt patet,

& consequentia probatione non egent; Probatur ergò maior primo sic: causa moralis dici non potest verè, & propriè gratiam continere, & causare, seù conferre: quod sic explico, quia si Sacramenta essent causæ morales gratiæ in tantum dicerentur tales, in quantum ex Diuina institutione haberent Diuinam mouere voluntatem ad gratiæ productionem, cum ipsa gratiam non producant; sed Diuina voluntas non propriè à Sacramentis mouetur, sicut non propriè à creaturis immutatur, sed solum metaphoricè; ergò etiam ipsa Sacramenta si semel solum moraliter gratiam causent, non propriè causabunt, sed impropriè, & metaphoricè tantum, quod sequenti exemplo manifestum fiet: homo disponens materiam per virtutem seminalem mouet Diuinam voluntatem, ad hoc vt animam creet rationalem, vt tali vniatur materiæ, & tamen nullus cordatus dicet hominem illum, sic diuinam mouentem voluntatem ad talem animam creandam, esse verè causam illius

lius animæ, vel illâ in se continere, vel illam conferre materiæ; ergò similiter ex hoc præcise, quod Sacramenta Diuinam moueant voluntatem ad gratiam causandam, dici non poterit, quod gratiam contineant, vel conferant non ponentibus obiecem. Similiter oratio iusti Diuinam mouet voluntatem ad hoc vt gratiam peccatori conferat, & tamen nemo dicet iustum gratiam continere, vel illam conferre non ponentibus obiecem. Probatur secundò illa maior. *Conditio sine qua non*, non potest dici effectum causæ continere, vel conferre; sed si Sacramenta essent causæ dumtaxat morales essent solum conditiones sine quibus non; ergò non contineant effectum causæ principalis, nempe gratiam, nec illam conferrent non ponentibus obiecem. Maior in philosophia est certa; certum nam quæ est, quod ignis approximatio, quæ est conditio sine qua non ignis lignum comouit, non dicitur calefacere, vel ignire, sed solum dicitur conditio sine qua non ignis

non calefacit &c. Minor in qua est difficultas probatur, quia licet Sacramenta vt causæ morales possint probabiliter dici veræ causæ in genere moris respectu inclinationis voluntatis Dei ad gratiam producendam, tamen hoc genus causæ eo solum tendit vt Diuinam applicet voluntatem ad gratiam conferendam ergò solum habet rationem conditionis sine qua non, cum solum habeat applicare Diuinam voluntatem ad gratiam producendam.

Confirmatur tota hæc ratio; quia si Sacramenta essent solum causæ morales gratiæ, & non physicæ, non possent esse instrumenta Dei vt Dei, sed essent solum instrumenta Christi: hoc est contra Tridentinum sess. 6. cap. 7. ergò &c. Maior probatur, quia id per quod alterius voluntas mouetur, & inclinatur non est illius instrumentum cuius voluntas inclinatur, & mouetur, sed est instrumentum illius qui mouet; sed Christus Dominus est ille qui medijs Sacramentis à se institutis Diuinam mouet voluntatem ad gratiam

am causandam; ergò Sacramenta sunt dumtaxat instrumenta Christi non Dei, causa namque moralis non est instrumentum illius qui moraliter mouetur ad aliquem efficiendum effectum, sed est instrumentum illius qui mouet; præterea namque quod Petro à Ioanne pro redimendo captiuo offertur, non est instrumentum Petri cui præterea offertur, sed Ioannis offerentis; patet autem, quod Sacramenta sunt instrumenta Dei quibus nos à peccatis liberat &c.

Tertia ratio: si Sacramenta nouæ legis essent dumtaxat causæ morales gratiæ, & non physica sequeretur, quod Sacerdos in Pœnitentiæ, uerbi gratia Sacramento non uerè, & propriè pœnitentem absolueret, hoc est contra intentionem formæ absolutionis; ergò &c. Maioris sequela probatur. Intantum Sacerdos propriè peccatum remittit, in quâto quod propriè gratiam producit; sed posito, quod nostra Sacramenta efficienter gratiam non producant, sed solum producat à

Deo, Sacerdos per absolutionis formam gratiam non producit; ergò nequè absoluit. Maior patet, non enim aliter peccata remittuntur nisi per gratiæ infusionem. Minor etiam satis clara est, si enim Sacerdos gratiam efficienter non producit, nec efficienter peccata remittit, sed se habebit ad modum præconis declarantis pœnitentis absolutionem, non absoluentis, cum tota ratio Sacerdotalis absolutionis finiatur, & compleatur per moralem Diuinæ uoluntatis applicationem ad producendam gratiam in suscipiente &c.

Respondent aliqui, quod licet peccati remissio semper cõiunctam habeat gratiæ productionem, tamen sunt ad inuicem distincta, & diuersis correspondere possunt; Sacerdos ergò inquit ut minister Christi peccata remittit, ut deinde Sacramentum applicat Diuinam mouet uoluntatem ad gratiam causandam sanctificantem.

Sed contra, quia ut in tractatu de Iustificatione docuimus implicat, quod fiat peccati

cati mortalis remissio sine gratiæ infusione, imò ipsa gratiæ infusio est formalissima peccati remissio; iustificatio namquè est motus ab statu peccati ad gratiæ statum; & non esse peccati, est ipsa gratiæ infusio; in iustificatio- nis enim motu, duæ mutatio- nes reperiuntur, nempe tran- situs ab esse peccati ad non esse eiusdem, & transitus à non esse gratiæ ad esse eius- dem; at non esse gratiæ, & ef- fe peccati idem sunt, & qui tollit esse peccati, & ponit non esse eiusdem, tollit non esse gratiæ, & ponit esse eius- dem, & per consequens qui peccata remittit gratiam ponit, & qui efficienter, & pro- priè peccata remittit, seù ab- soluit, effectiuè etiam gratiã producit.

Confirmatur hoc, quia quotiescumque mutatio non est tantum priuatiua verum etiam est alicuius boni indu- ctiua, qui talem ponit muta- tionem, & tale bonum ponit; sed absolutio à peccatis non est mutatio solum priuatiua, sed etiam boni inductiua, nẽ- pe gratiæ; ergò qui talem po-

nit mutationem non solum peccata tollit ponendo mu- tationem priuatiuam, verum etiam gratiam ponit, per quã talis peccatorum priuatio po- natur. Adde quod Sacerdos non aliter peccata tollit, quã peccatorem Deo reconcilian- do; atqui peccator non aliter Deo reconciliatur quam per gratiam; ergò Sacerdos me- dio Sacramento gratiam effi- cienter producit.

Quarta ratio; eandem vim obtinent nouæ legis Sacra- menta in ordine ad gratiam producendam, quam habent verba consecrationis in ordi- ne ad transubstantian dum Pa- nem in Christi Corpus, & vi- num in Sanguinem; sed vis, & efficacia verborum consecra- tionis ad dictos effectus præ- standos est verè physica, & efficiens; ergò etiam virtus Sacramentorum in ordine ad gratiam producendam, verè physica, & efficiens erit. Maior conceditur ab auctori- bus oppositæ sententiæ; est enim eadem vtrorundem ver- borum ratio, nempe verborũ consecrationis, & absolutio- nis. Minor est communis

fensus SS. PP. præsertim D. Ambrosij lib. 4. de Sacramētis cap. 4. & approbat Ecclesia feria 4. infra octauam Corporis Christi, vbi inter alia dicit. *Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum, quis sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia; iussit Dominus & factū est Cælum, iussit Dominus, & facta est Terra; & post pauca; vides ergo quàm operatorius est sermo Christi, si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est ut quæ erant in aliud commutentur, &c. & cap sequenti dicit: Vbi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit.*

Quinta ratio. Deus est causa physica gratiæ; ergo etiam Sacramenta antecedens est certum. Consequentia probatur, quia instrumentum debet causæ principali proportionari; ergo si causa principalis est vera causa physica, etiam eius instrumentum physicum esse debet, namque instrumentum in eodem genere causæ causat, quo causa

principalis, cum enim instrumentum concurrat in virtute causæ principalis, & mediâ actione eiusdem, eiusdem ordinis esse debet, alioqui debita non seruaretur proportio, quod non est dicendum.

Respondent aliqui ex defensoribus oppositæ sententiæ, quod Deus, & est causa principalis physica, & moralis, qua causa principalis physica nullo vititur instrumento, qua verò causa principalis moralis vititur Sacramentis, & sic seruatur debita proportio inter causam principalem, & instrumentalem, & quod eiusdem fiat ordinis, ut bene probat argumentum.

Sed contra, quia negari nõ potest, quin sit Deus causa interioris renouationis, quæ fit verbigratia per Sacramentum Baptismi; non solum moralis, verum etiam physica; ergo vititur Sacramentis non solum qua causa moralis, verum etiam qua causa physica; ergo Sacramenta non solum sunt instrumenta moralia, verum etiam physica; quod argumentum clare desumitur ex illo Io. 3. *Nisi quis renua-*

tus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest videre Regnum Dei; vbi vt vides renascentia spiritualis, quæ fit per Sacramentum Baptismi, eodem modo Spiritui Sancto tribuitur à Christo quoad casualitatem renascentiæ, ac aquæ Baptismali.

Propterea melius respondent alij, non esse contra rationem causæ physiciæ quando est intellectualis, quod instrumento vtatur morali, dum scilicet vtitur aliquo, quod suam moueat voluntatem, applicet, & determinet ad physicè producendum effectum.

Sed hæc etiam responsio facile reicitur, nam dum causa principalis ab aliquo mouetur, & applicatur non gerit munus causæ physiciæ, sed moralis; vt enim causa moralis, mouetur, applicatur, determinatur; vt vero causa physica, producit, influit, causat.

Sexta ratio. Si nouæ legis Sacramenta gratiam dumtaxat moraliter causarent, nulla esset differentia inter Sacramenta nouæ, & antiquæ legis; hoc est contra Concilium

Florentinum in decreto vniõnis, vbi postquam dixit Sacramenta nouæ legis esse septem, subdit: *Quæ multum à Sacramentis antiquæ legis differunt, illa enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant;* ergo &c. Maior probatur, quia Sacramenta legis antiquæ causabant gratiam moraliter, mouebant enim Diuinam voluntatem ad causandam gratiam, meritorum Christi intuitu.

Respondet Lugo hic disput. 4. sect. 5. num. 71. quod licet tam noua, quam antiqua Sacramenta gratiam moraliter dumtaxat causarent, tamen nostra Sacramenta sunt verè causæ morales, antiqua vero solum erant conditiones morales; sunt nostra Sacramenta veræ causæ morales, quia iam merita Christi, à quibus suum recipiunt valorem sunt exhibita; erant antiqua Sacramenta solum conditiones morales, quia erant futura Christi merita, nõ exhibita.

Sed contra, quia sicut in humanis contractibus vera

saluatur causalitas moralis in fide futuri pretij, ita & in nostro casu, quod explico; si quis det pretium modo pro redimendo captiuo, in omnium sententia est vera causa moralis talis redemptionis, quia talis pretij solutio mouet tyranni voluntatem ad captiuum relaxandum; pariformiter si quis actu pretium non soluat, sed det tyranno chyrographum ad soluendum pretium anno sequenti, certe datio chyrographi est vera causa moralis liberationis captiui; ergo similiter cum Deus antiquæ legis Sacramentis gratiam promiserit ex meritis Christi futuri, habebunt veram causæ moralis rationem ad Diuinam mouendam voluntatem, vt gratiam ad illorum præsentiam causarent; erant namque Sacramenta illa velut quædam protestationes pretij soluendi per Christum, & instrumenta Diuinas continentes promissiones &c.

Sed demus Cardinali de Lugo, Sacramenta legis antiquæ fuisse quædam conditiones, adhuc non extrahuntur à ratione causæ moralis, causa

namque moralis illa est, quæ habet vim flexendi alterius voluntatem ad aliquem effectum præstandum; sed hoc ipsum habere potest conditio sine qua non: quid enim refert ad rationem causæ moralis, quod merita sint exhibita, vel exhibenda, dummodo tam exhibita, quam exhibenda habeant vim mouendi voluntatem alterius ad aliquem effectum præstandum; ad summum enim sequetur, quod magis, vel fortius moueatur alterius voluntas à meritis exhibitis, quam ab exhibendis, sicuti voluntas tyranni fortius mouetur à pecunia formali, quam æquiualehti. Sed hæc sufficiant rationes pro nostra sententia comprobanda. Soluamus partis oppositæ fundamenta.

Primum argumentum desumunt ex auctoritate D. Thomæ art. 4. huius quæstionis 62. vbi habet: *Ad primum dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, & completa sicut ratio probat: nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem*

lem instrumentaliter, inquantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spiritali ad aliquem effectum spirituales inducendum; sicut & in voce sensibili est quedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis inquantum procedit à conceptione mentis, & hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis inquantum ordinantur à Deo ad effectum spirituales. Hæc ille, ex quibus verbis sic argumentatur Lugo ubi supra num. 98. voces ab intellectu loquentis non habent aliquam virtutem spirituales physicam, sed morale tantum fundatam in significatione, & impositione hominum, quæ est solū quid morale; ergo Sanctus Thomas non vult aliquam virtutem spirituales physicam esse in Sacramentis, sed solum morale derivatam ex intentione Christi instituentis.

Respondetur primo, D. Thomam vocis exemplo usum fuisse; ut declararet quomodo Sacramentum cum quid corporeum sit, effectum habere possit spirituales, nempe gratiam in anima producere, &

dicit hoc posse Sacramentum per motum aliquem acceptum à Deo, quod exemplo vocis sensibilis explicuit, quæ potest in audientis intellectu excitare cognitionem per acceptam ab hominibus significationem, & licet hoc, vox solum præstet moraliter, non propterea sequitur, velle D. Thomam etiam Sacramenta solum morale virtutem habere, cum in exemplis non sit paritas omnimoda requirenda.

Respondetur secundo cum Nugnez ibi, quod verba, seu voces sensibiles prout procedunt à verbo interiori, & spiritali participant quandam virtuositatem spirituales, per quam physicè, & realiter habent causare aliquid in alterius intellectu, quod & ipsa doceri videtur experientia; videmus enim, quod voces cum maiori artificio, vi, & energia prolata, maiorem vim habent excitandi alterius intellectum, & affectum, & hoc aliunde oriri non potest, quam ex modo aliquo vero, & physico, quem ab ipsa loquentis energia participant, certè non potest

potest causari maior intellectus alterius excitatio, nisi maior quædam speciei viuacitas, & præstantia causetur, hæc autem causari nequit nisi maior quædam vis in verbis reperiatur, & maior verborum vis, ex maiori energia loquentis, quod confirmat commune ex D. Hyeronimo proloquium. *Viua vox habet nescio quid latentis energia, &c.*

Secundum argumentum Sacramenta, verbigratia baptismus, & pænitentia, eodem prorsus modo causant gratiam, quo causant remissionem peccatorum, sed remissionem peccatorum causant dumtaxat moraliter; ergò, & gratiam. Maior est certa, Scriptura namque, Concilia, & PP. eodem loquuntur modo de Sacramentis prout remissionem faciunt peccatorum, & gratiam causant. Minorem probant, vt dicunt efficaciter, quia remissio peccatorum est actus immanens Dei, hominis peccata condonantis, & deponentis odium, quo iustè hominem, qua peccatorem prosequatur; atqui Sacramenta

nullatenus possunt actum Dei immanentem physicè producere; ergò &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico, vt dixi quæstione 7. disputationis primæ de iustificatione, quod ad hoc vt gratia peccatum deleat nullo indiget Dei fauore extrinseco, sed ex se suaque natura hoc munus præstare, & non quoquomodo, sed efficienter physicè vt disput. 2. quæst. 5. eiusdem tractatus docuimus, & per consequens eo ipso, quod Sacramenta physicè gratiã producant, etiam physicè peccata delere habent.

Tertium argumentum est, quia maiorem habent proportionem actus supernaturales contritionis, & dilectionis cū gratia sanctificante, quam habeant Sacramenta; sed actus illi gratiam physicè non causant; ergò neque Sacramenta Maior est per se nota, actus namque illi, quippe supernaturales in eodem sunt ordine cum gratia, Sacramenta vero quippe sensibilia, & materialia signa, inferioris valde sunt

sunt ordinis . Minor etiam clara est, quia actus illi ut gratiam præcedunt solum sunt dispositio meritoria de congruo, respectu primæ gratiæ; respectu vero augmenti illius sunt quidem dispositio meritoria de condigno, & per consequens causa moralis, non physica . Consequentia ex præmissis sequitur, &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, non enim Sacramentationem causalitatis gratiæ habent ratione maioris, vel minoris proportionis cum gratia, sed ratione institutionis factæ à Christo Domino: quare autem voluerit Christus instituire signa sensibilia, & corporea ut essent Sacramenta, & gratiæ causatiua, supra explicuimus.

Quartum argumentum: Sacramenta causant gratiam in virtute passionis, & mortis Christi; sed passio, & mors Christi non causant physicè gratiam, sed moraliter dumtaxat; ergo & Sacramenta . Maior est omnium Catholicorum sensus, & iudicium . Minor probatur . Tum quia

passio, & mors Christi, modo physicè non existunt; ergo physicè causare non possunt, quod enim physicè non existit, physicè non causat, actiones enim ut est commune, pronunciatum, sunt suppositorum, & existentium . Tum etiam, quia mors formaliter est *quædam vitæ priuatio*, priuationes autem veram nequeunt habere efficientiam; Tum denique, quia passio, & mors Christi eodem modo causant in nobis gratiam modo, & causabant in antiquis PP. Sed in illis gratiam moraliter solummodo causabant; ergo etiam modo, sic enim res futura se habet ad existentiã, ac res præterita; ergo si passio ut futura solum moraliter gratiam causabat, ita & præterita.

Respondetur concessa maiori, negando minorem: ad probationem dicitur, quod licet Sacratissima Passio Christi Domini in se ipsa formaliter non maneat, manet tamen in sua virtute, & termino, quem reliquit in quinque vulneribus, cuius rei optimè adducunt exemplū N. Con-
plur.

plut. physica disput. 12. quæst
2. num. 62. de proprietatum
resultantia, quæ si diuinitus
impediretur per aliquod tem-
pus, noua non requireretur
actio ad ipsas proprietates ter-
minata, sed sufficeret antiqua
illa in ipsa substantia, vel
essentia virtualiter perseue-
rans, numquam enim illa ac-
tio censetur suum munus suf-
ficienter obijisse quamdiu eti-
am ad passionem non exten-
ditur, per quod patet ad pri-
mam probationem: ad secun-
dam dicitur, quod mors non
causat effectiuè præcise ratio-
ne priuationis, sed ratione
positiui importati. Ad 3. pa-

tet ex dictis, nam passio vt fū-
tura, nec in se, nec in sua exi-
stit virtute; at vt præterita,
licet in se non existat in sua
tamen existit virtute, vt patet
&c. Plura alia solent adduci
argumenta, præsertim petita
ex Christi humanitate ex eo,
quod operaretur in distans, vt
cum Centurionis seruum ab-
sentem curauit, cum animam
Lazari reuocauit à limbo,
& alia 600. quæ suo loco ex-
plicabuntur; interim videri-
possunt N. Compl. loco cita-
to, & expositores D. Thom
hac 3. par. quæstion. 13. ar-
tic. 2.

QVAESTIO III.

*Per quid Sacramenta eleuentur, ut gratiam
instrumentaliter physice
producant.*

Suppono primo cum com-
muni Theologorum sen-
tentia contra Paludanum in
4. dist. prima, quod Sacra-
menta immediate gratiam

attingant: volebat Paludanus,
quod Sacramenta, quæ cha-
racterem producant immedi-
ate eundem attingerent cha-
racterem, & medio illo gra-
tiam,

tiam, quæ autem characterem non producant attingant gratiam mediante quodam ornatu; quæ sententia communiter reicitur; Concilia namque, & PP. numquam talem agnouerunt in Sacramentis mediatam gratiæ productionem. Magis accedit ad veritatem M. Soto in 4. dist. 1. qui in gratia duo distinguit, rationem scilicet benevolentie, & rationem qualitatis; & vult quod Sacramenta gratiam immediatè attingant secundum rationem benevolentie, & mediatè secundum rationem qualitatis, sed neque hic dicendi modus est cõformis modo loquendi Conciliorum, & PP. qui absolutè, & sinè aliqua distinctione volunt Sacramenta gratiam attingere.

Suppono secundo contra Capreolum, & quosdam alios, quod virtus Sacramentis superaddita ad gratiam producendam non sit vera, & perfecta qualitas, siue corporea sit, vt quidam volunt, siue incorporea, & spiritualis, vt volunt alij, si enim superadderetur Sacramentis qualitas

completa, vel esset sufficiens ad producendam gratiam, ita quod solum auxilio Dei mouente indigeret, vel certe adhuc indigeret aliquo, quo completeretur; si primum, esset causa principalis, si secundum ad nihil deseruaret, cum adhuc indigeret virtute alia instrumentaria, qua compleretur &c. His positis duæ circa hanc rem sunt celebres sententia:

Prima sententia est, quod eleuatio Sacramentorum nouæ legis fiat per actiuam potentiam obedientialem illorum, ex imperio Dei, quatenus à Deo assumuntur speciali quodam concursu, nullam entitatem superaddendo eorum entitati, quod dicunt proportionaliter de omni re in ordine ad producendos effectus excedentes eorum naturas. Ita Suarez 3. p. disput. § 1. & tom. 3. disput. 9. sect. 1. quem postea sequuti sunt plures moderni, præsertim ex eadem societate.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Nouæ legis Sacramenta nullo modo eleuari possunt per potentiam

rentiam illam obedientialem
 actiuam; sed indispensabiliter
 superaddi debet aliquid per
 modum transeuntis, quod sit
 vel modus, vel motio, seu vir-
 tuositas quædam, per quam
 Sacramenta gratiam ipsam
 attingant tâquam ipsius Dei
 instrumenta. Ita D. Tho. ar.
 4. huius quæst. 62. vbi habet:
*Sed ponendo, quod Sacramentũ
 est instrumentalis causa gratiæ
 necesse est simul ponere, quod
 in Sacramento sit quædam vir-
 tus instrumentalis ad inducen-
 dum Sacramentalem effectum*
 & post pauca explicans, quid
 sit hæc virtus subdit: *Virtus
 instrumentalis habet esse trã-
 sicens ex vno in aliud, & est in
 completum, sicut & motus est
 actus imperfectus ab agente in
 patiens, & art. primo habet:
 Causa verò instrumentalis non
 agit per virtutem suæ formæ,
 sed solum per motum quo mo-
 uetur à principali agente.*
 Vnde notat Nugnez in sum-
 ma art. 4. quod D. Tho. est
 perpetuus in hoc, quod virtus
 instrumentaria non est aliqua
 qualitas, sed motio principa-
 lis agentis, quæ motio vo-
 catur virtus instrumentaria,

virtuositas Sacramentorum,
 motio, & modus &c. D. Tho.
 sequuntur omnes eius Disci-
 puli, prop. eadè abstinendum
 est ab illis recensendis.

Probatur primò, destruendo
 fundamentum sententiæ
 oppositæ de potentia obedi-
 entiali sic. Si daretur poten-
 tia obedientialis actiua in
 Creaturis ad faciendum quid
 quid contradictionem non
 implicat ex Diuino imperio,
 gauderent creaturæ virtute,
 & vi infinita; hoc dici nequit;
 ergò &c. Maioris sequela
 ostenditur, quantitas virtu-
 tis, & potentia, ex quantitate
 metitur obiecti; sed obiectum
 huius potentia obedientialis
 actiua esset infinitum; ergo,
 & potentia ipsa infinita esset.
 Maior patet, inter potentiam
 namque, & eius obiectum pro-
 portio, & adaptatio dari de-
 bet, & obiectum infinitum
 non nisi à virtute, vel poten-
 tia infinita respici potest. Mi-
 nor in qua est difficultas pro-
 batur; obiectum namque
 potentia obedientialis est
 quidquid non implicat con-
 traditionem; sed hoc est
 infinitæ extensionis, & la-
 titu-

itudinis; ergò &c.

Respondent aliqui ex oppositæ sententiæ defensoribus, quod licet hoc quod est non implicare contradictionem sit obiectum infinitum, tamen obedientialis potentia actiua non respicit hoc præcisè, sed solum prout recipit eleuationem à superiori agente, penes cuius influxum metitur perfectio, & extensio huius potentia, influxus autem ille semper finitus est, & ad finitum, & determinatum semper datur effectum &c.

Sed contrà, quia licet in actu secundo finiatur potentia obedientialis actiua extensio per illam Dei actualem eleuationem, tamen negari non potest, quin considerata in actu primo non sit infinita extensionis, & latitudinis, ad eum modum, quo theologizantur aliqui de Sacrosancto Missæ sacrificio, quod absolute, & simpliciter est infiniti valoris, licet in actu secundo talis valor non exerceatur propter finitam Sacerdotis applicationem.

Respondent alij negando

sequelam; dicunt enim quod licet potentia obedientialis actiua respiciat dictum obiectum tamen non est infinita nec intensiue, nec extensiue; non intensiue, quia est instrumentaria, & quædam participatio actiua potentia, quæ in Deo est infinita intensiue simpliciter, si enim iniquiunt, esset illa virtus infinita simpliciter, alterius non indigeret auxilio, nec ab alio in suo dependeret operari: nec etiam est infinita extensiue simpliciter, sed solum secundum quid & syncategorematicè, quia non tot possibilita possunt assignari, quin semper alia, & alia.

Sed hæc solutio vim nostræ rationis non eneruat; nam si daretur talis potentia obedientialis actiua, & esset infinita simpliciter intensiue, & extensiue: primum probo, quia ex hoc quod est instrumentaria non tollitur quin & sit, & dici debeat simpliciter infinita, si semel tantum extenditur illa virtus instrumentaria, quantum virtus causæ principalis; diuina namquè omnipotentia solum se extendit

ad id, quod contradictionem non implicat; ergò si etiã ad hoc se extendit virtus illa instrumentaria, ita erit in linea virtutis instrumentarię simpliciter infinita potentia obedientialis actiua, sicut Diuina omnipotentia est simpliciter infinita in linea causę principalis: quod argumẽtum æquæ probat infinitatem extensiuam potentię obedientialis actiue; sicut enim ex hoc, quod nunquam possint dari omnia possibilialia actu producta, non tollitur quin Diuina omnipotentia sit in omni genere infinita, ita & virtus illa potentię obedientialis actiue; quod enim dari non possint omnia possibilialia extra statum possibilitatis non est ex defectu virtutis productiue Diuinę omnipotentię, & virtutis eius instrumentarię, sed ex incapacitate possibilium ipsorum, vel ex alijs capitibus. Probatur secundo, quia si daretur in Creaturis potentia obedientialis actiua in ordine ad effectus supernaturales, verbigratia in Sacramentis in ordine ad gratiam producendam, illa

esset rebus ipsis innata, vt admittunt qui illam volunt; sed repugnat dari talem potentiam actiuam innatam ad producendos quoscumque effectus; ergò &c. Maior conceditur ab illis, quos impugnamus: minor probatur, si enim in creaturis talis innata virtus in ordine ad producendos quoscumque effectus reperiretur, vel illa esset completa, vel incompleta; neutrum dici potest; ergò &c. non primum, quia tunc temporis extraherentur Sacramenta à ratione causę instrumentalis, & essent causę principales: non secundum, quia vel illi proprius responderet effectus, vel non, si proprius, iam respectu illius esset causa principalis incompleta, si non, non erit potentia actiua.

Respondet post Suarez, Maratus hic disput. 4. sect. 10. num. 3. potentiam obedientialem actiuam esse virtutem incompletam, & non esse causam principalem respectu effectus correspondentis, quia non operatur auxilio sibi debito, sed vt producat effectum præter Dei concursum generalem

ralem opus habet alterius causæ consortio, à qua adiuvetur, aut speciali Dei auxilio, &c.

Sed contra, quia illa est causa principalis, quæ intra latitudinem obiecti sui adæquati operatur; sed illa obedientialis potentia actiua, verbigratia Sacramenti, dum gratiam attingit, operatur intra latitudinem sui obiecti adæquati; ergò operatur vt causa principalis. Maior vt patet certa est. Minor probatur, quia obiectum adæquatum potentie obedientialis actiue per aduersarios est, quidquid contradictionem non implicat; sed gratia, verbigratia Sacramentalis, contradictionem non implicat; ergò continetur intra latitudinem obiecti potentie obedientialis actiue. Tum quia illa est causa principalis alicuius effectus, quæ ex propria innataque virtute operatur, & illa est virtus instrumentaria, quæ ab extrinseco venit, verbigratia virtus instrumentaria Dei auctoris naturæ à Deo oritur naturæ auctore, & virtus instrumentaria Dei auctoris super-

naturalis à Deo pariter procedit auctore supernaturali; sed potentia obedientialis actiua per suos auctores ex innatis rerum principijs procedit; ergò non instrumentaria, sed principalis erit. Tum etiam, quia virtuti innatæ, & naturaliter congenitæ concursus sibi debetur proportionatus; ergò si semel illa potentia est congenita, malè in tali dicitur responsione, quod auxilium requirat speciale. Tum denique, quia si illa potentia obedientialis actiua esset virtus instrumentaria Dei, vel esset virtus instrumentaria Dei vt est auctor naturalis, vel vt est auctor supernaturalis; non primum, neque secundum; ergò non est virtus instrumentaria, sed principalis; quod non possit esse virtus instrumentaria Dei vt est auctor naturæ patet, quia Deus vt talis, non est auctor effectuum supernaturalium: quod neque sit virtus instrumentaria Dei vt est auctor supernaturalis, etiam patet, quia ex naturæ principijs oritur, & avertit omne actionem Dei auctoris supernatura-

turalis, virtus autem instrumentaria debet esse participatio virtutis principalis agentis, & per consequens virtus instrumentaria agentis supernaturalis, supernaturalis esse debet.

Probatùr tertio, quia ex opposita sententia sequeretur omnes res creatas esse Sacramenta, quod quam absurdum sit probatione non indiget. Sequela probatur, quia omnes res creatæ habent importare totum id, quod in ipsis Sacramentis intrinsicè importatur prout sunt gratiæ causatiua, nimirum illam potentiam obedientialem actiuam, quæ ad hoc vt exeant in actu in ordine ad gratiæ productionem aliquo intrinsicè cõplente non indigent, sed extrinsecò dumtaxat Dei imperio, & actuali auxilio; ergò loquendo de eo, quod ex parte Sacramentorum intrinsicè, & in actu primo præsupponitur ante positionem extrinseci imperij Dei, omnes res creatæ erunt Sacramenta, licet, quoad id, quod extrinsecè importatur de facto non sint, licet esse possint: alia plu-

ra adduci possent argumenta, quæ commodiori loco adducentur in cõfirmationem nostræ sententiæ dum 3. p. q. 13. art. 1. iterum de hac ipsa re, vita comite reddibit sermo.

Ex quibus omnibus aperte colligitur quidnam sit illud, per quod Sacramenta eleuãtur vt gratiam instrumentali-ter causent; cum enim non sit qualitas, vt supra supposuimus, nec ipsa potentia obedientialis actiua, vt ostendimus, debet esse aliquid superadditum per modum intentionis transeuntis, seù motionis, qua Deus ipsa mouet Sacramenta ad gratiam physicè in anima producendam, vt ex dictis, & ex infra dicendis patebit. Soluuntur argumenta.

Primum argumentum est desumptum ex auctoritate D. Augustini lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 17. vbi docet, res naturales habere innatam virtutem vt faciant quidquid Deus voluerit, vt quod lignum aridum repente floreat, & fructus producat: quod sterilis femina in senectute

tute pariat : quod Afina lo-
quatur &c. quæ omnia ad po-
tentiam pertinent actiuam,
obedientialem vt patet, & lib
de Gratia Christi capit. 50.
idem docet. Hoc idem docet
S. Doctor 4. dist. 8. ar. 3. ad
4. vbi sic dicit. *Sicut crea-
tura inest obedientia potentia,
vt in ea fiat quidquid Creator
disposuerit; ita etiam vt ea me-
diante fiat, quæ est ratio instru-
menti* : quasi dicat creatura
non solum est in potentia
obedientiali passiuæ, vt in ea
fiat quidquid Deus disposue-
rit, sed etiam in potentia o-
bedientiali actiuæ, vt ea me-
diante, & actiuè concurrente
faciat Deus quidquid sibi pla-
cuerit; quis enim negare au-
debit, intellectum non habere
potentiam obedientialem ac-
tiuam ad visionem beatam, &
in hac via ad actus superna-
turales fidei &c. & similiter
voluntatē ad actus supernatu-
rales Spei, Charitatis, &c.
Resp. nos non negare, nec ne-
gare posse quamlibet poten-
tiam obedientialem actiuam,
sed illam dumtaxat, quam ad-
inuenit P. Suarez, quæ nimi-
rum sine additione nouæ vir-

tutis, supernaturales attingit
effectus, illam autem poten-
tiam obedientialem actiuam,
quæ per additionem nouæ vir-
tutis supernaturalis, & red-
dentis potentiam illam pro-
ximè dispositam ad suum pro-
ducendum effectum, omninò
admittimus, & est illa de qua
loquitur D. Augustinus, vt pa-
tet ex verbis eiusdem dum-
dicit : *dedit quidem naturis
quas creauit, vt ex eis, & hæc
feri possent* : quibus verbis
ostendit res creatas non per
se ipsas, sed per virtutem à
Deo illis superadditam hos
posse effectus producere. Eo-
dem modo respondetur ad
auctoritatem, quæ ex An-
gelico præceptore adduci-
tur.

Secundum argumentum
est: in Creaturis datur poten-
tia obedientialis passiuæ, seu
receptiuæ vt in eis, vel ex eis
faciat Deus quidquid non
implicat contradictionem;
ergò etiam dari debet poten-
tia obedientialis actiuæ vt ef-
ficiant, vel vt Deus per eas
efficiat; quidquid fieri non
repugnat; nulla enim in hoc
involuitur repugnantia.

Ante-

Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia non minus pertinet ad perfectum Dei dominium, quod supra Creaturas habet, quod Deo obediant in agendo, quam quod obediant in recipiendo; sed ad saluandum hoc secundum dominium ponimus potentiam obedientialem passiuam; ergo etiam ad saluandum primum debet poni potentia obedientialis actiua. Tum quia non repugnat causalitatem naturalem extendi ultra terminos naturæ; ergo neque repugnabit causalitatem effectiuam ultra eosdem naturæ terminos ex Diuino extendi imperio; cum enim vtraque sit vera causalitas, quod non repugnat vni, neque alteri repugnabit; si ergo non repugnat entitatem naturalem extendi ad recipiendos effectus supernaturales, verbigratia animam recipere gratiam, & naturam humanam vnionem hypostaticam, quare repugnabit creaturam ex Diuina motione, vel imperio immediatè respicere effectus supernaturales, sicut respicit causalitas materialis.

Respondetur primò, hoc argumentum posse ad hominem contrà aduersarios vrgeri hoc modo. Datur in creaturis potentia obedientialis passiuæ completa in ordine ad effectus supernaturales, vt in anima ad recipiendam gratiam; in natura humana ad recipiendam vnionem hypostaticam, in potentijs ad recipiendos habitus supernaturales; ergo etiam debet dari potentia obedientialis actiua completa in ordine ad eosdem supernaturales effectus, quod tamen aduersarij non admittunt.

Respondetur secundò concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia sicut longè valde distant agere, & pati, ita diuersa valdè est potentia passiuæ, & actiuæ conditio; pati namquè est dumtaxat recipere aliquid ab extrinseco, & idè vt res aliqua dicatur esse in potentia obedientiali passiuæ ad aliquam formam, non est necesse ponere in illa aliquid propriè superadditum entitati vt per illud potens fiat illud recipere, alias processus daretur

retur in infinitum; sed sufficit non repugnantia ad talem formam habendam, at cum agere, seu producere sit aliquid extra ducere, seu ponere, necesse est ad aliquid producendum, ut causa producens in se effectum, vel formaliter, vel virtualiter, præcontineat; cum autem res nulla naturalis possit per se ipsum proxime continere effectum supernaturalem, necesse est illius entitati aliquid superaddere, per quod effectum illum præcontineat, & deinde extra se ponat. Nec valet ad auxilium Dei, vel imperium recurrere, quandoquidem cum neutrum ponat aliquid ipsi creaturæ intrinsicum, non possunt reddere creaturam proximè, & sufficienter potentem ad hoc ut effectum producat, quem in suis, ut ita dicam non continet visceribus. Ad primam probationem de perfectio dominio Dei ut creaturæ obediunt Deo tum in recipiendo, tum in agendo, dico tale dominium Dei sufficienter saluari per virtutem supernaturalem superadditam, per il-

lam enim Deus quidquid voluerit faciet. Ad secundam probationem patet discrimen esse ratione imperfecti modi causandi causæ materialis, ab efficiente; nullum enim est inconueniens admittere causam materialem habere causalitatem etiam completam, receptiuam entium supernaturalium; at inconueniens grāde est admittere causalitatem efficientem etiam incompletam entium supernaturalium, cum non contineantur, nec contineri possint in tali naturali entitate, vel causalitate, quantum vis Diuino subordinetur imperio, & quodlibet Diuinum recipiat auxilium, si semel nihil intrinsicum recipiat per quod effectum præcontineat supernaturalem, & illum postmodum extra se ponat. Vnde etiam si detur potentia obedientialis passiuæ materialis in materia formalis in forma, finalis ad finalizandum, ut si Deus faceret, quod forma sublunaris informaret materiam cælestem; si faceret, quod pabulum quod ex se non habet vim finalizandi, seu mouendi appari-

tum bruti moueret, non tamen admitti debet in causa efficiendi, propter disparitatem assignatam.

Tertium argumentum est, quia si virtus instrumentari, non esset potentia obedientialis actiua deberet esse aliquid superadditum, sed hoc dici nequit; ergo &c. Minor probatur, si enim esset aliquid superadditum deberet esse, vel qualitas permanens, vel transiens, vel ipsa Dei motio; nullum horum esse potest; ergo &c. quod non possit esse qualitas permanens supposuimus supra, quod neque esse possit qualitas transiens, probatur quia, vel esset corporea, vel spiritualis non corporea, quia remanebit improporcionata in ordine ad effectus supernaturales, verbigratia ad gratiam producendam quæ est ordinis spiritualis, supernaturalis, & diuini; non spiritualis, quia implicat formam spiritualem in subiecto recipi corporeo. Neque potest dici quod sit ipsa Dei motio quæ Sacramenta à Deo mouentur ad gratiam producendam, sed debet esse aliquid eleuans, &

constituens Sacramenta' valida ad effectum attingendum supernaturalem, quod non potest non esse aliquid intrinsecum, motio namque est solummodo quædam nuda instrumenti applicatio, non autem est quid constituens ipsum instrumentum in ratione instrumenti, sed supponit, &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico esse debere aliquid in ipso instrumento receptum, quod sit quædam participatio virtuositatis illius qua Deus suos producit effectus, non quidem per modum qualitatis permanentis cum sint instrumenta causæ liberæ non necessariæ, vt est calor verbigratia respectu ignis, cuius virtus eleuans non est per modum transeuntis, sed permanentis vt patet; sed per modum qualitatis transeuntis, quæ communi nomine vocatur virtuositas instrumenti, modus, & motio, non quia sit ipsa nuda primæ causæ, vel causæ principalis motio, sed quia per illam motionem communi-

municatur, sicuti quando elicitur visio beata per lumen gloriæ per modum transeuntis, non est illud lumen, ipsummet Dei auxilium quo intellectum mouet ad talem visionem, sed est ipsa qualitas luminis gloriæ per modum transeuntis communicata; similiter quando Deus eleuat intellectum per aliquod auxilium, vel voluntatem ad actus supernaturales eliciendos sine proprijs eorum habitibus non est solum ipsum Dei auxilium quo mouet, & applicat illas potentia, sed medio tali auxilio, vel motione applicatur quædam participatio eorundem habituum per modum transeuntis per quam intrinsecè eleuantur

potentiæ ad actus illos excedentes attingendos; tamen quia illa qualitas per modum transeuntis per ipsum auxilium, quod est quædam Dei motio, applicatur propterea dicitur communiter, quod auxilium supplet vicem habitus in ordine ad actus illos attingendos, cum tamen nudum non sufficiat auxilium, sed per illud debeat aliquid applicari per quod potentia actum excedentem præhabeat, & extra se ponat, & in hoc sensu intelligi debet Sanctus Doctor, & eius Discipuli dum volunt illum esse in hoc perpetuum, quod virtus instrumentaria sit ipsa principalis causæ motio.

QV AESTIO IV.

Quando Sacramenta gratiam causent, in instanti, nè an in tempore.

Procedit præsens difficultas non solum de gratia habituali, siuè prima, siuè

secunda, quæ est eiusdem gratiæ incrementum, verum etiam de caractere respectu Sa-

cramentorum quæ illum pro-
ducunt, & etiam de conuer-
sione Eucharistica, quæ per
verba fit consecrationis ea-
dem, namque est ratio de
omnibus istis. Hæc quæstio
ex principijs dissoluenda est
philosophicis, in sententia
enim eorum, qui tempus ex
solis componunt indiuisibili-
bus, seu instantibus finitis, &
immediatis facile ab hac dif-
ficultate se expediunt dicen-
do gratiam conferri in illo in-
stanti in quo vltima syllaba
est prolata, taliter quod per-
fectum faciat solum, sed quia
hæc sententia, vel nullam,
vel paruam habet probabili-
tatem missam facio, & sic so-
lum in sententia communi dif-
ficultatem habet quæstio præ-
sens, in ea namque Sacra-
menta, sicut & omnia entia
successiua per primum non
esse incipere debent, ita quod
verum sit dicere nunc Sacra-
mentum non est; immedie
antea erat, cum enim Sacra-
menta gratiam conferre de-
bent quando sunt, & non
quando erat sunt; & quando
sunt sit tempus, & non instans
& gratiam conferri non pos-

sit in tempore, cum sit res
spiritualis, & indiuisibilis, nõ
videtur quando gratia con-
ferri debeat.

Propter hæc sunt variae de
hac materia sententiæ, quas
oportet breuiter referre, &
refutare vt postea melius D.
Thomæ, & nostram stabilia-
mus sententiam.

Prima ergò circa hanc rem
sententia est, quod Sacramen-
ta gratiam conferant in tem-
pore indeterminato, quod vl-
timum præcedit instans ter-
minatiuum, ita quod nulla
illius temporis pars assignari
possit in qua gratia produca-
tur, sed in minori, & mino-
ri &c.

Sed hæc sententia facile
reicitur, primo quia effectus
determinatus causam reco-
gnosceret debet determina-
tam; sed gratia per Sacramen-
ta producta est effectus deter-
minatus; ergò debet sui causa
assignari determinata; ergò
gratia causari nequit in tem-
pore illo indeterminato, im-
plicat namque gratiam transi-
re de non esse ad esse, & quod
Deus non cognoscat in qua
parte tempus prolationis gra-
tia

tia causetur, sed solum sciat gratiam causari in aliqua parte quadrantis, in qua autem determinata non videat; nec valet quod aliqui obijciunt, quod posset Deus præcipere alicui actum verbigratia dilectionis pro illo tempore indeterminato quod antecedit ultimum instans horæ in qua debet mori, nam vel tale præceptum dari nequit, vel certè si quis peccet illud transgrediendo, talis transgressio non erit in tempore indeterminato, & si tale obseruetur præceptum, erit illa obseruantia in determinato tempore, vel instanti, nunquam tamen in tempore indeterminato; & si pro illo formaliter daretur non obligaret, cum esset de re inobseruabili, vt patet.

Secunda sententia quam post aliquos alios sequitur Cardinalis de Lugo disp. 4. sect. 6. num. 123. est quod gratia causetur à Sacramento in tempore determinato post aliquod instans continuatiuum: quod sic explicat: quando incipit proferri vltima syllaba potest quidem proferri ita leuiter vt non sufficiat illa pro-

latio nisi extendatur, & fiat maior; quare veniri potest ad aliquod instans, post quod si rursus extendatur, & protrahatur prolatio, sufficiet ad debitam prolationem quocumque, & quantulacumque fit illa extensio: hæc autem extensio fieri debet in tempore immediato post illud instans, in illo ergò tempore quodcumque illud sit, producit gratia immediatè post illud instans, incipit autem gratia per vltimum non esse quia in illo instanti precedenti verum est dicere: nunc vltimo gratia non est, immediatè post hoc erit.

Sed hæc etiam sententia plura continet difficultia. Primum, quia videtur esse contra naturam rei spiritualis, quod in tempore fiat determinato, & per partes, vel enim gratia correspondet toti illi tempori, verbigratia quadrantanti, vel non, si non; ergò non producit tempore determinato, si sic; ergò vnaquæque pars illius quadrantis suam gratiæ partem producet. Secundum, quod in hac re apud me, habet difficult.

ficulatem est, quia ex hac sententia sequeretur, quod gratia, & peccatum mortale de lege ordinaria possent esse simul, quod sic disputando ostendo; sit, gratia exempli, illud tempus determinatum vnus quadrans, in quo Sacerdos pœnitentem confessum à peccatis absoluens, vltimam syllabam, quæ ad essentiam, & Sacramenti validitatem pertinet protrahit, si toto illo tempore determinato gratia producitur; ergò etiam toto illo tempore pœnitens à peccatis absoluitur; ergò toto illo tempore gratia, & peccata simul erunt, quod nemo dicet. Tertium est, quia illud tempus determinatum quantumuis minimum est diuisibile, & in medio illius potest instans assignari, de quo inquiri vtrum in eo sit gratia nec ne, si in eo est iam gratia; ergò producta est, & per consequens non producitur tempore sequenti, si in eo instanti gratia non est; ergò prius non producebatur.

Tertia, & his temporibus magis plausibilis sententia est, quod Sacramenta causant

gratiam in vltimo instanti terminatiuo, quod non extrinsecè pertinet ad Sacramentum, sed intrinsecè; quia Sacramentum sicut, & omnis motus successiuus intrinsecè constat non solum ex partibus; sed etiam ex indiuisibilibus, quibus & partes inuicem connectuntur, & terminantur, etiam intrinsecè, & sic successiua verborum prolatio habet vltimum instans intrinsecum, quo perficiatur, quod idem de ablutione, vntione, &c. dicunt: ita multi post Suarez disp. 8. sect. 2. §. vltimum ergò.

Sed hæc etiam sententia falsitatis facillè euincitur, nãque falsum omnino est, & cõtra philosophiam; quod res successiuæ habeant indiuisibilia terminatiua intrinseca, & per consequens, quod extrinsecè desinant, ita vt verum sit dicere de illo instanti nunc Sacramentum est, immediate post non erit, quod est desinere extrinsecè, sèu per vltimum sui esse, vt bene probant N. & Complut. in Physica disp. 26. quæst. 1. num 4. vbi probant, quod succes-

successiva incipiunt per vltimum non esse, nempe extrinsecè, & desinunt per primum non esse nempe intrinsecè, ita quod de re successiva verum sit dicere nunc non est, immediate antea erat. Et sic successiva habent incipere extrinsecè, quia illud primum instans à parte ante non est intrinsecum successivis, & desinunt intrinsecè, quia illud instans à parte post non est de intrinsecò esse successivorum, sed est illud primum in quo est non esse illorum, quæ omnia essent falsa in sententia, quam impugnamus, quod sic ostendo, quia si res successivè terminari deberent versus finem, aliquo indivisibili positivo intrinsecò, deberent etiam versus initium alio indivisibili positivo terminari; sed hoc est falsum etiam in sententia eorum quos impugnamus ergò & illud. Maioris sequela ostenditur; quia ideo res successivè debent habere terminativum intrinsecum versus finem vt sint determinatæ, & finitæ; sed hæc eadem ratio probat de rerum successivarum initio; ergò &c.

Quarta sententia est non minus plausibilis nostris hisce temporibus est, quod Sacramenta producant gratiam in vltimo instanti, seu determinativum intrinsecò in quo sunt, per quo notant, quod licet Sacramentorum materia successivè possit applicari, tamen forma ex qua maximè Sacramentorum causalitas attenditur quoad suum formale materiale, nempe quoad sonum, non est quid successivum, sed permanens, & cum permanentia desinant extrinsecè, in vltimo instanti terminativum sunt, & per consequens queunt operari; quod autem sonus sit de genere permanentium probat exemplo impulsus, seu impetus rebus proiectis impressus, qui totus in primo instanti producit, postea paulatim remittitur, & brevi totus desinit, igitur volunt sonum esse qualitatem permanentem non de numero illarum, quæ nunquam nisi per contrarium, vel subiecti destructionem desinunt, sed esse qualitatem permanentem sicut ille impulsus, qui totus quidem primò produci-

ducitur tamen suapte natura, deficiente conseruante, paulatim desinit, & cum desinitio qualitatis permanentis sit in tempore, ita quod verum est dicere nunc est immediate post non erit, Sacramenta cū compleantur per verba, & hæc ratione soni sint permanentia, sequitur quod gratiam causent in eo instanti in quo verum est dicere nunc Sacramenta sunt immediate post non erunt, & sic putant omnes euitare difficultates in quas prolabantur aliarum sequaces sententiarum.

Sed nec etiam hæc sententia valet sustineri, nam imprimis Sacramentorum causalitas non solum ex parte formę attenditur, verum etiam ex parte materię, quę in omnium sententia successiuè, & per motum applicatur, vt patet de ablutione, consignatione, vnctione &c. & cum contingere possit, quod forma absoluat, & sonus finiatur, antequam ablutio verbigratia finiatur, & hæc successiuè perficiatur, sequitur quod Sacramenta in instanti intrinseco gratiam causare nequeant,

cum tunc temporis esse habeant successiuum. Tum, quia falsum omnino est sonum totum simul causari, & postea extrinsecè desinere, cum enim causetur sonus ex percussione corporum sonorum, & talis percussio non fiat in instanti, sed successiuè, etiam sonus successiuè causabitur; nec exemplum illud de impetu, seu impulsu proiectis impresso valet nam cum talis impressio fiat successiuè, & successiuè imprimatur, & successiuè esse desinet; deinde dato, quod & impulsus, & sonus qualitates essent permanentes ex modo tamen, quo fiunt naturam, & conditionem rei successiuè haberent, vt contingit in alteratione, augmentatione, &c. His omnibus reiectis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramenta conferunt gratiam in instanti terminatiuo, in quo Sacramentum primum non est, sed immediate antea erat, & per consequens in instanti extrinseco. Hęc est plana D. Thomę sententia infra q. 75. art. 7. ad primum vbi probat

bat transubstantiationem fieri in ultimo instanti prolationis verborum, quæ prolatio sicut & omnia successiua, vt ibi docet Angelicus definit intrinsecè, & quæst. 78. art. 4. ad 3. docet verba Sacramentalia habere vim in ultimo extanti prolationis, &c. D. Tho. sequuntur vniuersi Thomistæ, vt testatur Nugnez hic &c.

Probatur conclusio ratione Sacramenta gratiam causare nequeunt antequam existant; atqui vt Sacramenta non existunt nisi in instati terminatiuo extrinseco, ergò nõ nisi in illo instanti gratiam causare possunt. Maior à nullo cordato negari potest, actiones enim secundum philosophos sunt suppositorum, & existentium; ergò quandiu res non existit causare non potest. Minor in qua est difficultas probatur. Motus & idem est de re quacunque alia successiua non existit nisi per vltimum mutatum esse, seù per vltimum instans terminatiuum; ergò cum Sacramenta per motum fiant, vt ex dictis liquet, non nisi per vl-

timum mutatum esse existere poterunt. Consequentia ex antecedenti sequitur, antecedens verò probatur, quia est manifesta differentia, apud philosophos inter res successiuas, & permanentes, quod res permanentes simul habent & esse essentia, & esse existentia, at vero res successiua esse essentia habent in tempore, esse vero existentia habent in instanti; vt docet Aristoteles lib. 4. physicorum cap. 10. tex. 58. & tex. 105. vbi habet: *quod si semel instans existit tempus habebit existentiam, & contra, si tempus existit, etiam existet instans*; cuius nulla alia ratio esse potest, nisi quia existentia temporis est existentia instantis, & ita hoc existente, existet etiam tempus, ratione illius; & ratio Aristotilis plana est, quia cum tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius, seù secundum præsens, & præteritum, non habet alias partes nisi præteritum, & futurum; ergò cum nulla detur pars quæ sit præsens, non potest existere nisi per id per quod sit præ-

sens; hoc autem est instans; ergò solum ratione illius præsens esse potest. Vnde si post illud instans alia sequatur pars, motus continuatur, nec desinit; si vero post mutatum esse terminatiuum alia pars non est immediatè futura, non est amplius motus, sed non esse illius, & sic vltima, vt ita dicam motus existentia est in non esse eiusdem motus. Igitur cum Sacramenta incipiant, & desinant esse per motum, scù per tempus, debent sapere conditiones illius & sic vltimum instans terminatiuum Sacramenti, est non esse Sacramenti quoad essentiam, & est esse vltimum illius quoad existentiam, & sic cum Sacramenta non ca usent nisi quando vltimatè existunt, & hanc existentie vltimitatem habeant in illo vltimo esse terminatiuo in quo verum est dicere: nunc Sacramentum non est; & immediatè antea erat, in eo solum instanti terminatiuo gratiam causare habebunt, non autem in tempore determinato, vel indeterminato &c. vt volunt alij Aristotelicã, & Angelicã do-

ctrinam reicientes. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumētum, quod fufe prosequitur Lugo est tale. Sacramentum sicut, & quælibet causa non potest causare quando non est; sed in illo vltimo instanti terminatiuo, Sacramentum non est; ergò causare non potest. Maior patet, causare enim supponit esse, & in tantum causa efficiens causat in quantum est in actu, effectus namque in actu non nisi à causa in actu esse potest. Tum quia causa physica debet effectum quem producit, vel formaliter, vel virtualiter, vel saltem eminenter continere; at quod nõ existit non potest effectum illis modis continere; ergò &c. Tum quia est impossibile rem existentem dependere à re non existente. Minor probatur, quia illud instans est primum non esse Sacramenti, cum enim Sacramentum sit, quid successiuum debet incipere, & desinere ad modum successiuorum, quæ desinunt per primum non esse, ita quod verum sit dicere, nunc non est;

est; immediatè antea erat.

Respondet ad hoc argumentum Nugnus, quod ad hoc ut Sacramentum causet, sufficit quod fuerit toto tempore præcedenti ad illud instans, quia sicut secundum præsentiam localem non est necessarium, quod causa, & effectus sint continua, sed sufficit quod sint contigua; ita, secundum præsentiam temporis: unde licet in ratione entis transferit Sacramentum est tamen in illo instanti in ratione causæ, sicut ultimæ dispositiones ad formam, in instanti generationis in ratione entis non sunt, sed in ratione causæ, quia sunt secundum aliquid nempe ratione cuiusdam naturalis sequelæ effectus à causa.

Sed licet hæc solutio optima sit, & possit optimè sustineri; facilius tamen responderetur ex dictis, quod licet permanentia simul habeant essentiam, & existentiam non tamen sic successiva, & sic illud ultimum terminatum licet non pertineat ad essentiã Sacramenti; sed sit quid extrinsecum respectu illius quo-

ad esse essentiæ, tamen est ipsa Sacramenti ultima existentia ut ex dictis liquet.

Sed contra hanc solutionem argui potest ex Lugo, quia ante illud instans est totum Sacramentum verbigratia ablutio, & verborum prolatio, ergò ante illud instans debet esse effectus Sacramenti.

Nam respondetur, quod ante illud instans est totum id, quod pertinet ad essentiã Sacramenti, non tamen est ipsa Sacramenti ultima ratio existentia, ut ex dictis patet; quæ solutio si recte intelligatur destruit totum id, quod contra nos ab illo auctore congeritur; quod nimirum si homo baptizetur, & in illo instanti terminatio moriatur, verè saluetur &c. patet namque hoc esse falsum cum enim Sacramentum verbigratia baptismi proficit dum taxat viatoribus, & in illo instanti quo perficitur non fit amplius homo viator, sequitur, quod Sacramenti non fit ille capax &c. Similiter corruit, quod addit ille auctor, quod secundum nostram sen-

tentiam non verificarentur formæ Sacramentorum, si enim Sacramenta causant gratiam, quando non sunt, non deberet Sacerdos dum pœnitentem absoluit dicere: *Ego te absoluo* de præsentis cum tunc temporis absolutio non fiat, sed in instanti sequenti; sed dicere deberet: *Ego te absolvam*, nempe pro illo instanti quo absolutio amplius non erit; patet namque ex dictis hæc omnia vana esse & procedere ex malo intellectu nostræ doctrinæ, licet enim ut dicebamus Sacramentum sit quoad essentiam suam, pro ut nimirum est res successiva ante illud instans terminativum, tamen quoad esse existentiam ultimum nondum est, sed hoc habet per illud instans, ut patet.

Secundum argumentum est, quia ex nostra sententia sequitur dari posse Sacramen-

tum, verbigratia pœnitentiæ informæ; hoc non videtur dicendum; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia si pœnitens dispositus per attritionem peccata sua Sacerdoti confiteatur, & Sacerdos absolutionis verba proferat, & in instanti ultimo terminativum idem pœnitens, vel moriatur, vel peccet mortaliter, effectum Sacramenti non recipiet, cum tamen totum Sacramentum validum præcesserit; ergo &c.

Hoc argumentum petit ut examinemus communem illam, & non vulgarem difficultatem, non possit dari Sacramentum in formæ; & licet in particulari de quocunque Sacramento possit, examinari, tamen ne animus diu suspensus maneat, optimum erit hic illam in communi pertractare: sit ergo.



QVÆSTIO V.

An possit dari Sacramentum in forme, & quodnam, et an recedente fictione reuiviscat.

Primum omnino certum est, quando scilicet fictio licet validitatem non tollat Sacramentis eius tamen habet fructum impedire; in omnium enim sententia Theologorum, saltem Sacramentum Baptismi informe dari potest, ut probat D. Augustinus in Libris de Baptismo, lib. primo cap. 12. lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. ubi contra Donatistas probat Sacramentum Baptismi tunc prodesse incipere quando suscipitur etiam in hæresi, & schismate, & tunc valere ad salutem, & remissionem peccatorum quando baptizatus, in hæresi, vel schismate ad unitatem Ecclesiæ per pœnitentiam conuertitur. Hoc idem dicunt communiter Theologi de alijs Sacramentis certum enim est, quod etiam

alia Sacramenta taliter suscipi possunt, quod suum gratiæ effectum non producant.

Quoad secundum conveniunt etiam omnes Sacramentum Baptismi informæ, seu cum fictione non tollente veritatem illius susceptum, recedente fictione reuiviscere, ut docet D. Augustinus locis citatis: communiter etiam id docent de omnibus Sacramentis characterem imprimementibus; cum enim hæc Sacramenta iterari non possint, congruum est, quod si fictè suscipiantur, ablata fictione suos producant effectus ne suscipientes perpetuo illis priuentur. Hoc idem satis communiter admittitur propter eandem rationem de Sacramento Matrimonij, & extremæ unctionis; licet enim hæc duo Sacramenta absolu-

re sint terrabilia non tamen durante eodem Matrimonio, & eadem infirmitate, eodem saltem modo, vt suo loco dicitur; congruum ergo est, quod hæc duo Sacramenta instituta ad subueniendum hominum fragilitati, suis non frustentur effectibus. De Pœnitentia hoc idem concedunt Suarez, Egidius, Lugo, & alij magis communiter, & quidem merito, nam eo ipso quod quis sua peccata ritè confessus est, non tenetur iterum ea clauibus subijcere; ergo virtute illius Sacramenti remitti debent, alioqui nunquam directè remitterentur virtute clauium, sed indirectè dumtaxat, nempe in Sacramento, quod postea suscipitur per quod fictio tollitur, & cui peccata non subijciuntur; tota ergo præsens difficultas ad solum Eucharistiæ Sacramentum reuocatur circa quod duæ extremæ sunt sententiæ.

Prima sententia est, quod Eucharistia ablato obice, seu fictione suum non producat effectum hanc sententiam inter alios defendunt Suarez

disput. 28. sect. 6. & disput. 63. sect. 8. Egidius Coninch. quæst. 62. art. primo dub. 5. Lugo disput. 9. sect. 6. num. 100. & alij iuniores.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum, fictione ablata suum producit effectum, & sic omnia Sacramenta fictè suscepta ablata fictione reuiuiscunt. Hæc est plana D. Thomæ sententia in 4. dist. 17. quæst. 3. quæstiuncula 1. articuli 4, vbi postquam dixit confessionem recedente fictione habere suum effectum, subdit, *sicut in alijs Sacramentis contingit*, quæ particula cum sit doctrinalis de omnibus intelligitur; propterea D. Thomam sequuntur Caietanus, Capræolus, Paludanus, &c. quos refert, & sequitur Nugnus hic quæst. 62. art. 1. difficultate 6. vbi hanc sententiam vocat maximè pi-
am.

Probatur conclusio ratione. Omnia nouæ legis Sacramenta causant gratiam in non ponentibus obicem; ergo etiam omnia illam causabunt sub.

sublato obice. Antecedens est de fide, definitum non solum in Concilio Florentino sub Eugenio 4. in decreto de Sacramento verum etiam in Tridentino sess. 7. cano. 6. Consequentia probatur, causalitas namque gratiæ in Sacramento nouæ legis, vel est de eorum essentia, vel saltem quædam ipsorum proprietates; ergò eodem modo debet omnibus conuenire; ergò si aliquibus ita conuenit, quod non solum primo gratiam producant quando non reperitur obex, verum etiam ipso obice sublato, etiam omnibus conuenire debet.

Confirmatur, quia ratio propter quam D. Augustinus, & Theologi communiter dicunt Sacramenta sublata fictione gratiam producere est, vt diuersis hominum necessitatibus subueniretur: verbi gratia Sacramentum Baptismi institutum est propter necessitatem quam habet homo de aliquo suauis, & efficaci remedio contra originale peccatum. Confirmatio vt esset remedium ad roborandum hominem vt strenuè fidem

profiteatur. Ordo vt sanctè, ac dignè homo ministraret in domo Dei. Extrema vnctio instituta est pro remedio ad confortandum hominem graui morbo periclitantem. Matrimonium pro remedio ad sustinenda onera Matrimonij; sed etiam Sacramentum. Eucharistiæ institutum est ad subueniendum fragilitati hominum contra innatam vim somitis, & contra quotidianas tétationes, iuxta id, quod canit Ecclesia: *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit, & tristibus sanguinis poculum;* ergò homo ex vi huius Sacramenti non minus acquirit ius ad illa auxilia, vel subsidia, quam per alia omnia; ergò si propter illam rationem necessitatis, alia reuiuiscunt Sacramenta, etiam Sacramentum Eucharisticum reuiuiscere debet, vbi enim eadem militat ratio, idem prorsus est asserendum.

Respondet ad hoc argumentum Lugo vbi supra præcipuam rationem institutionis Sacramentorum fundari quidam in eo, quod fuerint instituta Sacramenta ad subueniendū homi-

homini in ordine ad talem, vel talem finem, sed tali modo institutionis nempe cum impotentia ad illa iteranda; & si illi obijciatur Sacramentum Pœnitentiæ, quod non minus reiterabile est, ac Sacramentum Eucharistiæ, respondet quod ex reiteratione Sacramenti Pœnitentiæ, nullum sequitur inconueniens bene autem ex reiteratione Eucharistiæ; assignans autem absurda, seu inconuenientia, quæ ex reiteratione Eucharistiæ sequuntur dicit: quod Sacerdos sacrilegè celebrans per totam vitam ad finem sacrilegum, venificij incantationis, &c. si in fine vitæ cum remissa attritione confiteretur, deberet recipere augmentum gratiæ ex opere operato, correspondens illis omnibus communionibus; vnde fieret repente Sanctissimus propter plurima sacrilegia commissa, & eo sanctior quo plura fecisset sacrilegia, & multo sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesiæ decies, vel centies celebrasset, quod ex se incredibile apparet.

Sed non possum non mira-

ri virum doctum negasse, omnium Sacramentorum excellentissimum non reuiuiscere, præcise ratione absurdorum dictorum, cum hoc illi conueniat ratione necessitatis, vt alijs; cum non incongruat ratione iterrabilitatis vt pœnitentiæ: debebat enim aduertere, quod omnes, & ipse cū illis in principio illius sectionis aduertit, nimirum quod solum Sacramenta reuiuiscunt ablata fictione, quando fictio non tollit veritatem Sacramenti, seu non est contraria essentiæ Sacramenti si namque semel fictio hoc facit, quantumuis fictio tollatur, Sacramentum reuiuiscere non potest, cum nondum fuerit, quod enim nondum fuit, vel vt ita dicam, nondum suam habuit essentiam, ab ipsa pululare proprius non potest effectus; vnumquodque ergò Sacramentum qua tale, præsupponi debet ad hoc vt reuiuiscat. Modo videamus an Sacramentum Eucharistiæ, non quidem quoad species, & Corpus Christi, certum enim est quoad hæc manere, & verè suscipi ab eo, qui

quod qui scienter cum peccato accedit mortali, sed an maneat quando gratiæ causalitatem, & dico, quod licet sacrilega intentio non tollat veritatem Sacramenti Eucharistiæ quoad totum id, quod affert Sacramentum qua Sacramentum est, tollit tamen quoad id quod affert gratiæ causalitatis, & sic cum secundum hanc rationem non maneat, reuiuiscere non potest; reuiuiscet tamen quando talis veritas non destruetur, vt si quis in peccato existens mortali sine contritione, vel attritione bona fide accedat, tunc enim temporis non iustificatur, cum nullum habeat ex illis actibus ad iustificationem necessarijs, etiam quando talis iustificatio per accidens fit, vt infra dicetur explicantes quomodo per Sacramenta viuorum ex attrito fiat homo contritus, nec peccat cum bona fide accedat, & sic ablato obicè nõ reuiuiscet. Sed dices in fauorem Luganę sententiæ, quod intentio sacrilega non solu destruit causalitatem gratiæ Sacramenti Eucharistiæ, verum etiam om

nium aliorum Sacramento- rum cum nullam gratiam cõferat sacrilegè suscipienti, & tamen hoc non obstante Sacramentum verbigratia Baptismi, Cõfirmationis &c. gratiam conferunt tali ablata intentione sacrilega; ergo etiam Sacramentum Eucharistiæ, & cum hoc dici nequeat, patenter sequitur hoc Sacramentum non reuiuiscere, si intentione etiam non sacrilega ablata &c.

Responderetur namque non semper sacrilegam intentionem destruere veritatem Sacramenti, sed solum respectu aliquorum, nam in Sacramēto Baptismi, Cõfirmationis, Ordinis, & Matrimonij, certum est intensionem sacrilegam, veritatem illorum non destruere, & sic, cum non obstante tali sacrilega intentione, talia ponantur Sacramenta, illa intentione sacrilega per pænitentiam destruetur, & suas producunt gratias; At in Sacramento Pænitię intentio sacrilega veritatem illius Sacramenti destruit, & sic quantumuis per contritionem, vel attritionem, &

alio Sacramento Pœnitentiæ tollatur, primum Sacramentum non reuiuifcit; idem proportione feruata dicendum, est de Sacramento Eucharistiæ, cum enim hoc Sacramentum fit institutum per modum nutritionis spiritualis, seu ad reparanda damna, quæ quotidie in nobis ex fomite, ex tentationibus, ex lapsibus subrepunt, & huic opponatur sacrilega intentio, fit inde quod per talẽ sacrilegam intentionem Eucharistiæ Sacramentum destruat, non solum quoad gratiæ causalitatem, verum etiam, quoad rationem Sacramenti, non quidem prout in facto esse; sed prout in fieri participatur.

Secunda ratio pro nostra conclusione est. Alia Sacramenta fictione sublata reuiuifcunt; ergò etiam Sacramentum Eucharistiæ. Antecedens admittunt illi contra quos disputamus. Consequentia probatur, quia ratio à priori propter quam adstrahitur, quod Sacramentum verbigratia Baptismi suam causat effectum obice, vel fictione sublata alia esse nequit, ni-

si quia Sacramenta habent vim gratiæ causatiuam ex passione Christi, passio autem Christi sèper est opus viuum, quantumcunque Sacramenti susceptio ex parte suscipientis fit opus mortuum, sed hæc ratio magis militat in Sacramento Eucharistiæ, quam in alijs; ergò si alia reuiuifcunt, à fortiori & hoc reuiuifcere debet. Maior probatione non eget cum de se fit satis euidens. Minor etiam clara est, clarum namque est quod Sacramentum Eucharistiæ excellentiori, & nobiliori modo virtutem passionis continet, cum ipsum Dominum contineat, quam alia omnia; si ergò excellentiori modo huic Sacramento Christi passio applicatur, quæ est ratio à priori reuiuifcentiæ Sacramentorum, maiori iure hoc præ alijs reuiuifcere debet. Solauntur argumenta &c.

Primum argumentum est, quia si Sacramentum Eucharistiæ fictione sublata (idem dic de alijs Sacramentis) reuiuifceret, deberet gratiam producere instrumentaliter physicè, vel moraliter, non,

phy-

physicè, quia quando fictio aufertur non amplius existit, suppono enim iam species fuisse consumptas, neque moraliter, quia cum illa sumptio fuerit mala non potest moraliter Diuinam excitare voluntatem ad gratiam causandam.

Respondent aliqui, quod licet Sacramentum tunc temporis quando fictio aufertur non sit, potest tamen physicè gratiam causare, quia licet ipsum Sacramentum vt instrumentum nõ coniungatur passo ratione sui, sufficit tamen quod coniungatur ratione principalis agentis, exemplū afferunt animæ sensitivæ Bruti, quæ per actum extimatiuæ potentia in solo capite subiectiuè existentis mouet reliqua corporis membra, quod ea sanè ratione id est, quia anima quæ est mouens principale, intimè omnibus corporis partibus assistit. Aliud exemplum magis ad rem afferunt, quia ita se habet distantia loci, & distantia temporis, sed Deus potest eleuare, vt etiam nos supra admisimus, aliud quod instrumentum verbigræ-

tia Christi humanitatem ad producendum effectum physicè in subiectum distans, quoad locum, ergò etiam quoad tempus.

Sed hæc solutio vana est, quod enim physicè non est, nec in se, nec in sua virtute effectum physicum causare nequit, causa namque efficiens eo modo quo causa est, debet suum præcontinere effectum, quem nisi existat, præcontinere nequit; nec exemplum allatum de anima Bruti prodest, quia reuera phantasia, seu extimatiua Bruti existit ibi, vbi mouet saltem virtute, mouet namque medijs spiritibus per omnes corporis partes discurrentes &c. Ad secundum exemplum patet, res enim existens potest Diuina virtute eleuari ad agendum in distans, non res præterita.

Respondeo ergò ad argumentum dupliciter cum Nugnez hic difficultate 7 Primò quod tunc temporis Sacramentū causat gratiam moraliter dumtaxat non physicè, causat enim physicè quando physicè existit, quando autem

physicè non existit, sed solum moraliter in Diuina scilicet acceptatione, solum moraliter gratiam causat. Secundo respondetur quod licet tunc temporis quando aufertur obex Sacramentum non existat formaliter, existit tamen virtualiter, nempe in aliquo ab ipso Sacramento relicto, quod Sacramenti virtus censetur, quod postea fictione sublata à Deo eleuatur ad gratiam physicè causandam, quando enim fidei communicans, humano modo Sacramentum suscepit, non potuit non habere aliquem actum ratione cuius remansit determinatus ad fructum Sacramenti recipiendum, tali fictione sublata. Dicendum igitur est, quod Sacramenta aliquam relinquunt determinationem, vel aliquem modum determinantem hominem, qui modus postea à Deo eleuetur &c. Explicat hoc Nugnus exemplo peccati originalis, quod sicut & actuale, in communiori, & magis probabili sententia Thomistarum, & nostra, vt supra suo loco probauimus, in positiuo con-

sistat nempe in habituali conuersione ad bonum commutabile, & tamen effectiuè causari debet per traducem, quod aliter fieri non potest, nisi quia Adam per tale peccatum remansit positiuè determinatus ad causandum illud per realem, & propriam generationem in filios, quæ determinatio media propagatione ad posteros transit, & sic physicè causari potest; vt suo loco fuse explicuimus. Per quod patet ad probationem non enim eleuatur illa actio prout mala ad gratiam causandam, sed eleuatur ipsa virtus Sacramenti, vt iam explicatum est.

Secundum argumentum est, quia opera mortua nempe facta in peccato mortali, vt in tractatu de reuiuiscencia meritorum explicuimus; nunquam reuiuiscunt, sed Sacramentum fidei susceptum est opus mortuum; ergò nunquã amplius reuiuiscet, totum argumentum clarum est, nec maiori indiget discussione.

Respondetur ex dictis in vltima ratione pro nostra con-

conclusionē, quod Sacramentum est quidem opus mortuum ex parte suscipientis; secundum tamen quod est opus operatum à Christo, est opus viuum, & secundum hanc ra-

tionem, gratiam habet causare ex opere operato, vnde sublato impedimento suum habet producere effectum, &c.

QVÆSTIO VI.

Quomodo fiat Sacramentorum reuiviscentia.

Plures sunt difficultates in hac quæstione breuiter explicandæ, ad plenam præcedentium intelligētiā. Prima est, an quando susceptio Sacramenti fuit peccatum mortale, seu sacrilega, vt cum quis cum voluntate furandi Sacramentum suscepit Baptismi, aut cum homo post Sacramenti susceptionem peccauit mortaliter, vt reuiviscat Sacramentum necessaria sit cōtritio, vel attritio cum alio Sacramento.

Prima sententia est Paludani, quod nimirum ad hoc vt Sacramentum Baptismi sicè susceptum per fictionem

sacrilegam, aut etiam cum homo post susceptionem Sacramenti cum obice mortaliter deliquit, sufficiat attritio ad hoc vt reuiviscat, quam sententiam probabilem vocat Suarez, & aliqui alij.

Verior sententia distinguit, vel enim peccatum in Sacramento Baptismi commissum, est materia Sacramenti Pænitentiae, quia durauit post Baptismi collationem, vel nō; si primum requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento Pænitentiae sicuti etiam pro peccato post baptismi collationem comisso, si secundum cum virtute ipsius baptismi

tismi remittatur per eandem remittetur dispositionem per quam primum remissum fuisset, si talis ad fuisset dispositio; patet autem, quod dispositio sufficiens ad Sacramenti Baptismi susceptionem sit attritio. Quod magis verum est, quando Sacramentum fuit quidem fictè, sed non sacrilegè susceptum cum nullo in tali susceptione committatur mortale peccatum, nec etiam post illius susceptionem. Cuius rei ratio clara est, quia peccata commissa ante Sacramenti susceptionem non habent rationem obicis nisi in quantum habent rationem voluntarij, vel habitualiter, vel interpretatiuè &c. Sed talis ratio voluntarij sufficienter tollitur per attritionem quodcumque ponatur; ergò sicuti si fuisset posita quando Sacramentum suscipiebatur, fuissent illa peccata deleta, ita & postea. Confirmatur, quia omnia Sacramenta, vt postea dicitur remittunt peccata mortalia prius commissa homini attrito, & sic dicitur, quod faciunt de attrito con-

tritum; ergò eadem dispositio, quæ requirebatur ad hoc vt cum suscipiebantur facerent de attrito contritum, sufficiet etiam vt id ipsum postea cum aufertur obex faciant; & sic si quis in peccato mortali existens, tamen bona fide existimans se esse in gratia si ad Sacramentum accedat Eucharistiæ attritus, secundum veriorum sententiam iustificatur; ita si eadem bona fide in mortali existens sine attritione ad idem accedat Sacramentum illud informe recipiet, si postea actum eliciat attritionis suum tale Sacramentum producet effectum.

Secunda difficultas, an Sacramentū verbigratia Baptismi reuiuiscens per contritionem subsequenter conferat maiorem gratiam ratione contritionis, vel non. Prima sententia est Patris Vasquez disput. 159. num. 33. quod non; ita quod eadem gratia, & correspondet Baptismo, & contritioni, quasi duplici data titulo. Sententia nostra est, quod & Sacramento propria respondeat gratia, & contritioni: ita Suarez disput.

disput. 28. sect. 4. Lugo sect. 5. & alij magis communiter, & ratio est, quia Baptismus præteritus habet vim gratiam conferendi, alioqui non reuiuisceret; ergò propriam debet producere gratiam, alioqui non esset melius Sacramenta reuiuiscere per contritionem quam per attritionem, quod nemo dicet; nec ratio duplicis tituli aliquid probat, quia sicut quando quis Sacramentum verbigratia Pœnitentiæ cum contritione suscipit, non vna duplici titulo datur gratia, sed duplex, vnicuique propria, ita, & in casu nostro &c.

Tertia difficultas vtrum ablato obice per subsequentem retractationem Sacramentum conferat æqualem gratiam, an vero maiorem iuxta mensuram melioris dispositionis. Prima sententia est quam post Suarez sequitur Coninch. dub. 6. num. 102. quod illa dispositio per quam aufertur obex se habet ad modum remouentis prohibens, & sic Sacramentum æqualem semper gratiam confert. Nostra sententia ex opposito di-

cit, quod Sacramentum maiorem confert gratiam ratione melioris dispositionis, quia ille actus per quem aufertur obex non habet solum rationem remouentis prohibens, sed veram, & propriam dispositionis, id enim quod fecisset illa dispositio si aduisset quando primo fuit collatum Sacramentum, facit & modo; tunc autem in omnium sententia melior dispositio deseruit vt maiorem gratiam conferat; ergò, & modo; quæ doctrina aperte colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi docet gratiam adultis conferri iuxta cuiusque dispositionem, & hæc maxime verum est in nostra sententia, qui volumus Sacramenta gratiam physicè causare, etiam obice sublato, de quo quæstione præcedenti: nomine autem dispositionis intelligimus attritionem, vel contritionem. Vnde nullo modo placet id, quod hic aduertit Card. de Lugo, quod nomine dispositionis secundum quam datur in æqualis gratia Sacramentalis, non debet intelligi solum dolor de peccatis, qui ad effectum

fectum Sacramenti necessarius est, sed etiam alij actus quibus homo se præparat ad recipiendum Sacramentum, si enim inquit aliquis cõfessurus peccata pridie ieiunet, det elemosinam, & alijs pijs operibus se præparet, gratiam Sacramentalem maiorem recipiet, & num. 85. hoc idem dicit de dispositionibus, quæ facit antequam obicem peccati tollat, quod tunc Sacramentum cum maiori gratia reuiuifcet, vt si quis per mensem post baptismum, vel pœnitentiam cum obice susceptam, se exerceat in ieiunijs, vigilijs, orationibus, &c. postea tollat obicem, vel per cõtritionem, vel per attritionem & Sacramentum, maiorem consequetur gratiam ratione illarum dispositionem. Hoc inquam nullo modo placet, cum enim illa opera in mortali peccato sint facta, non possunt esse dispositiones ad maiorem gratiam consequendam, sed tota maioritas gratiæ attendi debeat ex peccatorum retractatione, benè verum est, quod possunt indirectè deservire, quatenus pos-

sunt esse illa opera aliquo modo meritoria de congruo ad hoc vt Deus vberiora conferat auxilia, ad hoc vt perfectior eliciatur dispositio, & sic maior gratia conferatur, & non aliter.

Sed obijcit primo Suarez, quia contritio, vel attritio cū Sacramento solum habent rationem remouentis prohibēs in ordine ad reuiuifcentiam præcedētium meritorum mortificatorum; ergo etiam illi actus eandem rationem remouentis prohibens habebunt respectu reuiuifcentiæ Sacramentorum.

Respondetur transeat antecedens, & negatur consequentia ratio discriminis est, quia merita illa iam prius erāt producta, licet mortificata, & manebant in Diuina acceptatione, vnde illi actus nullo modo concurrunt ad illorum meritorum productionem; at vero gratia Sacramentalis non præsupponitur producta, sed est producenda, & sic, sicut quando primo producitur Sacramentum nō est totalis causa productionis gratiæ, sed etiam ex dispositione

tione Diuina nostri etiam concurrunt actus, tanquam dispositiones, penes quas maioritas gratiæ attenditur, ita quando secundo producitur, nimirum quando obex auferitur ad dispositiones attendi debet secundum quas plus, vel minus gratiæ producitur secundum maiorem, vel minorem earundem dispositionum perfectionem.

Obijcit secundo, quia quando auferitur obex gratia confertur ratione sanctitatis Baptismi, non ratione eius, quod homo ex sua parte ponit, seu quod homo ponit de suo, ergo tunc debet solum dari gratia eo modo quo datur paruulis quando baptizantur &c.

Respondetur Sacramentum Baptismi diuersimodè conferre gratiam paruulis, ac adultis, paruulis namque solum habet gratiam conferre ratione propriæ sanctitatis nulla attenda subiecti dispositione, ac adultis debet ex propria institutione gratiam producere non ratione propriæ sanctitatis, vt sic, nulla habita relatione ad dispositiones, sed ratione quidem propriæ

sanctitatis habita semper tamen relatione ad dispositiones, vt ex Tridentino loco citato colligitur, alia obijcit Suarez, sed quia lenia sunt relinquo.

Quarta difficultas, an quando auferitur obex Baptismi per contritionem, vel attritionem vt quatuor, & Sacramento Pœnitentiæ, ita vt vnus, & idem actus attritionis deseruiat ad reuiuiscendum Baptismi, & receptionem Pœnitentiæ, totanta recipiatur gratia quanta reciperetur si duplex esset attritio, vna quæ deseruiet ad reuiuiscendum Baptismi, & alia ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum, exempli gratia si esset duplex attritio intesa vt quatuor causarentur octo gratiæ gradus; si modo vna sola sit, ad illa duo sacramenta deseruiens, octo similiter gratiæ gradus causentur &c.

Respondetur breuiter, quod licet vna, & eadem contritio possit deseruiere ad duas gratias, vel plures sacramentales recipiendas, sicut cum vna cõfessio, & vna cõmunio ad duas la crandas indulgentias, tamen

negari non potest, quod si essent due attritiones, non etiā maiorem reciperet gratiam, cum tunc temporis per duas illas contritiones, vel attritiones magis esset dispositus, qui enim per primam contritionem recuperat gratiam. Baptismi, & deinde elicit secundam contritionem, vel attritionem, magis dispositus est, magis dignus, cum magis gratus sit: si tamen gratia illa sacramentalis recepta per nouum peccatum interrumpatur,

& deinde cum attritione vt quatuor, & sacramento Pœnitentiæ iustificaretur, etiam si essent duæ attritiones, & duo sacramenta tamen cum non esset ille tunc magis dispositus, æqualem reciperet gratiam, ac quando vnica attritione, & primum reuiuiscit sacramentum, & secundum recipitur cum prior attritio non reddat tunc hominem magis dispositum, &c.

QVAESTIO VII.

An omnia Sacramenta per se loquendo primam gratiam causent.

Conueniunt DD. omnes quod Sacramenta quæ mor uorum uocitantur nempe Baptismus, & Pœnitentia per se, & ex propria eorum institutione primam gratiam causant, & si illam iam causatam reperiunt causant illius augmentum ex Tridenti-

no sess. 7. can. 7. quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad tollendum ex opere operato peccatum etiam mortale; ergo illud aliquando tollere debent, si rectè dispositis conferantur; alias ad id frustra fuissent instituta; & sic aliquando primam gratiam

con-

conferre debent, sine ea namque mortale peccatum non tollitur. At Sacramenta quæ dicuntur viuorum instituta sunt ad vitam spiritualem augendam, ac proinde ad conferendum augmentum gratiæ sanctificantis, & ob id viuorum Sacramenta dicuntur.

Conueniunt etiam communiter scribentes, quod Sacramenta viuorum aliquando primam conferant gratiam. Suarez disput. 7. sect. 2. Coninch. quæst. 62. art. 1. dub. 2. Reginaldus lib. 26. num. 45. Laimonius cap. 6. & alii communiter, quod tunc contingit, quando peccator accedit attritus, bona fide existimans se esse in statu gratiæ, absque vilo peccato mortali, cuius rei rationem assignant moralem, quia inquit, de Diuina clementia credi potest quod voluerit sic accedenti per quinque sacramenta viuorum gratiam conferri. Sed tamen non eodem modo defenditur, aliqui enim existimant id habere dicta Sacramenta ex primaria eorum institutione, qua sunt Sacramenta nouæ legis, seu secundum

rationem genericam, licet secundum rationem specificam instituta sint ad conferendum gratiæ augmentum, alii vero existimant id habere ex ipsorum institutione secundum rationem specificam, secundo tamen, & per accidens. Ut ergo clare procedamus, & aliorum, & nostram ut moris est ponemus sententiam.

Prima sententia est, quod solum sacramenta mortuorum qua talia sunt ex eorum propria institutione habent primam gratiam causare, sacramenta vero viuorum solum augmentum illius, si quando vero causant primam, id est per accidens. Hanc sententiam post Capreolum, Paludanum in 4. dist. 9. & Soto dist. 11. quæst. 2. art. 1. & 2. sequuntur plures moderni, quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Omnia nouæ legis sacramenta causant gratiam primam per se, secundum rationem genericam, at secundum rationem specificam solum sacramenta mortuorum illam causant, sa-

cramenta verò viuorum secundum propriam rationem specificam solum gratiæ augmentum per se habent causare. Igitur Sacramenta mortuorum habent primam gratiam causare duplici titulo nempe, & secundum rationem genericam, & secundum rationem specificam, Sacramenta vero viuorum solum vnico titulo habent primam gratiam causare nempe secundum rationem genericam. Hanc conclusionem sequitur Nugnus, & dicit illam esse communem inter modernos. Sed antequam illam probeamus oportet illam breuiter explicare; non enim cum dicimus omnia nouæ legis Sacramenta primam gratiam causare secundum rationem genericam, intelligimus vniuersalissimam rationem genericam Sacramenti quæ est ratio signi significatiui gratiæ, nam vt patet ex dictis disputatione prima, ratio causatiua gratiæ non est de essentia Sacramentorum, neque per modum generis, neque per modum differentiæ, sed solum est quædam proprietas

separabilis illorum; sed intelligimus rationem genericam causalitatis gratiæ, quæ licet respectu Sacramenti vt sic, sit quædam differentia solum accidentalis in ordine tamen ad propria inferiora habet rationem generis. Causalitas ergo gratiæ, quæ ex Christi institutione est nouæ legis Sacramentis applicata, potest considerari, & secundum rationem genericam, & secundum rationem specificam, secundum rationem quidem genericam quatenus ex Christi institutione omnibus nouæ legis Sacramentis conuenit, secundum rationem vero specificam secundum quod diuersimodè diuersis conuenit Sacramentis, secundum propriam cuiusque Sacramenti naturam, & sic Sacramentum Baptismi qua nouæ legis Sacramentum, seu qua causatiuum gratiæ, vt sic, habet gratiam sanctificantem causare, qua vero tale Sacramentum est institutum in remedium originalis, potissimè peccati, eandem gratiam speciali illo titulo habet causare. At vero Sacramentum Eucharistiæ,

stia, qua tale Sacramentum est, institutum per modum spiritalis alimonie habet dumtaxat gratie augmentum causare, at vero secundum genericam Sacramenti noue legis rationem, secundum quam rationem habet annexam ex Christi institutione gratie sanctificantis causalitatem, habet illam per se causare. Conclusionem ergo sic explicatam probemus.

Prima ratio. Sacramentum verbi gratia Eucharistia, (& idem dicendum est de alijs quatuor viuorum Sacramentis) est gratie causatum, & secundum rationem genericam, & secundum rationem specificam; atqui secundum rationem specificam qua nimirum tale Sacramentum est, habet causare gratiam secundam, nempe gratie augmentum; ergo secundum rationem genericam habebit causare primam. Minor conceditur ab auctoribus contra quos disputamus. Consequentia bene sequitur ex praemissis, si semel Maioris veritas ostendatur: ostenditur autem sic: omnia noue legis Sacra-

menta sunt gratie causatiua; ergo conueniunt vniuocè in hac generali, seu generica ratione causandi gratiam; ergo gratiam causant secundum rationem genericam. Antecedens est de fide, prima etiam consequentia est certa; sicut enim omnia Sacramenta noue legis vniuocantur in ratione signi, debent etiam vniuocari in ratione causandi gratiam; vltima etiam consequentia tenet, si enim semel omnia Sacramenta vniuocantur in ratione causandi gratiam, habebunt gratiam causare secundum rationem genericam, non enim in alia ratione vniuocari possunt omnia noue legis Sacramenta, quoad gratie causalitatem, nisi in ratione generica, vt patet.

Confirmatur praecedens argumentum, quia in sacramento, sicut in quacunque alia re, prius est ratio generica, quam specifica; ergo ratio causalitatis gratie vt sic, prius erit quam ratio talis causalitatis; ergo sicut sacramenta mortuorum prius intelliguntur causare gratiam

vt sic, præscindendo ab hoc, quod sint generatiua, vel reconciliatiua, ita sacramenta viuorum verbigratia Eucharistia prius intelligatur causare gratiam vt sic, quam causare gratiam per modum spiritualis alimonie: at qui illa gratia vt sic, secundum rationem genericam, sed prout præscindit ab hoc, quod sit generatiua, vel reconciliatiua, vel alimonia quædam spiritualis, non est gratia secunda; ergo prima. Petam enim ab aduersarijs an sacramentum Baptismi habeat causare gratiam solum secundum quod est tale Sacramentum, vel etiam qua Sacramentum est, similiter an Sacramentum Eucharistie habeat causare gratiam solum, qua tale sacramentum est, nempe gratiam spiritualis alimonie, an etiam qua sacramentum est, secundum quod genericè cum alijs conuenit Sacramentis, si hoc secundum admittant habemus intentum, cum enim Sacramentum Eucharistie secundum rationem genericam secundum quam in ratione causalitatis gratie cū

alijs conuenit Sacramentis nõ sit causatiuum gratie secundæ, alioqui omnia Sacramenta secundum rationem genericam hoc haberent, quod patet esse falsum, vt in Baptismo, & Penitentia erit primæ; si primum velint, contra est, quia Sacramenta prius sunt gratie causatiua, qua Sacramenta sunt, quæ qua talia Sacramenta sunt; ideo enim vt tale Sacramentum gratiam causat, quia vt Sacramentum causat; ratio namque genericæ prior est specificæ, &c.

Secunda ratio: id quod potest gratiam intendere, potest etiam gratiam primam causare, sed Sacramenta viuorum possunt gratiam intendere; ergo etiam illam primò causare. Maior patet ex physicis, quod enim potest qualitatem intendere, potest etiam illam primo causare, vnde videmus quod solum id potest calorem intendere, quod potest calore primo causare; imò valet causalis: ideo potest aliquid aliquam qualitatem intendere, quia potest illam causare, & ratio à priori intentionis, est ratio causalitatis, & non e

contra. Minor à nemine negari potest. Consequentia, ex præmissis manifestè sequitur.

Respondebis posse quidem Sacramenta primam gratiam causare, sed hoc per accidens non per se, quando scilicet causata non reperitur, vt cum quis bona fide attritus accedit ad aliquod ex Sacramentis viuorum, primam gratiam recipit, sed hoc per accidens, cum enim causari nequeat augmentum gratiæ, sine eiusdem gratiæ entitate, per accidens prima gratiæ entitas causatur vt modus radicacionis, vel intensiõis causetur, non enim est Sacramenti viuorum intentio, per se, primam gratiam causare, sed modum radicacionis illius, & cum tunc causari non possit ex defectu præexistentis entitatis, illa per accidens causatur.

Sed contra, quia si à naturalibus ad supernaturalia ascendere velimus, videbimus, quod sicut in naturalibus nõ est per accidens respectu qualitatis alteram intendentis, quod entitatem intentæ pro-

ducat, si productam non reperiat, sed potius econtra per se petit entitatem alterius producere, & si productam reperiat, intendere; cum enim vnũ quodque agens intendat sibi passum assimilare, primo debet intendere propriam entitatem communicare, deinde intensiõem, seu perfectiõnem, vt ita dixerim, accidentalem; ita similiter in nostro casu cum Sacramenta sint quædam agentia supernaturalia ex Diuina motiõne, & virtute operantia, primo, & per se, secundum rationem generalem Diuinæ motiõis, debent intendere primæ gratiæ productionem, secundario eius intensiõem, licet hoc quod est secundarium respectu illius generalis motiõis, habeat postea rationem primarij respectu propriæ, & specificæ rationis, qua ex propria, & determinata cuiusque Sacramenti institutione proprios habent respicere effectus, modo explicato.

Sed dices, quod sicut in naturalibus dantur qualitates, quæ per se dumtaxat ordinantur ad augmentum rei, & non

ad primam eiusdem rei productionem, ita, & in supernaturalibus hoc idem dari potest. Antecedens patet in potentia augmentatiua, quæ certè in omnium sententiâ solum ordinatur ad augendâ quantitatem, non vero ad primam illius productionem, prima namque quantitatis productio ad potentiam spectat generatiuam, cum prima quantitas simul cum prima substantia producat; ergo etiam in linea supernaturali debent dari similes vt ita dicam potentia gratia productiua, vna quæ correspondeat potentia generatiua, quæ primam producit gratia, vt ita dicam, substantiam, & quantitatem, & erunt Sacramenta mortuorum, altera quæ correspondeat potentia augmentatiua, quæ solum gratia producat augmentum, & erunt Sacramenta viuorum.

Sed contra, quia ideo in naturalibus datur illa potentiarum distinctio, quia datur potentia, quæ per se primo dicitur causare quantitatem, & est potentia generatiua, & da-

tur potentia, quæ dicitur solum quantitatem augere, & non causare, quæ est augmentatio; si enim de augmentatione diceretur, quod quantitatem producat, posset de illa dici, quod etiam primam producat quantitatem. At vero si de Sacramentis loquamur, de omnibus dicitur, quod gratiam causant; ergo omnia debent gratiam causare, si enim semel primam gratiam non causarent, non diceretur de illis absolute, quod gratiam causent, sed solum (vt de augmentatione dicitur) diceretur quod gratiam augerent. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, Sacramenta viuorum ex sui institutione habent solum augmentum gratia causare; ergo non habent causare primam gratiam. Antecedens probatur. Confirmatio in vita spirituali comparatur potentia augmentatiua in vita naturali, & Eucharistia comparatur potentia nutritiua, atqui potentia augmentatiua, & nutritiua non causant vitam naturalem, sed illam essen-

essentialiter præsupponunt; ergò etiam Confirmatio, & Eucharistia, vitam spiritualem præsupponere debent, propterea vocantur communiter Sacramenta viuorū, quia spiritualem præsupponunt vitā, &c.

Respondetur distinguendo antecedens. Sacramenta viuorum ex sui institutione habent solum gratiæ augmentū causare qua talia Sacramenta sunt, seu secundum suam rationem specificam et conceditur, qua Sacramenta sunt, seu secundum rationem genericam omnibus alijs Sacramentis communem, & negatur; vnde Sacramenta viuorum talia dicuntur, non à ratione generica, sed à propria ratione specifica; Sacramenta vero mortuorum talia dicuntur, & secundum rationem genericam, & secundum rationem specificam, cum secundum vtranque rationem primam habeant causare gratiam.

Secundum argumētum est, quia si Sacramenta viuorum primam haberent causare gratiam, sicut Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, se-

queretur quod eadem dispositio, quæ est sufficiens pro illorum duorum Sacramentorum receptione, esset etiam sufficiens pro viuorum Sacramentorum receptione, & sic sicut ad illa recipienda sufficit attritio cognita, ita ad ista sed hoc est falsum, & à nullo admittitur; ergò &c. sequela maioris probatur; quia ideo ad Sacramenta mortuorum suscipienda sufficit attritio cognita, quia primam gratiam causant; ergò si etiam Sacramenta viuorum primam gratiam causant, etiam ad illa recipienda cognita attritio sufficiet, & sic, sicut de Sacramentis mortuorum dicitur, quod ex attrito faciunt contritum, ita & Sacramenta viuorum, &c.

Respondetur negando sequelam maioris, & ratio est, quia qui sacramentum suscipit debet disponi non solum secundum quod petit generica sacramenti ratio, sed & maxime secundum quod petit ratio propria, & specifica; atqui sacramenta mortuorum secundum vtranque rationem solum petunt attritionem, cum

namque illa sola potest quis accedere; at vero cum Sacramenta viuorum secundum propriam rationem specificam petant maiorem dispositionem, nempe contritionem, vel attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ; propterea nequit quis ad illa accedere cum sola attritione cognita.

Tertium argumentum est destruens potissimum nostræ sententiæ fundamentum: Sacramenta mortuorum habent secundum propriam institutionem primam causare gratiam; ergo non habent illam causare secundum rationem genericam; ergo neque Sacramenta viuorum. Antecedens est certum, prima consequentia probatur, secunda enim ex prima clare sequitur: quia vt docent Dialectici differentia est extra genus, & proprium prædicatum differentia, nullo modo potest generi conuenire; sed ratio causandi primam gratiam conuenit Sacramentis mortuorum secundum propriam rationem differentialem, & est proprium, vt ita dicam, illorum prædicatum; ergo id ipsum

rationi genericæ Sacramenti nequit conuenire.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, non habet illam causare secundum rationem genericam eodem modo quo causant secundum rationem specificam conceditur, diuerso modo negatur; igitur Sacramenta mutuorum habent causare gratiam, etiã secundum rationem specificam, diuersimodè tamen, nam secundum rationem genericam habent gratiam causare vt sic, præsciendò quod sit gratia regeneratiua, vel reconciliatiua, &c. secundum vero rationem specificam habent illam causare specialibus illis modis; per quæ patet ad probationem consequentię, doctrina enim Dialecticorum optimè procedit, sed non in nostro casu, cum diuersas assignemus rationes.

Quartum argumentum est, si Sacramenta causarent gratiam, & secundum rationem genericam, & secundum rationem specificam, sequeretur quod duplicem causarent gratiam, scilicet genericam, & spe-

specificam, hoc dici nequit; ergò nec id ex quo sequitur. Sequela maioris patet, vbi enim est duplex causa, ibi duplex assignari debet effectus; sed in Sacramentis duplex assignatur gratiæ causa, ergò etiam duplex effectus, nempe duplex gratia. Minor probatur, quia Sacramenta mortuorum, quia habent primam gratiam causare, ideo si illam causatam reperiant, eiusdem gratiæ causant augmentum; ergò si semel Sacramenta viuorum primam habent causare gratiam, etiam tunc habebunt causare gratiæ augmentum, & si gratiam causatam reperiant duplex causabunt augmentum, vnum correspondens Sacramento vt tali, aliud correspondens Sacramento vt sic, quod tamen nullo modo dici potest; ergò &c.

Respondet Nugnus, quod Sacramenta non causant gratiam genericam, & specificam, quia, inquit, quando distinguimus gradus in effectibus Sacramentorum loquimur disputationis gratia, non enim sunt gradus distincti, sed vnica qualitas magis, vel minus

intensa; habent ergò omnia Sacramenta causare gratiam non distinguendo gradum qui correspondeat speciei, & gradum qui correspondeat generi, sed tota illa qualitas generi semper correspondet per se, differentiæ vero tan ù per accidens in Sacramentis viuorum.

Sed hæc solutio in bona philosophia est falsa, licet enim gratia sit vna simplex qualitas, tamen negari non potest, quin in ipsa, sicut in quacunque alia re creata, quæ in aliqua prædicamentorum categoria collocatur, gradus metaphisici generis, & differentiæ non distinguantur, & quoties in causa illi gradus assignantur, etiam in effectu assignari debent; si ergò distinguit Nugnus in Sacramentis rationem genericam, & specificam, quare non debet has easdem rationes in gratia distinguere?

Respondetur ergò, quod sicut in Sacramentis illi gradus metaphisicales distinguuntur, etiam in gratia distinguui debent, non tamen sequitur, quod duplex gratia cau-

sari debeat, sed solum quod in gratia causata, siue sit ipsa entitas gratiæ, siue augmentum eiusdem, semper gradus metaphysicales generis, & differentiæ, correspondentes gradibus generis, & differentię Sacramenti, distingui, & assignari debeant. Vndè Sacramenta mortuorum, quæ primam habent gratiam causare, habent in illa correspondentem rationem genericam, & differentialem, generica est ratio gratiæ vt sic, differentialis est, verbigratia, ratio gratiæ regeneratiuæ &c. similiter quando illam productam reperiunt, producant gratiæ augmentum in quo eadem ratio generica, & specifica reperitur, ratio quidè generica, est illud augmentum, secundum quod habet dicere esse augmentum gratiæ vt sic: ratio vero specifica, secundum quod est augmentum gratiæ, secundum quod, verbigratia, regeneratiua est. Idem dicendum de sacramentis viuorū, quando producant gratiæ augmentum, in eo correspondet ratio generica, & specifica; quando vero primam

producant gratiam, etiam ad illam concurrat ratio generica, & specifica, sed cum differentia, quod quando augēt gratiam, primum quod inspicitur est ratio specifica, quam generica; quando vero primam producant gratiam, primum quod inspicitur, & per se primo agit, est ratio generica, attingens entitatem gratiæ, & postea ratio specifica, quæ aliquem modum illius gratiæ attingit, &c.

Quintum argumentum est, quia Sacramenta viuorum si quando primam causant gratiam, hoc solum est per accidens, & non per se; ergò totum corrumpit nostræ doctrinæ fundamentum. Antecedens probatur, quia illud est per accidens in moralibus, quod ex supposita sequitur ignorantia; atqui Sacramenta viuorum solum primam producant gratiam, ignorantia supposita; ergò solum per accidens illam causant. Maior ex se patere videtur, propter hoc namque dicunt Theologi, bellum dari ex vtraque parte iustum, ignorantia dumtaxat supposita. Minor probatur,

sacra-

Sacramenta namque viuorum in tantum primam producant gratiam, in quantum quis putat se esse contritum cum sit tantum attritus, vel putat se esse sufficienter dispositum cum tamen non sit; ergo &c.

Respondetur distinguendo antecedens, Sacramenta viuorum producant primam gratiam per accidens respectu intentionis operantis, qui in viuorum Sacramentis se debet disponere non solum quoad rationem genericam, verum etiam quoad rationem specificam, & Sacramenti, & effectus Sacramenti; nempe gratiæ, conceditur antece-

dens; producant primam gratiam per accidens respectu intentionis ipsius operis, nempe Sacramenti secundum genericam eius rationem, negatur antecedens; effectus namque per accidens est ille qui per accidens cōiungitur cum effectu per se intento à causa vt inuentio thesauri cum fossione, quæ per se à fodiente intenditur, patet autem quod prima gratia non est effectus coniunctus per accidens cum causalitate Sacramenti generica, sed est per se primo inspectus, vt patet; per quæ patet quid ad subiunctas probationes dicendum sit.

QV AESTIO VIII.

Quid addat gratia Sacramentalis, gratia habituali.

D Thomas art. 2. quæstionis 62. expresse docet, quod singula Sacramenta præter gratiam, & virtutes, & dona, quæ ipsam

consequuntur, habeant etiam quædam specialia conferre auxilia ad singulorum Sacramentorum finem consequendum necessaria. verbigratia

Bap-

Baptismus confert auxilia ad vitæ puritatem conducen-
tia, quam in eo accepimus Sacramento, conseruandam. Confirmatio alia confert auxilia ad fidem constanter profitendam, & sic deinceps. Cū enim habitus supernaturales, licet dent, & simpliciter posse, & faciliter posse (quod non faciunt naturales qui solum dāt faciliter posse) nō dāt tamē actu operari, sed solum posse, fit quod nisi Deus singularibus auxilijs nos præueniat, non posse nos diū omnibus tentationibus resistere, & gratiam conseruare, quā propter Deus singulis gratijs Sacramentalibus propria annexuit auxilia ad propria cuiusque Sacramenti opera ob-eunda: hinc deducunt omnes, Sacramentalem gratiam ab habituali moraliter saltem differre, ratione iuris quod confert ad talia auxilia suscipienda; controuersia solummodo est an ultra tale ius ad illa auxilia, seū an ultra distinctionem moralem superaddat etiam aliquid physicum ratione cuius gratia Sacramentalis a gratia habituali distinguatur.

Prima sententia est, quod gratia Sacramentalis supra gratiam habitualem solum addat specialia Dei auxilia, in ordine ad speciales effectus cuiusque Sacramenti, verbi gratia, Sacramentum Baptismi confert gratiam habitua-lem cum speciali titulo, & iure ad auxilia in ordine, vt dicebamus, ad puritatem quam in eodem Sacramento recipimus conseruandam, & sic de alijs. Hanc sententiam sequuntur Suarez, Vasquez, Egidius, Lugo, & alij plures in præsentī.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Gratia Sacramentalis licet sit idē habitus cum gratia sanctificante, seū habituali, superaddit tamen aliquid permanens formaliter, ab ipso habita distinctum, quod constituit speciem formalem superadditam ipsi gratiæ habituali, quæ species cum subalterna sit, diuiditur postea in septem species infimas iuxta numerum 7. Sacramentorum. Ita Nugnus hic, Cabrera hic, & alij Discipuli D. Tho. communiter, & certe est expressa eiusdem
D. Tho.

D. Thomæ sententia in hoc artic. 2. in solutione tertij. Cum enim esset tale augmentum. *Omnia additio, vel subtractio in formis variat speciem ut dicitur in 8. metaphysica. Si ergo gratia Sacramentalis addit aliquid supra gratiam virtutum, & donorum, sequitur quod æquivoce dicatur gratia.*

Respondet. *Dicendum, quod ratio Sacramentalis gratia se habet ad gratiam communiter dictam sicut ratio speciei ad genus. Unde sicut non æquivoce dicitur animal communiter dictum, & pro homine sumptum, ita non æquivoce dicitur gratia communiter sumpta, & gratia Sacramentalis; Vbi ut vides vult, quod gratia Sacramentalis se habeat ad gratiam habitualem, seu sanctificantem sicut animal in homine, ad animal communiter dictum; patet autem quod animal ut sic genericè, & animal in homine, nempe specificè, non distinguuntur, tanquam res, & res realiter distinctæ, sed tanquam species à genere; ita gratia Sacramentalis distinguitur à gratia*

habituali tanquam species à suo genere, & sic gratia Sacramentalis, licet non sit distinctus habitus à gratia sanctificante est tamen distincta species, seu est quædam formalitas superaddita, specie distincta à gratia habituali, in qua fundatur ius, & titulus ad auxilia specialia correspondentia. Et infra quæst. 72. artic. 7. ad 3. habet: *Gratia Sacramentalis addit supra gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectuum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum; si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata quantum ad id quod est commune, sic per hoc Sacramentum non confertur aliqua gratia quam per Baptismum, sed qua prius inerat augetur. Si autem consideratur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa; Vbi ut vides docet Angelicus Doctor, quod gratia Baptismi, & gratia Confirmationis distinguuntur specie quantum ad id, quod gratia Sacramentalis super gratiam communiter dictam addit. Et*

in hoc sensu intelligi possunt Paludanus, & Capreolus in quarto dist. prima, &c. qui pro opposito referuntur.

Probatum primo conclusio gratia Sacramentalis semper datur re ipsa quando Sacramentum dignè recipitur, Sacramentum namque est signum practicum immediatè, & vi suæ applicationis proprium producat effectum; atqui illa auxilia specialia non dantur tunc, ut patet, in parvulo quando baptizatur; ergò in illis Sacramentalis gratia consistere nequit; ergò in aliquo superaddito non realiter, & tanquam res, & res distincto; sed formaliter.

Sed dices gratiam Sacramentalem non consistere in illis auxilijs præcisè, & formaliter, sed in ipsamet gratia habituali quatenus fundat ius ad illa auxilia. Sed contra, quia gratia habitualis non potest fundare verum, & proprium ius ad speciales effectus sacramentales, distinctum ab illo iure, quod habet ipsa gratia in ordine ad auxilia pro omni opere bono, sine aliquo realiter superaddito;

ubi enim est distinctum realiter ius, ibi reale, talis iuris, fundamentum, assignari debet; sed gratia habitualis quæ talis fundat ius ad generalia auxilia in ordine ad omnia opera virtutum, & quæ sacramentalis fundat novum, & distinctum ius proprium sacramentorum in ordine ad proprios, & particulares eorundem sacramentorum effectus, quæ iura, ut patet, cum sint ad inuicem separabilia omnino distinguuntur; ergò in ipsa gratia debent dari illorum iurium distinctorum, fundamenta distincta, quæ alia esse nequeunt nisi ratio habitus, & formalitas à nobis explicata.

Secunda ratio: novæ legis Sacramenta distinguuntur ad inuicem specie reali; ergò etiam eorum effectus per se primo inspecti specie distinguuntur, sed effectus per se primo inspecti à Sacramentis sunt gratiæ Sacramentales, quæ dum Sacramenta conferuntur, suscipiuntur; ergò gratiæ Sacramentales distinguuntur specie debent. Antecedens patet, sunt enim in omnium
sen.

sententia 7. Ecclesiæ Sacramenta specie distincta. Prima etiam consequentia liquet, vbi enim causæ specie distinguuntur etiam eorum effectus primarij specie distinguuntur. Minor, & consequentia subsumpta clara esse videntur.

Confirmatur primo, auxilia, ad quæ ipsa Sacramenta ius conferunt specie distinguuntur; ergò etiam gratiæ, quæ sunt illorum auxiliorum diuersa iura, & tituli diuersi. Antecedens admittunt illi contra quos disputamus, alioqui per illos nihil restaret per quod Sacramenta specie discriminarentur. Consequentia probatur, quia inter gratiam, & auxilia sibi correspondentia debet dari proportio; ergò si illa specie distinguuntur & gratiæ ipse specie distinguuntur debent, alioqui inter causam, & effectum sufficiens non daretur proportio &c.

Confirmatur secundo, quia ideo Character Baptismi, & Confirmationis &c. specie distinguuntur, quia eorum causæ specie distinguuntur; ergò si distinctio Sacramenti Bap-

tismi, & Confirmationis est sufficiens ratio distinctionis duorum illorum Characterum, etiam erit gratiarum, &c.

Tertia ratio, gratia sanctificans intrinsecè hominem sanctificat in ordine ad omnia virtutum opera; ergò gratia Sacramentalis debet intrinsecè sanctificare in ordine ad talia opera, modo tali determinato, & proprio pro quo libet Sacramento; sed hoc fieri nequit sine distinctione specifica; ergò &c. Antecedens, & prima consequentia videntur omnino clara. Minor subsumpta probatur, quia ideo intellectus verbigratia distinguuntur specie ab habitu intellectuali, quia licet intellectus inspicere habeat omne verum, tamen hoc facit generali, & vniuersali illa ratione, nimirum sub ratione veri ut sic, habitus vero intellectualis habet quidem respicere verum, sed sub ratione limitata, determinata, & restricta ad modum illum particularem; ergò etiam gratia habitualis ut sic, & gratia Sacramentalis distinguuntur specie

Cc debent

debent, cum illa respiciat animam sanandam modo illo generali, & gratia Sacramentalis, verbi gratia Baptismalis, modo particulari, & determinato, nempe vt gratia regeneratiua, & gratia pænitentiae vt gratia reconciliatiua. Soluuntur argumenta in oppositum.

Primum argumentum est: gratia habitualis, diuina, & specialia connotando auxilia est sufficiens ad præstandos omnes Sacramentales effectus; ergò frustra superadditur illa formalitas specie distincta ab entitate habitus gratiae Antecedens probatur primo ex D. Tho. 1. 2. quæst. 111. art. 2. vbi dicit gratiam perficere animam tam quoad esse spirituale quam quoad opus, & operationem, quod intelligi debet non tantum quoad certos aliquos actus, sed quoad omnes virtutum actus, quatenus illa secum adueit omnes virtutes Theologicas, & morales infusas, quæ pertinet ad communem Christianorum statum; atqui actus Sacramentales sunt actus virtutum, ergò pertinent ad gratiam

sanctificantem; ergò gratia sanctificans dat homini iusto vt sit sufficiens principium effectuum omnium effectuum Sacramentalium connotando semper tamen ex Diuina institutione propria cuiusque Sacramenti auxilia. Probatur secundo illud antecedens quando aliqua forma non est potens ad aliquem effectum, quem sub suo continet obiecto, non aliter fit potens, quàm vel per additionem alicuius gradus, vel intensiõis; sed gratia Sacramentalis non est gradus, nec intensio gratiae habitualis; potest namque contingere quod non confirmatus maiorem habeat gratiam, quam confirmatus; ergò &c. Tertiò quia videmus multos confirmatos fidem negare, & multos solum baptizatus fidem firmiter profiteri; ergò &c.

Respondetur distinguendo antecedens, gratia habitualis est sufficiens ad præstandos illos effectus quos præstat gratia Sacramentalis illo generali modo, & conceditur; speciali, & proprio ipsorum Sacramentorum modo, & negatur

tur; & tantum, & non amplius vult Doctor Angelicus loco illo citato ex prima secundæ. Ad secundam probationem dico argumentū optimè procedere respectu illius effectus quem forma sub suo obiecto formali continet, non vero respectu illius qui extra tale obiectum formale continetur, vt ex dictis liquet. Vnde quod gratia habitualis non præstet effectum formalem proprium gratiæ Sacramentalis non est ex defectu intensiōis, vel radicatiōis, sed ex defectu illius formalitatis iam dictæ, ratione cuius præstentur ille effectus modo illo particulari, & determinato, vt diximus de intellectu, & habitu illius; vnde licet non confirmatus maiorem possit habere gratiam quam confirmatus, non tamen habebit illam specialem formalitatem, quæ habet fundare intrinsecum ius ad auxilia propria vt sunt quædam spiritualia gaudia in sustinendis pænis, & tormentis, singulares illustrationes, immissiones piarum affectionum boni affectus voluntatis, san-

ctæ cogitationes, diuturna auxilia gratiæ excitantis, & etiam adiuuantis &c. Ad tertiam probationem fatemur euenire posse, quod confirmatus, à fide, & gratia excidat, & baptizatus perseueret, non tamen inde sequitur Confirmationem non afferre illam gratiæ formalitatem, quæ sit fundamentum illorum iurium ad propria auxilia; non enim isti effectus sunt infalibiles cum sint fundati in nostra voluntate, de bono in malum, quandiu peregrinamur à Domino, vertibile &c.

Secundum argumentum: vbi est effectus eiusdem speciei, & causæ debent esse eiusdem speciei; sed gratia Baptismalis, & Confirmationis produciunt effectum eiusdem speciei; ergo & gratiam; maior ex philosophia certavideretur. minor probatur, sit casus quod solum baptizatus martyrium propter fidem sustineat, & hoc idem faciat confirmatus: tunc sic: martyrium baptizati, & confirmati sunt eiusdem speciei, & tamen sustinetur ex gratia Baptismali,

& Confirmationis; ergò hæc duæ gratiæ debent esse eiusdem speciei &c.

Respondetur, hoc argumentum solum probare, gratiam Baptismalem, & Confirmationis concurrere posse ad sustinendum martyrium, quod nos non negamus, non tamen probat illas esse diuersæ speciei; martyrium namque vt ex dictis colligitur, potest sustineri non solum ex gratia Baptismali, verum etiam ex gratia habituali, hæc enim inclinatur ad omnia virtutum opera, sed sub generali ratione, non sub speciali gratiæ cuiusque Sacramenti, vt dictum est: vel etiam dici potest, quod martyrium passum ex gratia Baptismali, & ex gratia Confirmationis formaliter differant, licet entitatiuè sit idem &c.

Tertium argumentum est, quia ex nostra sententia sequeretur, quod inæqualiter peccaret Baptizatus, & Confirmatus cum contra diuersas formales gratias delinquant; hoc est falsum, & contra communem Christianorum vsus,

qui non se accusant, quod peccauerint, quia Confirmati, quia pœnitentes, quia passi Eucharistico pane, &c. ergò &c.

Respondetur negando maiorem, loquendo de inæqualitate specifica peccatorum, nõ de circumstantia præcisè aggravante, nam si de hac loquamur negari non potest, quin ille qui plura recepit beneficia à Deo non etiam magis delinquat: licet enim Sacramenta diuersas producant Sacramentales gratias, nunquam tamen contra illas censetur quis delinquere, & nouum, ac distinctum peccatum committere, nisi ex animo quis contra speciale illud motiuum facere intendat; ad eum modum quo quis specialem animum habere debet, vt contra generales delinquat circumstantias. Mâneat ergò ex dictis, quod Sacramentalis gratia, licet non addat nouam supra gratiam habitualem entitatem, addit tamen nouam formalitatem realiter ab eadem entitate distinctam, non quidem

dem tanquam res à re, sed tanquam formalitas à sua entitate, ad eum modum quo actio distinguitur ab entitate motus &c. Ex quibus inferitur, quod cum per peccatum mortale gratia habitualis destruat, etiam Sacramentalis, quæ cum illa in ratione entitatis identificatur,

licet realiter, formaliter distinguantur, destrui debet, & sicut per subsequentem iustificationem gratia habitualis reuiuiscit, ad eum tamen modum, quo de meritorum reuiuiscencia notauimus, etiam gratia Sacramentalis reuiuiscere debet.



DISPV TATIO V.

DE MINVS PRINCIPALI

ALIQVORVM

SACRAMENTORVM

EFFECTV

QVI EST CHARACTER.

Agit Doctor Angelicus de Characterē quæst. 63. per totam. Est Character nomen græcum, quod latinè significat, notam, firmiter cupiam impressam, per quam à cæteris discernatur rebus. quo modo nota candenti ferro, æquis, ac pecudibus impressa, à latinis veteribus character dicebatur. Iuxta ergò nominis etimologiam Theologi in hac materia characterem appellât signum aliquod spirituale, seû spiritualem no-

tam in fidelium animis à Deo indelibiliter impressam, & ut fiant de familia, vel domo Christi, ut per characterem Baptismi; vel de militia Christi, ut per characterem Confirmationis; vel eius ministri, ut per characterem Ordinis; vel etiam ut per illa signacula destinentur speciali modo homines ad cultum Dei, præcipuè in ordine ad recipienda, vel ministranda Sacramenta. Hæc est nominis ratio, videndū est an detur, quid sit, & in quo subiecto sit, &c. sit ergò.

QVÆSTIO

QVAESTIO I.

An aliqua Sacramenta imprimant Characterem.

Hæretici nostri temporis, Lutherani, ac Sacramentarij, vt videre est apud Caluinum lib. 4. instit. cap. 19. Kemnitium in examine can. 9. sess. 7. Concilij Tridentini; hæresim VViclephi iam diu sepultam, vt videre est apud N. VValdensem tom. 2. de Sacramentis cap. 109. ab orco reuocarunt dicentes, nullum Sacramentum characterem imprimere.

Veritas tamen Catholica sequenti explicatur conclusione: de fide est, quod tria ex septem, nouæ legis Sacramenta nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, imprimunt characterem. Hæc veritas definita est in capit. maiores de Baptismo, & eius effectu. In Concilio Florentino in decreto vnionis; & tandem in Tridentino sess. 7. can. 9. vbi dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo*

scilicet Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possint; anathema sit.

Probatum primò ex tribus Sacræ Scripturæ locis. Primus habetur 2. Cor. 1. vbi sic loquitur Apostolus: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Secundus locus habetur in Epistola ad Ephesios cap. 1. vbi sic ait: *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis.* Tertius locus in eadem habetur Epistola capite tamen quarto vbi dicit: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis, in diem redemptionis.*

Probatum secundò Sancto-
rum

rum Patrum auctoritate :
Primum locum demus P.N.S.
Cyrillo Hieroso. præfatione
in Catecheses, ubi definit Ba-
ptismum per varios illius ef-
fectus, quod sit : *Captivita-
tis liberatio, peccatorum remis-
sio, signaculum sanctum, & in-
delebile*. Hoc idem docet D.
Basilus ho. 13. quæ est exhor-
tatio ad Baptismum. D. Gre-
gorius Nazian. oratione 40.
in Sanctum Baptisma. Nisse-
nus oratione de S. Baptisma-
te. Epiphanius hæresi 8. D.
Augustinus pluribus in locis,
quæ citantur à P. Vasquez hic
disput. 134. Suarez disput. 11
sect. 1. & ab alijs.

Probatur tertio ratione ex
Tridentino loco proxime ci-
tato desumpta. Sacramenta
Baptismi, Ordinis, & Confir-
mationis sunt initerabilia; er-
gò imprimunt characterem.
Antecedens & docet Triden-
tinum loco citato, & tota Ec-
clesia Catholica, verum & id
ipsum admittunt hæretici :
Consequentia probatur, quia
ideo sunt initerabilia, quia
imprimunt characterem, si
namque semel characterem
nò imprimeret iterabilia esset.

Sed dices primo, nos com-
mittere circulum vitiosum,
nam si quærat quare tria
illa Sacramenta sunt initerabi-
lia, statim respòdemus, quia
imprimunt characterem, si rur-
sus petatur quare imprimunt
characterem, respondemus,
quia sunt initerabilia. Re-
spondetur probationem cir-
cularem tunc solummodò es-
se vitiosam, quando in eodem
genere causæ procedit, quod
hic non contingit, cum vna
probatio à priori procedat, à
posteriori altera; ratio nam-
que à priori initerabilitatis est
characteris impressio, à poste-
riori vero contra.

Sed dices secundo, quod
licet ex impressione characte-
ris rectè colligatur, non posse
illa Sacramenta iterari, non
tamen valet oppositum, nem-
pe hoc non potest iterari; er-
gò imprimit characterem; nam
consecratio Ecclesiæ non po-
test iterari, consecratio Cali-
cis, prima tonsura, benedic-
tio charismatis, olei infirmo-
rum; non enim Ecclesia face-
re potest, quod oleum quan-
diù manet non sit benedictum,
&c. ita arguit Lugo hic.
disput.

disputat. 6. sect. 1. num. 5.

Respondetur negando antecedens, optimè enim valet à posteriori, hoc iterari non potest; ergò imprimit characterem, quando enim effectus est proprius alicuius causæ valet argumentario non solum à causa ad effectum, verum etiam ab effectu ad causam, quod autem initerabilitas sit proprius characteris effectus, ex solutionibus eorum, quæ à Lugo adducuntur patebit, Ecclesia namque consecrata, Calix similiter consecratus, Oleum benedictum, prima tonsura, &c. iterabilia sunt, quis enim dicet, quod Ecclesia (& idem est de alijs) in rerum permanens natura consecrationem amittere non possit, si eiusdè Ecclesiæ auctoritate, qua consecrationes institutæ sunt, instituerentur aliæ, per quas eiusdè Ecclesiæ fieret execratio? aut si Dei voluntate, vel alterius potestatem habentis, certum determinaretur tempus, ad quod consecratio duraret, & non amplius; & aliæ instituerentur cæmonia pro consecrationis conti-

nuatione dumtaxat, quorum defectu ipsa consecratio cessaret. Vnde dicunt plures, quod templi Salomonis consecratio duravit vsquè ad Christum, quo tempore nouarum Ecclesiarum incæpit consecratio, &c.

Dices tertio in fauorem dicti Card. de Lugo, quod Ecclesia dicitur consecrata ab actu præterito; sed ad præteritum nulla datur potentia; ergò nec Ecclesia, nec Deus facere potest, quod Ecclesia consecrata exeretur, &c.

Respondetur, Ecclesiam dici consecratam ab actu præterito, non tamen solum, sed per quamdam deputationem, vnde sicut primo fuit posita, ita per eandem auctoritatem tolli potest; per easdem enim causas per quas res nascitur, per easdem dissolui potest. Vnde sicut qui contulit iurisdictionem, illam auferre potest, ita qui Ecclesiam per tales, vel tales cæmonias ad Dei cultum deputauit, per alias potest eandem auferre deputationem &c.

Secunda ratio: tria illa Sacramenta conferunt spiritua-

lem quandam in ordine ad particulares effectus potestatem; sed hæc potestas est character; ergò tria illa Sacramenta imprimunt characterem. Maior patet, nam Sacramentum Baptismi tribuit spiritua-lem potestatem passivam ad alia recipienda Sacramenta Confirmatio tribuit potentiam activam ad fidei professionem. Ordo tribuit potestatem ad munia propria cuiuscunque Ordinis; ergò &c. Minor patet, quia per characterem nihil aliud intelligimus, nisi has potestates, ut postea dicetur.

Tertia ratio, seu potius congruentia desumitur ex N. V. Valdense tom. 2. de Sacramentis cap. 110. quæ potest sub hac forma proponi. In quacunque Principis familia benè instituta sunt particularia signa, quibus discernuntur, qui sunt de familia, famuli, milites &c. ergò hoc idem fieri debet in magna domo, seu familia nostri Patris familias; hoc sit per tria illa Sacramenta; ergò &c. Per Sacramentum namque Baptismi datur character, signum,

seu nota, quod Christiani sūt de domo, & de familia Christi. In Sacramento Confirmationis, datur character, seu nota, & signum, per quod constituntur milites Cælestis Imperatoris ad fidem protestandam, & defendendam. In Sacramento Ordinis datur character, nota, & signum per quod homines ministri constituntur Christi; ergò &c. Soluuntur hæreticorum argumenta.

Primum argumentum est Calvini lib. 4. institut. cap. 18. §. 19. vbi sic arguit: character verbigratia Baptismi superfluit; ergò non datur. Antecedens probatur; si character Baptismi necessarius esset maximè ad salvandam baptismi initerabilitatem; sed ad hoc superfluit; ergò &c. Minor probatur. Maior namque est Catholicorum assertum; idè enim Baptismus iterari non potest, quia est ingressus in Ecclesiam, quæ est vna, & est initiatio fidei, quæ est vna, iuxta illud, *vna fides unum baptisma &c.*

Respondetur negando antecedens: ad probationem.

ceditur maior, & negatur minor, ad cuius probationem dico, quod ex unitate Ecclesiæ, vel fidei desumi non potest unitas, seu initerabilitas Baptismi, sicut non desumitur unitas, & initerabilitas Confirmationis, & Ordinis, alioqui desumeretur etiam initerabilitas Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &c. quod tamen nec ipsi volunt hæretici; quod autem dicatur ab Apostolo Ephes. 4. *unum Baptisma*; idè est, quia solum Christi baptisma salutare est; unde sicut ex hoc, quod Apostolus 1. Cor. 12. vocat Eucharistiam *unum Panem*, nemo infert initerabilitatem; ita ex hoc præcisè quod dicat *unum Baptisma*, inferri non potest eadem initerabilitas, sed ex hoc quod indelebile signum in anima imprimat, & non aliter.

Secundum argumentum est Kemnitij 2. p. exam. pag. 238. 239 & 240. ubi examinans canonem 11. de Baptismo sic arguit. Sacramentum Baptismi non est initerabile ratione characteris, sed alias ob causas; ergo &c. Antecedens

probat; primò, quia significat Christi mortem, quæ est vna, semel enim tantum Christus mortuus est. Secundò quia ut dicitur Io. 13. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus*. Tertio ex illo Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati renouari iterum ad pœnitentiam*. Quarto, quia pactum Dei perpetuum est, quod in Sacramento Baptismi initur, non enim sequitur Deus illam regulam: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*, quia ut loquitur Apostolus. Rom. 3. *Nunquid infidelitas illorum, fidem Dei euacuauit? absit*. Quintò, quia Circuncisio, quæ erat Baptismi figura non erat iterabilis; ergo &c. Sextò, quia per Sacramentum Baptismi nascimur spiritualiter; ergo sicut vna est natiuitas corporalis, vna solum debet esse spiritualis natiuitas. Vltimò, quia de Baptismo nunquam scriptum est, quod repeti possit, sicut de alijs Sacramentis, de Eucharistia 1. Cor. 11. *Quotiescunque feceritis &c.* De Pœnitentia Matth. 18. *Non dico*

tibi septies ; sed septuagies septies &c.

Respondetur negando antecedens : ad primam probationem dico, illam nihil valere ; nam etiã Eucharistia Christi mortem repræsental, & tamen est iterabilis ; ergò initerabilitas non ex Christi morte, sed ex caractere sumenda est. Ad secundam probationem dico, Ioannem loqui de eo, qui reuera mundus est ab omni mortali, iste enim non indiget nisi ut pedes temporalium lauet affectionum ;

uod si quis post baptisma mortaliter delinquat, cum amplius non sit mundus, indiget ut totus per Pœnitentiæ Sacramentum lauetur, vnde patet illum locum non esse ad rem pro probanda Sacramenti Baptismi initerabilitate. Ad tertiam, dico Apostolum non loqui de Sacramento Baptismi, sed loquitur de illis, qui gratiam Dei, siuè per Sacramentum Baptismi, siuè per quoduis aliud receperunt, & postea retrocedunt, reuertentes ad vomitum ; est enim valde difficile istos reuerti &c. Ad quartam dico, quod eti-

am Eucharistia, pactum Dei continet, & tamen repeti potest. Vnde licet pactum Dei quantum est ex parte ipsius perpetuum sit, quia Deus nõ deserit hominem nisi prius deseratur ab homine, si tamẽ deseratur, & ipse deserit, & sic etiam respectu Dei currit illa regula, *frangenti fidem fides &c.* Ad quintam dico, Circumcisionem non fuisse iterabilem, quia vt supra dicebamus nec physicè poterat iterari ; deinde quia sicut circumcisio erat quidam corporis character, ita Baptismus imprimit in anima proprium characterem, &c. Ad sextam dicendum est nihil valere, quia non minus homo nascitur spiritualiter per baptismũ, quam renascatur per fidem, præsertim formatam, & tamẽ fidei actus repeti possunt, &c. Ad vltimam dico, quod licet de Baptismi Sacramento nusquam in Scriptura legatur expresse, quod repeti non possit, virtualiter tamen hoc dicitur de illo insinuat characterem imprimere, vt patet ex locis supra ex Scriptura Sacra adductis.

Tertium argumentum est. Si ob aliquam rationem character daretur, maxime ut discernerentur qui tales habent characteres à ceteris, sed ad hoc non requiritur; ergò non datur. Maior est certa. Minor probatur, si namque requireretur character pro tali discretionem, vel hoc esset in ordine ad Deum, vel in ordine ad Beatos, vel damnatos, vel viatores; sed non requiritur nequè in ordine ad Deum, nequè in ordine ad beatos &c. ergò &c. Maior in qua est difficultas probatur. Deus namque characterem non indiget, ut suos cognoscat, *novit enim Deus qui sunt eius.* Nequè in ordine ad beatos, quia beati omnia vident clarè in verbo, nequè in ordine ad damnatos, cum hoc potius disconueniat, quam conueniat: nequè in ordine ad viatores, cum non nisi ad sensibilia viatorum cognitio, & non ad spiritualia se extendat; nullus enim viatorum tales vnquam cognouit characteres.

Respondetur, quod licet non sit necessarius character, vi homines illum habentes

dignoscantur à Deo, à beatis, &c. tamen hoc erat valde conueniens. Deus namque in hoc differt ab hominibus, quod cum homines alijs iniungunt hominibus aliquod officium, nihil interni illis tribuunt, quo aptentur pro tali officio; homines cum alios diligunt ut bonos, ut pulchros, non bonos, non pulchros illos faciunt, sed vel supponunt, vel fingunt, vel imaginantur. Cui volunt homines ab alijs diligere, nihil illis tribuunt, quo diligantur; cum volunt sibi credi, nihil tribuunt quo sibi credatur; cum volunt alios in se sperare, nihil tribuunt, quo in se speretur. Non sic Deus cum deputat ad Sacramenta, vel recipienda, vel danda, tribuit quo talia munia præstent deputati. Non diligit homines quia bonos, quia pulchros sed diligendo facit bonos, facit pulchros; cum vult ab hominibus diligere, tribuit quo diligatur; cum vult credi, tribuit quo credatur; cum vult sperari, tribuit quo speratur. Hæc est Dei nostri natura, hæc conditio, hæc benignitas.

QVAESTIO II.

An Character sit qualitas vera, & realis.

D Vrandus in 4. dist. 4. quæst. 1. num. 1. existimat characterem non esse quid reale, sed relationem tantum rationis, per quam ex Dei institutione aliquis ad sacras deputatur actiones, ad eum modum, quo numus rei vendibilis præteritum efficitur. Scotus in 4. dist. 6. existimat characterem esse quidem relationem, sed realem, sed extrinsecus aduenientem.

Nostri sententia sequentia explicatur conclusione. Character est vera, & realis qualitas, non relatio rationis, non relatio extrinsecus adueniens. Ita D. Tho. & Theologi omnes hic, & Scholastici in 4. cum Magistro dist. 4. unde non est necesse nec auctores, nec eorum referre auctoritates.

Probatur nostra conclusio, oppositas Durandi, & Scoti confutando sententias. Et primo confutando sententi-

am Durandi. Nam Concilium Florentinum in Decreto Eugenij de vnione Armenorum, & Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. dum definiunt Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimere characterem, consulto vtuntur verbo imprimere, non conferre, per quod denotatur vera qualitatis, vel entis productio; imprimere namque, physicam importat actionem, non sic conferre; verbum enim conferre est indifferens ad significandum effectum physicum, & morale, non sic imprimere; gradus namque honorum, vt doctoratus, licentiatus, iurisdictio &c. conferri dicuntur non imprimi,

Item consecratio Ecclesie Calicis &c. solum dicuntur quid morale, vel denominationem extrinsecam conferre non aliquid intrinsecum; at imprimere, physicam impor-

tat actionem vt dixi, vnde, doctoratus licentiatatus &c. nõ dicuntur imprimi, sed cõferri; ergò cum Concilia dicunt illa Sacramenta non conferre, sed imprimere characterem, quid physicum esse volunt,

Confirmatur, quia ideo Theologi docent gratiam esse quid reale in anima, quia Concilia, & Patres dum de illa loquuntur, vtuntur nominibus, quæ significant aliquid plusquam morale, vt verbi gratia vniri animæ, inhærere, &c. ergò cum hoc idem in nõstro contingat casu, idem erit asserendum.

Secunda ratio contra eandem Durandis sententiam est; quia si character esset eas rationis, vel denominatio purè extrinseca, sequeretur omnia nouæ legis Sacramenta imprimere characterem; hoc est falsum; ergò & id vndè sequitur. Maioris sequela probatur, quia ex cuiusque Sacramenti receptione relatio consurgit rationis ad Sacramentum susceptum, & ad finem Sacramenti; ergò &c. rursus sequeretur, quod non minus imprimeretur character per

nouæ legis Sacerdotium, quã per antiquæ, tam enim hic, quam ibi extrinseca interuenit deputatio, & per consequens rationis relatio: nõ sequeretur, quod non minus Baptismus, quam circumcisio characterem suscipiẽtibus imprimeret, quæ omnia pugnare videntur cum dictis Conciliis, & Sanctorum PP. quapropter Belarm. lib. 1. de Sacramentis cap. 19. merito dicit Durandi sententiam vix ab Hæreticorum opinione differre.

Probatur etiam nostra conclusio, Scoticam impugnando sententiam: Nam vt docet Aristoteles quinto physicorum tex. 10. & 11. ad relationem non datur per se motus, hoc est relatio primò & per se veram, & realem non terminat actionem; sed ad alterius resultat productionem. Sed character per se terminat veram, & realem actionem; ergò non est relatio. Maior est Aristotilis, & omnium est Philosophorum pronunciatum. Minor probatur, quia vt supra cum D. Augustino, & D. Tho. dicebamus, cum quis fiat

fiat Baptismi suscipit Sacramentum, verum suscipit Sacramentum, non tamen effectum Sacramenti, nempe gratiam, & tamen tunc verè producit Baptismi character per actionem per se primo ad ipsum terminatam, actio namque Sacramentalis Baptismi characterem Sacramentalem attingit; ergò &c.

Nec valet cum Schola Scotica respondere ex suo subtili Doctore, dictum Aristotilis solum procedere de relationibus intrinsecis, non vero de relationibus extrinsecè aduenientibus.

Nam contra est, quia nulla relatio exurgit, nisi aliqua mutatione prius facta in aliquo duorum extremorum, nempe vel in termino, vel in fundamento; sed illa mutatio fieri non potest nisi vi alicuius actionis transmutantis; ergò &c. Videantur N. Complut: in Logica, ubi contra Scotum probat sex vltima prædicamenta non esse relationes extrinsecus aduenientes. Solvuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est,

quia character nil aliud est, quam quædam Dei deputatio, qua homo ad alia deputatur Sacramenta recipienda, quod fit per Baptismi Sacramentum, per quod etiam constituitur de domo, & de familia Christi, vel deputatur tanquam miles eiusdem Christi, quod fit per Sacramentum Confirmationis, vel deputatur ut exerceat aliquod munus, vel officium, quod fit per Sacramentum Ordinis: sed hæc omnia fieri possunt per solum ordinem rationis; ergò &c. Minor probatur, quia si quis deputetur ut fiat membrum alicuius Reipublicæ, ut cum quis fit civis Venetiarum, vel cum quis hæres relinquitur, ut fiat de tali familia, vel deputatur, ut aliquo in Republica munere fungatur, nihil intrinsecum recipit; sed vel est solum relatio rationis, vel denominatio extrinseca ab actu deputantis desumpta; ergò hoc idem fieri potest in Dei deputationibus.

Respondetur negando minorem: ad probationem patet ex dictis questione præcedenti in solutione ad vltimum, ubi
ele-

elegans assignatur differentia inter Deum, & homines, dum enim homines alios ad aliquod deputant officium nihil intrinsecum in eis ponunt, Deus vero deputando tribuit quo officium illud exequatur; quapropter optimè dicit D. Tho. hic quod Sacramenta duplicem habent finem, primum gratiam conferre, & regenerare, secundo perficere hominem in ordine ad Dei cultum, patet autem quod homo perfici non potest ad Dei cultum per rationis relationem.

Secundum argumentum est: quia si character esset aliquid reale intrinsecum, vel esset entitas absoluta, vel relatio realis; neutrum dici potest; ergò nihil est intrinsecum; ergò solum relatio rationis, vel pura denominatio extrinseca. Major videtur certa. Minor probatur quoad primam partem, si enim character esset qualitas absoluta, vel esset donum naturale, & hoc non, cum eius infusio ad Deum pertineat auctorem supernaturalem; vel esset donum gratuitum, & ne-

que hoc, quia vel esset gratia gratum faciens, vel gratis data, non primum ut patet, neque secundum cum non reperiatur inter enumeratas ab Apostolo 1. Cor. 12. & ad Eph 4. ergò &c. Probatur deinde illa minor quoad secundam partem, quia si semel esset relatio, certè alia esse non posset nisi relatio signi, non naturalis, sed ad placitum, patet autem quod relatio quæ consequitur ad signum ad placitum est rationis, & non realis; ergò

Respondetur eligendo primam partem maioris ut patet ex dictis, & patebit ex dicendis. Ad probationem dico, quod character est donum supernaturale, & tamen non est gratia gratum faciens, quia potest esse cum peccato mortali, nec gratia gratis data, cum non sit aliquid pertinens ad publicam Ecclesie utilitatem, cum non sit aliquid sensibile & pertinens ad bonum corporis visibilis Christi; nec illa diuisio gratiæ in gratum facientem, & gratis datam est adæquans omne donum supernaturale, cum fides, &

Spes, ut sunt virtutes Theologicae, nec sub vno, nec sub alio illorum membrorum continentur, si tamen gratia gratis data paulo latius accipitur character sub illa continetur, prout nimirum per gratiam facientem gratum illum intelligamus, quae ad bonum suscipientis ordinatur, &

per gratiam gratis datam illud intelligamus donum, quod ad bonum corporis myltici, quoquomodo pertinet, siue sensibile sit, siue insensibile, siue directè, siue indirectè, siue intra, siue extra Sacramenta ad publicam Ecclesiae pertinet ædificationem.

QVAESTIO III.

In qua specie qualitatis Character Sacramentalis collocetur.

Character, sicut, & omnia entia supernaturalia, dupliciter considerantur, & ut entia supernaturalia sunt participantia formaliter ens ipsum supernaturale, & secundum hanc rationem in nullo directè collocantur prædicamento; participans namque cum reuocetur ad speciem illius quod participat, & cum Deus in nullo reponatur directè prædicamento, neque ipsius participantia formaliter reponi possunt; quia tamè

illa entia supernaturalia essentia gaudent creata, & per consequens ex genere, & differentia componuntur secundum hanc rationem in prædicamentis collocantur. Cum ergo querimus in qua specie qualitatis character collocetur non loquimur de illo secundum primam considerationem, sed secundum secundam. Variæ ergo sunt de hac re sententiae, aliqui enim dicunt in prima specie collocari hi sunt. D. Bonau. in 4. dist. 6. art. 1. q. 1. Alex.

Alèx. 4. quæst. 19. memb. 1. art. 7. Suarez hic disput. 11. sect. 3. & alij.

Verum hæc sententia displicet primò, quia est contra mentem D. Thomæ, qui in omnibus, sed præsertim in hac materia Sacramentorum est mirabilis. Secundo quia habet contra se urgentissimas rationes, quas sic breuiter propono. Prima est ad probandum, quod character nequeat esse dispositio: Quia dispositio vt docet Aristoteles in prædicamento qualitatis ex sui natura est facile mobilis, at qui character cum sit indelebilis est difficile mobilis; ergò non est dispositio. Deinde dispositio, vel est accidentaliter talis, vel essentialiter talis, dispositio accidentaliter talis est illa qualitas, quæ adhuc suam non obtinuit firmitatem, sed est in via ad illam, & sic hæc dispositio est talis in ordine ad se ipsam in statu perfectiori, & stabiliori; dispositio vero essentialiter talis illa est, quæ est dispositio ad formam diuersam, seù ad vltiorem formam; sed character non est sic, quia nec di-

sponit ad se in statu perfectiori, cum prima vice secundum totam suam perfectionem, & firmitatem infundatur, nec est dispositio ad formam vltiorem, alia namque esse non potest nisi gratia ad quæ character non disponit, cum possit gratia produci sine characterè, nec potest aliud assignari ad quod sit character dispositio; ergò &c.

Nec dici potest, quod character sit habitus, quia vt arguit D. Tho. de ratione habitus est, quod potentiam disponat ad malè, vel benè operandum, est enim habitus vt definit Philosophus in prædicamento qualitatis, *qualitas disponens benè, vel malè subiectum, difficile mobilis*, sed character non est sic, cum potentiam indifferentem relinquat ad benè, vel malè vtendum characterè; quantum namque est ex vi illius potest Sacerdos consecrare in gratia, vel in peccato mortali cū ad illorum neutrum determinet; ergò non est habitus; &c.

Sed audiat lector, quid de hac D. Thomæ ratione dicat P. Suarez in commentario ar-

tic. 2. sed hæc ratio, inquit, efficax non est. Primo quidem quia non est contra rationem habitus ut possimus eodem habitu uti, & benè, & malè in genere moris, ut ratio facta procedit, quia etiam in voluntate est probabile præter habitus virtutum, & vitiorum dari habitus indifferentes; nam licet actus specie indifferens, in individuo non fiat sine bonitate, vel malitia accidentali sumpta ex fine extrinseco, tamen in entitate sua manet indifferens, & secundum illam generare potest habitum. Secundo arguit quia inquit de habitu intellectus, est hoc evidens, nam eodem habitu sciëntiæ utimur benè, & malè, & de habitu fidei multi idem existimant. Character autem à D. Thoma ponitur in intellectu; ergo nihil obstat quominus possit esse habitus eius quo voluntas benè, & malè moraliter uti possit. Hæc Suarez contra D. Thomam.

Sed contra primum est, quia licet dentur actus indifferentes secundum speciem ex mente D. Thomæ non

tamen dantur in individuo, cū autem habitus non causetur per actus nisi individuales, seu prout in individuo exercentur, & secundum hanc rationem per D. Thomam indifferentes esse nequeant, sequitur implicare, quod per illos actus secundum speciem indifferentes, habitus producat indifferens. Adde quod licet daretur talis habitus indifferens, non diceretur talis, quia esset indifferens ad bonum, & malum, sed quia esset determinatus ad exercendos actus, quoad substantiam indifferentes.

Contra secundum dictum P. Suarez, sic pro D. Thoma arguo, quia cum dixit D. Thomas quod nullus habitus potest se habere ad bonum, & malum, non loquitur de bono, vel malo morali, sed de bono, vel malo proportionato illi potentiæ cuius est habitus, vnde cum bonum intellectus sit verum, & malum falsum, illa qualitas erit habitus intellectualis, quæ benè vel malè habebit intellectum disponere in ordine ad verum, vel

vel falsum, sicut ille erit habitus voluntatis qui voluntatem disponere habebit, ad bonum vel malum morale, quod est proprium voluntatis obiectum, modo, cum character non disponat ad bonum, vel malum morale non erit habitus voluntatis (potest namque character esse cum peccato mortali, & cum eodem mortali operari potest) similiter cum non disponat ad verum, vel falsum, non enim inclinatur intellectum hoc modo, sequitur quod non sit habitus intellectualis, sed erit potentia operatiua cum inclinatur ad operationem, vel receptionem ut postmodum dicitur: per quod patet ad illud, quod de scientiæ habitu dicit Suarez licet enim illo possit homo bene, vel male uti in ordine ad bonum, vel malum morale, non tamen in ordine ad bonum, vel malum intellectus, seu in ordine ad verum, & falsum, sed solum in ordine ad verum, ut patet.

Probatur secundo, quod character non possit dici habitus: quia ut docet Aristoteles loco citato de qualitate:

de ratione habitus est, quod magis, & minus suscipiat per intensiorem, & remissionem, & quod non operetur semper secundum ultimum potentiam; sed character non suscipit magis, & minus, sed est in omnibus æqualis, & semper secundum ultimum potentiam operatur, tam in consecrando, quam in absoluendo; ergo non est habitus.

Secunda sententia est, characterem esse in tertia specie qualitatis, quæ est passio, & passibilis qualitas. Hanc defendit Altissiodo. 4. summæ c. de Baptismo. Ocham. 4. q. 2. concl. 5. dub. 3. Gab. 4. dist. 6. quæst. 2. dub. 4. Lugo hic disput. 6. sect. 3. numer. 48.

Sed neque hæc sententia placet quia in tertia specie ille qualitates reponuntur, ut patet ex Philosopho ibidem, quæ efficiunt passiones in sensu, causando speciem sui immediatè, vel etiam mediatè, sed character nullam efficit passionem in sensu, nec potest causare speciem sui, nec mediatè, nec immediatè; ergo non est passio, vel passibilis qua-

qualitas. Vnde vt docent Philosophi in tertia specie qualitatis solę qualitates sensibiles reponuntur, quę sunt termini alterationem, ita tamen quod sub passione ponuntur illę qualitates, quę cito transeunt vt rubor in facie ex verecundia, calor ex iracundia proueniens, &c. sub passibili vero qualitate ponuntur qualitates, quę diu permanent, vt calor natiuus, febris diuturna, &c. patet autę quod character cum sit insensibilis, & spiritualis nullam harum habet conditionum, &c.

Tertia sententia docet characterem esse in quarta specie qualitatis nempe in forma, & figura per quam homines consignantur tanquam per specialem notam, signum, & figuram; vt enim supra dicebamus per characterem Baptismi homo consignatur signo familię Christi, per characterem Confirmationis cōsignatur signo, & nota militię Christi, & per characterem Ordinis consignatur signo ministrorum Christi &c. hanc sententiam post Marsi-

lium, Riccardum, & alios defendit Salas tomo primo in 1. 2. tract. 2. disput. 8. sect. 3. num. 59. & alij moderni.

Sed hæc etiam sententia merito reicitur à D. Tho. hic artic. 2. ad secundum, quia quarta species qualitatis proprię est forma, & figura, quę est propria quantitatis in eius vltima superficie expressa; sed character non est sic; ergo &c. Nec valet dicere, quod ad hanc speciem reducatur cū sit animę ornatus, decor, & pulchritudo. Nam contra est quia hoc modo etiam gratia in quarta specie collocari posset cum illas habeat proprietates, sicut, & omnes alij habitus boni, qui sunt animę perfectiones; ergo &c. his exclusis.

Vostra sententia sequenti explicatur conclusione: character in secunda qualitatis specie collocatur nempe in potentia. Hęc est expressa D. Tho. sententia in hoc art. 2. & omnium discipulorum eius, propterea abstinendum est ab illis recensendis. Antequam tamen probemus conclusionem duo breuiter præmit-

mittenda sunt; vnum quod licet character in secunda specie qualitatis collocetur, vt postea probabimus, non tamen negari potest, quin secundum alias considerationes non possit etiam ad alias species reuocari, nam qua parte est qualitas difficile mobilis, ad speciem habitus reuocari potest, quatenus est terminus actionis Sacramentalis ad passibilem qualitatem, quatenus est figura, nota, & signum ad quam speciem, de hoc non puto esse difficultatem inter scribentes, sed ad quam magis propriè, & principaliter pertineat. Alterum quid sibi velit D. Thomas dum dicit in hoc articulo, quod character non pertinet propriè ad speciem potentia, sed per reductionem, sicut virtus instrumentalis quæ consistit influxu; aliqui namque dicunt mentem D. Thomæ esse excludere characterem directè à specie qualitatis, sicut & virtutem instrumentariâ, quia spiritualia sunt; sed hoc puto falsum, quia secundum D. Thomam omnia præter Deum in prædicamentis collocantur,

dummodo gradus habeant metaphysicales generis, & differentia. Alij dicunt, quod ideo character, & virtus instrumentaria à D. Thoma excluduntur, quia sub potentia specie, solum potentia principales reponuntur non instrumentales; alij, quia character est res artificiola &c. Sed non explicant mentem D. Thomæ; explicatur autem sic, nam licet character potentia sit, tamen cum nullum qua potentia est habeat effectum principalem, sed solum instrumentalem, & hæc influxu consistat, sequitur quod licet character sit qualitas vera, realis, & absoluta; qua potentia tamen instrumentalis cum nullum habeat effectum qui directè ponatur in prædicamento, nec ipse character ponatur. Vnde si calor, verbigratia, consideretur præcisè quatenus est virtus generantis ad producendam substantiam non ponitur directè in specie potentia, sed reductiue dumtaxat, licet qua naturalis potentia in ordine ad alterius caloris productionem, directè in specie potentia collocetur, quia

quia secundum hanc rationē non dicit fluxum ad effectum excedentem, à superiori agēte receptum, sed virtutem in-natam, & proportionatam, &c. his positis.

Probatur primò nostra conclusio. character baptismalis, est, modo explicato, potentia passiva, & character Ordinis est potentia actiua, & character Confirmationis est potentia partim actiua, partim passiva; ergò omnis character est potentia, & per consequens in secunda specie qualitatis collocabitur. Antecedens explicatur, & probatur: homo namque per characterem baptismi fit potens ad alia Sacramenta recipienda; ergò est potentia passiva. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia illa est potentia passiva per quam homo redditur potens ad aliquem actum, vel ad aliquid recipiendum; sed per characterem Baptismalem homo redditur potens ad alia Sacramenta recipienda; ergò &c. Similiter per characterem Ordinis fit Sacerdos potens ad consecrandum, & absoluendum, ita

quod sine illo sit omnino impotens, sicut sine characterē baptismi est omnino impotens ad alia Sacramenta recipienda; idem argumentum confici potest de characterē Confirmationis &c.

Respondet Suarez disput. 11. sect. 3. quod ex vi rationis D. Thomæ solum colligitur characterem habere rationem potentiaē moralis non physicaē, quia videlicet est signum ex Diuina ordinatione ad hoc destinatum, vt qui illo insignitus fuerit aptus sit ad tale ministerium, sicut in lege veteri Circuncisio dici poterat potentia passiva ad recipienda Sacramenta illius legis, & similiter virga iudicis potest dici potestas actiua ad gubernandum.

Sed contra, quia potentia moralis, ratione relationis rationis, vel denominationis extrinsece per ipsum Suarez nō transcendit, vt videre est in potestate dominij, iurisdictionis, &c. Atqui character est vera entitas realis nostris impressa animis, dāns veram, & realem facultatem ad munia dicta exercenda; ergò non est solum

solum potentia moralis, verum etiam physica. Quis enim negare audebit, quod homo per characterem baptismalem non ordinetur verè, & realiter ad alia Sacramenta recipienda? quis dicet quod realis entitas à Deo in Baptismo nostris animis infusa, quæque est aliorum Sacramentorum ianua solum moraliter, & non physice ad alia Sacramenta disponat? certè qualitas physica, physice disponere debet, sicut & moralis moraliter; si ergò physice disponit, & hoc per modum potentia passivè ut quo, modo explicando, sequitur quod potentia passiva physica sit, non moralis tantum: alioqui non magis character baptismalis esset aptus in ordine ad aliorum Sacramentorum receptionem quam quælibet alia res. Tum quia signum deputativum ad aliquid debet præsupponere in recipiente, potentiam ad illud producendum, ad quod significandum deputatur; atqui Sacerdos sine characterè baptismi non habet potentiam proximam ad alia Sacramenta recipien-

da, & Sacerdos non habet ex se potentiam ad consecrandum, vel absolvendum; sed hæc omnia habentur ex characterè; ergò est vera potentia physica non moralis, &c.

Secunda ratio ad nostram conclusionem stabilendam est, quia illa est potentia, quæ operatur secundum ultimum suæ virtutis; sed character est huiusmodi; ergò est potentia. Maior patet ex philosophia. Minor probatur, cum enim character non sit actio, vel passio, sed terminus actionis, & talis quod datur ad agendum, vel recipiendum, & non quoquomodo, sed suam totam explicando virtutum; non enim Sacerdos dum medio characterè absoluit, vel consecrat dimidia characteris virtutem, sed tota, & integra, & secundum totam illius intensionem; ergò &c.

Confirmatur, quia character datur non ad melius consecrandum, vel absolvendum sed ad simpliciter consecrandum, & absolvendum; patet enim quod sine characterè baptismali nullus potest absolute alia recipere Sacramenta,

sine charactere Sacerdotali nullus absolute potest absoluerere, & consecrare, ergò character est potentia siuè passiva, siuè actiua, &c.

Dices, ex hoc argumento non probari characterem esse potentiam, sed habitum supernaturalem; differentiantur namque supernaturales habitus à naturalibus, quod isti dantur solum ad melius, & facilius operari, illi autem dantur ad simpliciter posse; vnde dicunt còmuniter Theologi, quod habitus Fidei, Spei, & Charitatis dantur ad simpliciter posse, non solum ad facilius, &c.

Sed contra, quia licet virtutes supernaturales dentur ad simpliciter posse elicere actum secundum earum formales rationes, quia intellectus, & voluntas sine illis saltem per modum transeuntis nullatenus valent actus supernaturales elicere; tamen possunt illæ potentix elicere actus circa obiectum materiale illarum, quod clare patet in hæreticis, qui habent fidem humanam Incarnationis, Trinitatis, &c. actus namque

illi sunt naturales (non enim possunt elicere actus fidei supernaturales: cum fidem non habeant supernaturalem alijs discredentes articulis) cum versentur circa quædam obiecta materialia Fidei. At si loquamur de intellectu sine charactere, nullatenus potest elicere actum, verbigratiâ, consecrationis etiam ex motivo, vel virtute naturali; ergò signum est, quod licet, & habitus supernaturales, & character dentur ad posse simpliciter, tamen habitus non datur per se primò ad posse, sed secundario; per se autem primò datur ad disponendum subiectum, vt benè se habeat in ordine ad finem supernaturalem. Character vero datur per se primò ad posse, quia, ultra posse nihil aliud tribuit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum pro prima sententiâ est, omnis qualitas disponens subiectum ad ulteriorem formam habet rationem dispositionis; sed character est huiusmodi; character namque baptismalis disponit ad recipiendam gratiam

tiam baptismalem, & alia Sacramenta. Confirmatur præcedens argumentum, quia vel character est operatiuus; vel non? Si primum des, erit habitus cum sit difficile mobilis, & habitus supernaturales dantur ad operari; si secundum, velis erit essentialiter dispositio. Nec valet quod sit difficile mobilis, dispositio vero facile mobilis, nã in õnium opinio ne febris ethica est dispositio, & tamen est difficile mobilis.

Ad hoc argumentum iam patet ex dictis; non enim negamus characterem non habere etiam aliquam dispositionis rationem, quæ sit de secundaria, non de primaria, ratione; primum enim quod in characterem est, est ratio potentia, secundo vero etiam alia rationes, & habitus, & dispositionis secundum quid, & passibilis qualitatis, & formæ, vel figuræ &c. Ad confirmationem etiam patet ex immediatè dictis; quod habitus supernaturales dantur quidem ad simpliciter posse, tamen supponunt similes actus, vel similem virtutem, quoad substantiam; fides nã

que supponit in intellectu virtutem naturalem ad attingendum actum fidei quoad substantiam, vt cum credimus fide humana, charitas supponit virtutem dilectiuam quoad substantiam, & sic deinceps; at vero character hoc nõ habet, vt iã explicatum est.

Secundum argumentum, pro tertia sententia, quæ dicebat characterem esse passibilem qualitatem est: quia passibilis qualitas est terminus actionis, per quam ipsa subiecto imprimitur, sicut albedo est terminus albefactionis; sed character est huiusmodi, est enim terminus actionis Sacramentalis per quam in anima imprimitur; ergo est passibilis qualitas: sicut enim albedo est passibilis qualitas secundum quod terminat albefactionem, quia secundum hanc rationem non denominat subiectum, nõ disponit, nõ tribuit virtutem &c. ita & character.

Respondetur pariter ex dictis, characterem habere etiam aliquid passibilis qualitatis, sed hoc non est primum quod in characterem inuenitur, sed est ratio potentia, tum etiam

quia ut supra dicebamus de ratione palpabilis qualitatis non est esse quoquomodo terminum actionis, sed sensibilis sed alteratiuæ, quod characteri non conuenit.

Tertium argumentum pro quarta sententia quæ dicit characterem in quarta specie collocari ut nota, ut signum, &c. est, quia character ut eius affert ethimologia idem est quod figura, ut patet ex Epistola ad Hebr. cap. 1. nam ubi latinus interpret vertit, *Figura substantiæ eius*, legit Græcus: *Character substantiæ eius*; ergo character est figura specialis animæ. Nec valet dicere cum D. Thoma, quod character sit quidem figura, sed metaphorica, analogia desumpta ex rerum sensibilium figuris, quibus solent ipsa distingui sensibilia. Nam contra est, quia character est vera imago spiritualis; sed imago spiritualis, & materialis vniocantur; ergo si semel character est imago, seu figura spiritualis in quarta specie directè reponetur: quod autem character sit vera imago, figura, vel signum,

patet, quia Angelus videns in homine characterem cognoscit illum hominem esse vel de domo Christi si est character Baptismalis, vel miles Christi si est Character confirmationis, vel minister Christi si est character ordinis, & hoc naturaliter habet character nõ ad placitum, seu ex Diuina institutione, naturaliter enim inducit cognoscentem in talem cognitionem.

Respondetur ex dictis, quod character habet etiam aliquam rationem figuræ, notæ, sigilli, seu signi, sed hoc totum est secundarium: non enim est formale, sed obiectiuum, quo viso facit venire in cognitionem signati, & non ad placitum ut vult Suarez, sed naturaliter propter rationes in argumento tactas, cum ergo sit signum obiectiuum debet supponere entitatem, cui ratio signi adueniat, & illa entitas est ratio potentiæ, & per consequens est primum quod in characterem reperitur, illi ergo rationi potentiæ aduenit naturalis ratio signi, quæ signat Christum, cui homo designatur domesticus, miles, mini-

minister; signat etiam proprium, quisque character, munus; signat etiam alia Sacramenta ad quæ disponit &c.

Quartum argumentum quo Pater Suarez conatur probare characterem non esse potentiam, est tale. Si character Baptismi esset potentia maxime passiva, sed passiva non est; ergo potentia non est. Minor probatur, quia si character baptismi esset potentia passiva, vel ideo esset, quia reciperet gratiam, vel quia reciperet alia Sacramenta, vel alios characteres, sed in ordine ad hæc potentia passiva esse nequit; ergo nullomodo. Maior probatur quoad omnes partes: non potest esse potentia passiva quoad gratiam, quia hæc recipitur in anima, character in intellectu; ergo &c. non quoad Sacramenta, quia hæc recipiuntur in corpore, cum sint res sensibiles, character in intellectu: non quoad alios characteres, quia omnis qualitas alterius receptiva per illam constituitur in actu secundo, vel saltem in actu primo ut operetur, sed character Ba-

ptismi hoc modo non constituitur; ergo &c.

Respondetur concessa maiori, & negando minorem ad probationem dico, characterem baptismi esse potentiam passivam respectu omnium illorum, ad primam in probationem dico, quod licet gratia recipiatur in anima, & character in intellectu, tamen quia character est principium necessarium ad gratiam suscipiendam Sacramentalem, propterea dicitur etiam respectu gratiæ potentia passiva, unde sicut dispositiones præviæ in generatione substantiali recipiuntur in toto composito, & tamen disponunt materiam ad formam recipiendam, ita potest bene forma existans in vno subiecto disponere ad receptionem formæ in altero subiecto. Ad secundam probationem dico, quod licet Sacramentum, tantum recipiatur in corpore, totum tamen quodammodo immutat hominem, quam immutationem non suscipit, qui baptismalem non habet characterem. Ad ultimam improbationem dico, illam habere-

habere verum, quando illa qualitas alterius receptiua non solum est potentia passiuua, verum etiam actiua; ita, quod prius sit passiuua, deinde fiat actiua per talem, quam recipit virtutem; non tamen habet verum, quando illa potentia alterius qualitatis receptiua est potentia purè passiuua, vt contingit in nostro casu. Velim tamen aduertas, quod dum dicimus characterem baptismalem esse potentiam passiuam respectu reliquorum, non esse sensum, illum characterem esse subiectum quod reliquorum, sed solum quo; vnum namque accidens esse nequit respectu aliorum subiectum quod, sed tantum quo, vt patet ex philosophia.

Quintum argumentum pro cedit specialiter de Sacramento Confirmationis, de quo D. Tho. dicit esse quodammodo potentiam passiuam, quodammodo actiuam, est autè argumentum tale. Si character Confirmationis esset potentia partim actiua, partim passiuua deberet esse talis simpliciter; sed hic character nō

est potentia actiua, & passiuua simpliciter, sed solum ad melius esse; ergò &c. Maior videtur esse D. Thomæ, & Thomistarum sententia: Minor probatur, quia character Confirmationis non est necessarius simpliciter, sed solum ad melius esse ad characterem Ordinis suscipiendum, vt omnes Theologi docent; vnde, qui reciperet non confirmatus ordines, verè ordinis characterem reciperet; similiter character Confirmationis nō est necessarius simpliciter ad fidem coram tyranno protestandam, sed solum ad melius esse, ita enim confirmatus, & non confirmatus possunt fidem protestari &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad primam probationem dico, quod licet character Confirmationis non sit simpliciter necessarius ad characterem Ordinis suscipiendum, est tamen simpliciter necessarius ad suscipiendam propriam, & sibi correspondentem gratiam Sacramentalem, & ad habendum ius ad propria, sibi que correspondentia auxilia,

xilia, vt patet: sine illo enim illa non dabuntur, licet alia dari possint, quod non negamus. Ad secundam probationem dico, quod licet character Confirmationis non sit simpliciter necessarius ad fidem quoquomodo protestandum, est tamen omnino necessarius ad illam protestandam ex officio, vt docent Thomistæ cum D. Thoma hic; videatur Nugnez hic difficultate 3. in solutione ad 6.

Sextum argumentum est ad probandum, quod character ordinis non sit potentia actiua; sic, si character Ordinis esset potentia actiua, vel esset quia conficit alia Sacramenta, vel quia gratiam producit, vel quia conficit Corpus Christi in Eucharistia nullum horum dici potest; ergo &c. Maior patet, nihil enim aliud assignari posse videtur, cuius character Sacramenti ordinis sit potentia actiua. Minor probatur quoad omnes partes, & primo quoad primam: character ordinis non est pars essentialis, nec integralis aliorum Sacramentorum; ergo non intrat in eo-

rum causalitatem, licet ab illis supponatur veluti conditio, non vt potentia. Antecedens patet ex dictis supra, dum ageremus de partibus essentialibus Sacramentorum vbi ex Florentino Concilio, & communi Theologorum sensu partes Sacramenti methaphysicè sunt genus, & differentia: physica materia, & forma propria; ex quibus vnumquodque Sacramentum perficitur; patet autem quod character ordinis non pertinet ad essentiam aliorum Sacramentorum methaphysicam, neque ad physicam cum non sit nec materia, nec forma aliorum Sacramentorum. Secunda pars probatur, quia si character Ordinis esset causa gratiæ, cū non possit esse principalis deberet esse instrumentalis; sed instrumentalis esse nequit; ergo &c. probatur minor, quia Sacerdos non causat in alijs gratiam per characterem, sed per Sacramentum, nullum enim institutum est gratiæ instrumentum nisi Sacramentum; ergo &c. Deinde dato quod character esset gratiæ causa instrumentalis, adhuc non sequi-

sequitur quod reponi debeat in specie potentiaæ actiue, cum omnes creaturae possint à Deo eleuari ad gratiam producendam, non tamen propterea sequitur quod sint in specie potentiaæ actiuae, cum enim hæc eleuatio fiat per potentiam obedientialem passiuam, constitui non possunt per illam in specie potentiaæ actiuae. Tertia etiam pars probatur, quia ad hoc ut character transubstantiationem causaret, deberet aliquam habere operationem exteriorem, sed character nullam potest habere operationem exteriorem; ergo &c. Maior patet, effectus namque exterius productus debet procedere à virtute, quæ ipsum effectum tangat, seu quæ ad ipsum pertingat, quod autem est subiectiue in anima ad effectum exteriorem pertingere nequit nisi media aliqua actione exteriori. Minor probatur, quia quod nullam habet actionem interiorem, nequè exteriorem habere potest, sed character nullam habet interiorem; quod probatur, quia si semel esset à characterè actio interior cum

esset vitalis sufficienter poni posset ab intellectu; deinde, quia non apparet quænam esse possit hæc actio; ergo &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem dico, quod character Sacerdotalis pertinet ad essentiam eorum Sacramentorum, quæ ad ipso conficiuntur Sacerdote, quatenus ut instrumentum Dei, eleuatur ad illa Sacramenta conficienda, quod autem Concilium Florentinum assignauerit solum materiam, & formam tanquam partes essentielles nihil facit, cum non curauerit assignare nisi partes essentielles magis sensibiles, non curando de insensibilibus, cum tamen secundum communio-rem Theologorum sententiã Christi institutio, debita ministri intentio, & secundum alios etiam actio executiua exterior, ad essentiam pertineant Sacramenti. Adde, & forte melius, quod character non est pars essentialis Sacramenti, sed solum materia, & forma, intentio autem ministri, & character non ut partes essentielles intrinsecæ, sed

ut

vt causa efficiens concurrat; patet autem, quod causa efficiens cum sit extrinseca, sicut & causa finalis, ad rei essentiam non pertinet. Ad secundam probationem patet ex dictis; nam Sacerdos non conficit Sacramentum, nisi ex Divina virtute, & motione, talis autem motio fit medio caractere, & sic medio illo gratiam producit; nec ex hoc, quod caracter eleuetur ad producendam gratiam per potentiam obedientialem passivam, quæ in omnibus creaturis reperitur, sequitur quod omnes creaturæ sint in specie potentiaæ actiuæ, nam caracter adhuc solum datur, non sic aliæ creaturæ; deinde si aliæ creaturæ eleuarentur ad hoc, prout sic, ratione virtutis instrumentariae receptæ, ad speciem potentiaæ actiuæ reducerentur, licet secundum alias rationes in alijs speciebus, vel etiam prædicamentis possent collocari. Ad tertiam probationem dico virtutem caracteris pertingere debere, connaturaliter loquendo, ad effectum exterius productum saltem virtualiter,

quod fit media actione intellectus, & voluntatis, quas modificat, verbigratia media ipsius Sacerdotis intentione, quæ per formam, seu verba ad effectum pertingit exterius producendum: dixi connaturaliter loquendo, quia sicut potest Deus eleuare Sacerdotem existentem Romæ ad causandam gratiã in Petro existentem Mediolani, cum sufficiat quod virtus principalis agentis effectum contingat, ita potest eleuare caracterẽ per actionem internam, quæ ab intellectu caractere informato procedit modificata, absque eo quod ad effectum pertingat propter eandem rationem. Igitur transubstantiatio Panis, & Vini in Christi Corpus, & Sanguinem (idem dic de alijs duobus effectibus assignatis) fit physicè, & veluti connaturaliter à virtute actiua verbis consecrationis à Sacerdote prolatis superaddita, quæ virtus physicè à caractere Sacerdotali producit, prout potentia actiua, & instrumentalis Dei agentis principalis.

Sed contra hæc insurgit

Gg Mæ-

Mæratius duo obijciendo absurda, quæ ex nostra sequuntur sententia. Primum est, quod si semel character esset potentia actiua ageret in distans, quod ridiculum est; ridiculum namquæ est dicere, quod nisi verba Sacerdotis consecrantis materiæ conuertendæ contigua sint, nullam fore transubstantiationem. Sed hoc grande absurdum solutum est supra, dñ explicaremus, quod Sacramenta sunt causa gratiæ physica; & etiam patet ex modo dictis; dato enim, & non concesso, quod verba nequæ in esse intentionali ad materiam consecrandam pertingerent, pertingentia sufficeret causæ principalis; sed non est necesse ad hoc refugere, cum enim consecratio fieri nequeat absquæ eo, quod verba verificentur secundum rationem *Hoc: & Hic:* & per consequens nisi materia sit in determinata distantia, ad quam verba saltem secundum esse intentionale peruenient, sequitur quod consecratio non fiet nisi verba ad materiam consecrandam pertingant intentionaliter saltem.

Secundum absurdum, quod nobis obijcit Mæratius est: sequeretur, quod si Sacerdos duas partes in æquali distantia haberet, & consecrationis verba proferret ex intentione vnum tantum consecrandi, quod vtrumque consecraret. Similiter si vnus ex illis panibus esset ordeaceus, adhuc consecraretur, quia cum illa virtus characteris impressa verbis sit potentia connaturalis, & non libera suum ex necessitate producet effectum. Sed hoc etiam absurdum manet eliminatum ex dictis; cum enim character non communicet suam virtutem verbis nisi media intentione legitima Sacerdotis, & hæc sit determinata ad vnum ex illis panibus, vnus solus, nempe designatus consecratus manebit; ad illud de pane ordeaceo patet; cum enim sit materia innepta etiam si Sacerdos conaretur ipsum consecrare nihil faceret: non enim character habet verba determinare, nisi per virtutem, quæ habet ex Diuina institutione, Diuina autem institutio ad panem ordeaceum non,

exten-

extenditur : Ex quibus patet quam probabilis , quam firma sit D. Thomæ sententia.

QVÆSTIO I V.

In quo subiecto Sacramentalis Character subiectetur.

Variæ sunt scribentium de hac materia sententiæ , quas breuiter expediam , vt D. Thomæ sententia stabilatur .

Prima sententia est Durandi in 4. dist. 4. quæst. 1. vbi docet, non esse necessarium characteris subiectum quærere, cum character sit ens rationis : dicit tamen quod dato, quod ens reale esset , deberet in membris exterioribus subiectari, in illis nimirum vbi executiua potentia reperitur; vnde dicit, quod character Sacramentalis in lingua Sacerdotis, vel in manibus subiectari deberet, cum enim inquit ille, si semel character est quid reale non perficiat potentiam cognoscitiuam, vel appetitiuam, cum non detur ad cogno-

scere, vel appetere, sed ad operari, in potentia executiua, per quam minister applicat formam, & materiam Sacramenti ad suscipientem, collocari debet; patet autem, quod potentia executiua, per quam minister applicat materiam, & formam sunt lingua, & manus; ergò &c. Confirmat hoc, exemplo artis, quæ in potentia intellectuua collocatur, quia perficit hominem ad veram facultatum cognitionem, & virtus moralis ponitur in appetitu, quia inclinatur ad appetendum, prout recta ratio determinat. Potentia vero factiua, in manibus artificis collocatur; cum ergò virtus executiua consecrationis sit in ore, vel lingua, & manibus

(propterea manus consecratæ sunt) in illis character debet collocari.

Sed hæc sententia tanquã erronea reicitur, quia per illam saluari non possunt duo, quæ à Concilio Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino sess. 7. can. 9. definiuntur, nempe characterem imprimi in anima, & esse ab eadem anima indelebilem; si enim semel corpori, verbigratia lingua, vel manibus imprimeretur esset non solum delectibilis ab anima, verum etiam à corpore; si enim manus, & lingua abscinderentur, certè & character abscinderetur. Adde, quod cum character sit effectus spiritualis Sacramenti, in spiritu subiectari debet. Nec fundamentum Durandi aliquid probat: primò, quia est valde probabilis sententia, quod potentia executiua non sit aliquid ab intellectu distinctum; secundo, dato, quod distingueretur, non propterea sequitur, quod subiectetur in membris exterioribus, cum illa sint dūtaxat organa, & instrumenta eiusdem potentia executiua.

Tertio, dato etiam, quod potentia executiua subiectaretur in membris exterioribus, non tamen propterea etiam character deberet subiectari, sed quod residens in intellectu suam extenderet virtutem ad membra exteriora mouenda, &c.

Secunda sententia est Scoti in 4. dist. 6. quæst. 11. Basol. quæst. 2. art. 2. Gab. ibidem quæst. 2. art. 3. dub. 2. quod character subiectetur immediatè in voluntate, quod probant primo, quia tam efficere Sacramenta, quam conferre est actus Religionis; Religio est in voluntate; ergò &c. Secundo, quia si loquamur de characterè baptismali, videbimus per illum hominem ad ea, quæ sunt Diuini cultus obligari, & vi illius teneri ad legem Christi seruandam, imò & ad hoc posse per Ecclesiam cogi: Atqui obligatio ad voluntatem pertinet ergò & character, qui talium est radix obligationum, ad eandem pertinebit voluntatem.

Sed hæc etiam sententia reicienda est: primò quia vt quæstione præcedenti vidimus

mus; de characteris essentia est, quod sit potentia, ratio autem potentia maximè actiua, in intellectu collocanda est, cum & ibi, secundum veriorem sententiam, potentia executiva collocetur. Secundo, quia characteri ultra rationem potentia etiam conuenit ratio notæ, seu signi inducentis in cognitionem Christi, cuius homo est domesticus, miles, & minister; patet autem, quod ratio signi conuenit potentia cognoscitiua, non potentia cecæ. Nec fundamenta adducta euincunt: non primum, quia licet & cōficere, & conferre Sacramenta sit actus Religionis, non tamen est elicitus, sed imperatus; non enim religio elicit omnes Religionis actus, ut patet de oratione, quæ in omni sententia est actus Religionis, sed non elicitus, sed imperatus &c. Non secundum, quia licet obligatio ad voluntatē per se primo pertineat id quod tamen est nota, & signum talis obligationis ad intellectum pertinebit; character namque non est ipsa formalis obligatio, sed quædam potentia

ad quam sequitur deputatio, & assignatio, ex qua oritur obligatio ad ea, quæ sunt Diuini cultus. Addo, quod in mea sententia obligatio magis se tenet ex parte intellectus, quam voluntatis; cum enim obligatio ex sui natura afferat hominem subdilegi, vel præcepto, & hoc magis rationis, quam voluntatis sit, sequitur quod obligatio magis ad rationem, quam ad voluntatem pertineat.

Tertia sententia est D. Bonau. Alex. & aliorum apud Vasquez hic quod subiectatur in intellectu, & voluntate, quod benè impugnat ex principio Thomistico idem Vasquez, nimirum quod vnum, & idem accidens in duobus subiectis esse non possit, sed hoc principium negat Lugo hic num. 54. quia inquit vno in utroque extremo subijcitur & actus vitales materiales cognoscendi in corpore, & anima subiectantur. Sed fundamentum Patris Vasquez firmissimum est, ut alias ostendi: videantur N. Salm. tomo primo de principio indiuiduationis.

Nec

Nec ea quæ adducit Lugo vera sunt, nam vnio; licet vñ que extremum afficere debeat non tamen in vtroque extremo subiectatur, vt patet de vnione hypostatica, & dato quo d subiectaretur, non essent duo subiecta adæquata, sed vnum dumtaxat. Ad illud de actibus vitalibus dico, quod non subiectantur in corpore, & in anima immediatè, immediatè namque in toto subiectantur composito, mediate tamen in corpore, & in anima, sed hoc nihil ad rem, cum vnum constituent subiectum adæquatum &c.

Quarta sententia est, quod character subiectetur immediatè in anima. Hanc sententiam post Marsilium, Palatium, & alios sequitur Suarez hic, Lugo hic, & alij plures. Aliqui probant, quia in Concilio Florentino, & Tridentino, vt supra vidimus dicitur subiectari in anima, sed hoc argumentum vt testatur Lugo supra nihil probat; quia ad hoc vt verificetur characterem esse in anima, sufficit quod sit vel immediatè, vel mediatè, nempe me-

dijs potentijs eius; propterea idem Lugo probat tripliciter characterem in anima subiectari: primo quia probabiliter putat potentias animæ ab eadem animæ essentia non distingui: sed hoc fundamentum eadem qua asseritur facilitate reicitur, communior enim Philosophorum, & Theologorum sententia est distingui, vt alias probauimus. Secundo probat, quia accidentia immediate subiectantur in materia prima (intellige materialia) & per consequens spiritualia in anima; sed hoc etiam principium infirmum valde est, vt videri potest apud N. Salm. de principio indiuiduationis. Tertiò, quia dato, quod habitus alij subiectarentur in potentijs, adhuc hoc characteri concedi non deberet, cum non sit qualitas operatiua, sed potissimum data ad perficiendum, & ornandum subiectum; sed hoc etiam principium manet exclusum ex dictis quæst. præcedenti. his reiectis.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Character Sacramentalis immediate subiectatur in intellectu.

tu. Ita D. Thoma, & omnes Thomistæ hic artic. quarto Valentia, & alij plures.

Probatum primo. Character est virtus, vel potentia quæ in vita spirituali regenerati Diuinas operantur actiones; sed hæc potentia, vel virtus non potest non collocari in intellectu; ergo character in intellectu collocari vt in subiecto debet. Maior præterquam quod quæstione præcedenti probata est, adhuc tamen sic potest confirmari. Cui inest operatio, inesse etiam debet tali operationis principium: sed regenerati, verbigratia Sacerdos diuersas habet operationes supernaturales propriam excedentes virtutem, verbigratia absoluere, transubstantiare &c. ergo debet Sacerdos harum in se habere operationum principium quod aliud esse nequit nisi character; cum enim Sacerdos tales operationes possit exercere toties quoties voluerit, debet aliquod principium permanens in se habere. Tum quia ad integritatem Sacramenti pertinet non solum materia, & forma, verum etiam

minister; ergo sicut in materia, & forma datur virtus instrumentaria ad Sacramentum complendum, etiam in ministro virtus aliqua instrumentaria dari debet; hæc est character, modo quo quæstione præcedenti explicuimus; ergo etc. Minor probatur. Si character in alio ab intellectu posset collocari subiecto, maxime vel in anima, vel in voluntate; sed in neutro collocari potest; ergo &c. Minor quo ad animam probatur, quia naturalia supernaturalibus subserviunt, & proportionantur, ita quod esse naturale subserviunt debet esse supernaturali, & operari naturale debeat subserviunt operari supernaturali; ergo sicut esse naturale anime subserviunt immediate gratiæ, quæ dat esse supernaturale, ita potentia operativa naturalis subserviunt debet potentia supernaturali, nempe characteri; vnde sicut implicat, quod esse supernaturale subiectetur in operari naturali, ita implicabit, quod operari supernaturale subiectetur in esse naturali, nempe in anima. Probatum eadem minor quo-

quoad voluntatem; quia character debet poni in illa potentia, in qua est potior, & principalior pars imaginis, seu per quam magis Deo conformamur; sed hæc est intellectus; ergò. Maior probatur, quia per characterem Deo conformamur, ut sicut Deus operatur Divina auctoritative, ita nos per characterem operemur Divina per ministerium, seu ministerialiter. Tum quia perfectio correspondere debet perfectibili; sed homo per intellectum est homo absolute, & per voluntatem est talis homo nempe bonus, vel malus; ita character cum ordinetur ad aliquid absolute, & non secundum bene, vel male, in intellectu collocari debet.

Confirmatur, quia vel character est operativus, vel nõ: si primum concedas, in intellectu subiectari debet: Character namque Confirmationis cum detur ad fidem protestandam, in intellectu reponi debet, ubi & fides collocatur, quæ cum characterem operatur &c. Si velis non esse operativum, sed formalissimum

signi rationem habere, adhuc in intellectu collocari debet, ubi & alia signa, nempe species collocantur, & per quem ipsa signa dignoscuntur.

Probatur secundo ratione D. Thomæ in isto art. Character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alijs tradendum ea, quæ sunt Divini cultus; sed Divinus cultus in actibus consistit, & per consequens subiectari debet in potentis animæ, non in ipsa anima; ergò &c. Atqui inter potentias, quæ Divinum respiciunt cultum principem tenet locum intellectus; ergò in intellectu debet character collocari. Minor subsumpta probatur ex ijs, quæ tradit D. Tho in solutione ad tertium; quia character, verbigratia Confirmationis non ordinatur ad ea, quæ sunt Divini cultus quo quomodo, sed cum quadam fidei protestatione, quæ fiat per exteriora signa, fidei autem protestatio ad intellectum in quo & fides ipsa reponitur, pertinet; ergò &c.

Sed dices, quod cum character sit potentia quædam

vt quæstione præcedenti probatum est, in essentia animæ debet subiectari, ibi enim debet subiectari character, ubi etiam potentia naturales subiectantur, sed potentia naturales subiectantur in essentia animæ; ergo & character.

Responder D. Thoma in solutione ad secundum in hæc verba. *Essentia anima est subiectum potentia naturalis quæ ex principijs essentia procedit; talis autem potentia non est character, sed est quedam spiritalis potentia ab ex-*

trinseco adueniens. Vnde sicut essentia anima per quam est naturalis vita hominis perficitur per gratiam qua anima spiritaliter uiuit, ita potentia naturalis anima perficitur per potentiam spiritalem quæ est character. Habitus enim, & dispositio pertinent ad potentiam anima, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentia sunt principia; & eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, est potentia tribuendum.

QVAESTIO V.

Expediuntur quedam difficultates ad eandem materiam pertinentes

Prima difficultas est, an respectu Sacramentorū characterem imprimendum primarius, & principalior effectus sit gratia an character.

Prima sententia est aliquorum modernorum quos suppresso nomine citat Nugnus hic artic. 4. difficultate 2. qui

dicunt quod si Sacramenta characterem imprimenda considerantur prout sunt peccati, vel peccatorum medicinae pro primo, & principaliori effectum gratiam recognoscunt, si vero considerentur prout ad cultum Dei ordinantur, principalior illorum effectus

tus est Character.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione: in omnibus Sacramentis etiam in illis qui characterem imprimunt, principalior effectus est gratia. Ita Caietanus hic, Nugnez, & alij communiter.

Probatur primo conclusio: ille est effectus principalior respectu alicuius causæ ad quem causa per se primo ordinatur, & per se primo intendit, sed omnia Sacramenta per se primo ordinantur ad gratiam causandam, & signandam; & per se primo illam intendunt, & non characterem; ergo gratia, & non character est principalior, & per se primo intentus effectus Sacramentorum. Maior clara est. Minor probatur, quia si rectè, & attentè Sacramentorum characterem imprimendum naturam attendamus, videbimus quod non gratiam propter characterem aspiciunt, sed contra characterem propter gratiam, Sacramenta namque, vel considerantur in ratione signi, vel in ratione causatiui gratiæ, si in ratione

signi per se primo ordinantur ad signandam gratiam non characterem, propter quod de characterem dicitur quod sit Sacramentum, & res Sacramenti, est res Sacramenti in quantum significatur, est Sacramentum in quantum significat, unde quantum ad hoc non ponit in numero cum ipso Sacramento in ordine ad gratiam significandam. Si vero considerentur in ratione causatiui, certè non aliter causant characterem, nisi ut sibi deseruiat tanquam instrumentaria virtus ad gratiam causandam.

Probatur secundò, nulla virtus instrumentaria potest esse effectus per se primo intentus ab aliqua causa; sed character est virtus quædam instrumentaria; ergo non potest esse effectus primo intentus à Sacramentis. Maior patet, cum enim instrumentaria virtus sit intenta propter aliud, nempe propter effectum principalem, propter quem talis virtus datur, sequitur quod non possit esse per se primo, & ratione sui intentæ. Minor etiam patet ex ijs quæ docet

docet D. Thomas art. 2. & ex ijs quæ nos supra cum eodem D. Thoma docuimus: per quod patet ad id quod habet D. Tho. hoc art. 4. ad primum, quod character disponat immediatius ad cultum Diuinum quam gratia; nam cum in sententia D. Thomæ gratia non sit potentia operatiua, cum non detur ad operari, sed ad esse, non habet proximæ disponere ad cultum Diuinum: character vero cum sit virtus operatiua, & subiectetur immediate in potentia operatiua, vbi primo incipit cultus, immediatius ad cultum disponit, non tamen ex hoc sequitur quod sit effectus Sacramenti principalior, vt patet.

Secunda difficultas est an character sit qualitas entitatiuè supernaturalis: & responderetur affirmatiuè, & probatur primo à priori, illa est qualitas supernaturalis respectu alicuius subiecti quæ habet ipsum subiectum perficere supra naturalem eius exigentiam; talis est character respectu intellectus in quo est tanquam in subiecto; ergò

&c. Maior patet, ens enim supernaturale, aliud quoad præsens esse non potest, nisi id, quod creatura ex suis principijs naturalibus exigere non potest. Minor etiam clara est: character namque habet intellectum eleuare in ordine ad operationem, propriam excedentem naturam.

Probatur secundo à posteriori, character est effectus Sacramenti qua Sacramentum est; ergò debet esse supernaturalis. Antecedens est certum. Consequentia probatur. Effectus namque Sacramenti qua Sacramentum est, hoc est qua Sacramentum est aliquid habens virtutem agendi ex Diuina ordinatione, & institutione, naturalis esse non potest; ergò &c.

Tertia difficultas est, an character sit diuisibilis in gradus intensiōnis, seū an sit intensibilis, & respondeo quod licet character sit extensibilis in plures gradus extensiōnis, vt dum agemus de characterē ordinis dicetur; non tamen est intensibilis, cum enim non sit character habitus, vel dispositio, sed potentia,

tia, & vt talis agat secundum vltimum illius, sequitur quod intensibilis non possit esse, intensibilitas namque eas sequitur qualitates, quæ nec secundum totum suam latitudinem producantur, nec secundum totam suam virtutem agunt, sed modo magis, modo minus, quod characteri non conuenit, cum Sacerdos per illum semper eodem modo absoluat, consecretque &c.

Quarta difficultas est, an sit indelebilis, & respondetur esse indelebilem de potentia Dei ordinaria non tamen absoluta; est indelebilis de potentia ordinaria, & hoc est de fide propter defensiones Concilij Florentini, & Tridentini de quibus supra; est delebilis de potentia absoluta, quia sicut Deus illum libere conseruat, ita libere potest influxum quo libere conseruat subtrahere, qua facta subtractione delebitur, & destruetur; de potentia tamen ordinaria, omnino est indelebilis, tum propter illorum Conciliorum auctoritatem, tum propter euidentem rationem, quia quidquid existit, & existen-

tiam amittere non potest, nec propter actionem contrarij, quod non habet, nec propter actionis defectum causæ conseruantis, quia à solo Deo conseruatur; nec propter defitionem subiecti, quod est incorruptibile, natura sua postulat in perpetuum conseruari; atqui character est huiusmodi, nec enim habet contrarium, nec creata aliqua conseruatur actione, nec per defitionem subiecti desinere potest; ergo &c. Ex quibus inferitur manere characterem in omnibus beatis, damnatis, & existentibus in Purgatorio, in beatis ad ornatum, & gloriam, in damnatis ad ignominiam, & pœnam; vnde si quis post Baptismum susceptum, Ordinem, & Confirmationem, defunctus, reuocaretur ad vitam, non esset baptizandus, ordinandus, confirmandus &c.

Quarta difficultas quomodo differant characteres ad inuicem: & respondeo distinguere specie, nam character baptismi est pura potentia passiva, character ordinis est pura potentia actiua, & character

Con-

Confirmationis est potentia partim ætiua, partim passiva: quæ omnia ex supra dictis liquent. Ex quibus omnibus inferri potest quomodo character definiri possit, cum enim sit essentialiter potentia per illam definiri debet, & cū per talem potentiam deputetur homo ad functiones Sacramentales, & hæc deputa-

tio fiat medio Sacramento, per illam etiam tanquam per differentiam subalternam definiri debet; est ergo character supernaturalis potentia, Sacramentalis deputationis: per quam definitionem si rectè intelligatur, remanebunt explicata omnia quæ de characterè dici solent. Sed de hoc satis.



DISPV TATIO VI

DE CAUSA

SACRAMENTORVM.

NON procedit difficultas de causa materiali Sacramento- rum, hæc enim Disputatione prima, & secunda explicata est, nec etiam de causa finali, planum est enim finem proximum Sacramentorum vt docet D. Thoma artic. primo quæst. 64. esse interiorem hominis iustificationem; & remotum, gloriam Christi, & Dei.

Neque de formali, quia hæc etiam explicata est supra disputatione prima, & secunda, dum partes Sacramentorum intrinsecas explicaremus, sed de sola causa efficienti sermo præsens currit. Et

quia, quantum ad præsens at- tinet, causa efficiens Sacra- mentorum alia est principa- lis, & omnino independens, quæ causa principalis aucto- ritatiuè dicitur, seù quæ au- ctoritatem habeat operandi; alia instrumentalis; sed cum principali coniuncta, quæ cõ- muni nomine instrumentum coniunctum dicitur; tertia est purè instrumentalis, quæ in- strumentum separatum com- muni nomine vocatur: de hac tertia causa sermo erit dispu- tatione sequenti per totam, de duabus prioribus in præ- senti disputatione sermo erit, & prius de prima, deinde de secunda; sit ergò.

QVAESTIO I.

An solus Deus interiorẽ Sacramenti producat effectum.

D Thomas quæstione 64. artic. primo hoc dubium proponit sub iisdem fere verbis, in Sacramento namque sunt duo; & effectus Sacramenti qui est gratia, & in aliquibus etiam character, & est Sacramentum ipsum, in primo artic. quærit de primo, & de secundo in secundo disputat articulo; sermo retrogradus, sed legitimè commutatus, ut prius Sacramenti effectus de quo minor est difficultas, expediatur; ut postea de ipso Sacramento agatur; hunc eundem ordinem propter eandem rationem seruamus, & nos; & ut rem hanc breuiter, & clare explicemus duas proponemus conclusiones.

Prima conclusio. Solus Deus est causa principalis gratiæ, & characteris in illis Sacramentis in quibus produciuntur. Hanc conclusionem do-

cent omnes Theologi cum D. Thoma in isto artic. primo quæst. 64. Quod Deus solus possit esse causa principalis gratiæ, iam probatum est à nobis in tractatu de gratia disputat. 11. quæstione prima ubi probauimus quod de facto nulla creatura potest esse causa principalis gratiæ; & quæstione 2. probauimus, quod neque de potentia Dei absoluta potest aliqua creatura esse causa principalis eiusdẽ gratiæ; cum enim gratia sit Diuinæ essentiæ participatio, ut tractatu illo citato cum D. Thoma probauimus, & detur ad esse, non potest esse immediatè operatiua, & sic gratia non potest gratiam tamquam causa principalis producere, nec alia qualitas superior dari potest, cum nihil possit esse superius hoc, quod est esse participatiuum Diuinæ essentiæ, secundum formalissimam rationem pro-

proprij constitutiui, nihil autem potest esse causa principalis nisi sit, vel vniuoca, seu eiusdem ordinis, vel æquiuoca, seu superioris ordinis.

Quod solus Deus possit tanquã causa principalis producere characterem probat D. Thomas ratione, quæ idem confirmat de gratia, quia inquit illæ solus Deus illabitur animæ in qua Sacramenti effectus existit, non potest autem aliquid operari, vbi non est. Sed hæc D. Thomæ ratio contra se manifestas habet instantias, nam bene potest vna causa agere vbi non est vt patet etiam de ipsis Sacramentis, quæ cum signa sensibilia sint, & in corpore recipiantur suum in anima producunt effectum; similiter potest Deus eleuare Petrum Romæ existentem ad producendam gratiam in Paulo Mediolani commorantem.

Nec valet respondere D. Thomæ rationem non procedere de causa instrumentali, sed principali cum enim instrumentum non agat virtute propria, sed principalis agentis, ad hoc vt suum pro-

ducat effectum sufficit, quod cum eadem principalis agentis virtute coniugatur, quæ principalis agentis virtus vsque ad subiectum in quo effectus producitur, pertingat, vt in allatis exemplis liquet, licet enim Sacramenti virtus non nisi ad corpus extendatur tamen cum hæc coniugatur cum virtute Dei, quæ vsque ad animam pertingit, ratione illius pertingere censetur, & instrumentaria virtus. Nam contra est, quia phantasia est causa principalis motus localis verbigratia pedum & tamen ad pedes, ipsa non pertingit cum in solo capite subiectetur; similiter vltimæ dispositiones ad formam, sunt in linea dispositionis causa principalis, & tamen disponunt materiam in qua non sunt, cum in solo subiectentur composito. Tum etiam quia Sacramenta suum producunt effectum non quando sunt, sed quando non sunt, inimirum quando verum est dicere nunc Sacramentum non est immediatè ante erat. Tum quia peccatum quod est formaliter in voluntate gratiam ab ani-

ma expellit; ergo &c. Tum deinde quia si peccatum illabi potest virtute creata animæ quare etiam eadem virtute creata non poterit illabi character: si enim semel non repugnat illapsus peccati, præfertim si semel verum est esse aliquid positivum in anima, & hic illapsus fiat ab homine tanquam à causa principali; neque repugnabit illapsus alii cuius alterius, verbigratia, characteris &c.

Respondetur optimam esse solutionem traditam, ad primam instantiam de phantasia dico, quod licet verum sit phantasia mouere pedem ipsa in capite existente, tamen est & ipsa in pede per aliquam sui virtutem, nempe medijs spiritibus animalibus qui sunt veluti serui, & executores imperij phantasiæ, sicut sunt executores imperij appetitus irascibilis, & concupiscibilis; licet enim concupiscibilis, verbigratia, in corde suam habeat sedem, tamen alias alterat corporis partes, vt communis docet experientia, sed hoc medijs facit spiritibus &c. Ad secundam instantiam de vlti-

mis dispositionibus dico primò, quod dispositiones ad formam non disponunt nisi prout sunt principalis agentis virtutes. Secundò dico, dato & non concesso, quod & in hac linea sint causæ principales, & hoc munus innata exequantur virtute, sufficienter saluari potest, quod materiam primam attingant, cum enim subiectentur in toto, & hoc nihil sit aliud quam partes simul sumptæ, & vnitæ, sequitur quod etiam materia sit suo modo dispositionum subiectum, vt per illas disponi possit ad noue formæ receptionem. Ad tertiam instantiam iam patet ex dictis supra, licet enim verum sit quod Sacramenta gratiam producant in illo instanti in quo verum est dicere nunc Sacramentum, non est quoad esse essentiæ, quia cum sit res successiuæ pro illo instanti esse non potest, non tamen quando verum esset dicere nunc Sacramentum nullo modo est; in illo namque instanti Sacramentum non est quoad esse essentiæ, non tamen quoad esse existentia, cum illud in-

stans sit vltima, & perfecta Sacramenti existentia. Ad vltimam instantiam de peccato mortali dicitur, quod D. Thomæ doctrina procedit de agente extrinseco, nimirum quod nullum agens extrinsecum creatum potest aliquid in anima producere, quia animæ illabi non potest, seu quia non potest esse animæ præsens non autem procedit de ipso operante, nam cum idem sit illabi animæ, & potentijs eius, & homo suis illabatur potentijs, cum sit illis intime præsens, & hanc eandem præsentiam habeat respectu propriæ animæ, nihil enim est magis sibi ita præsens, quam se ipsū (Deo excepto) sequitur quod homo sibi met ipsi illabi possit; & sic peccatum, in anima producere potest, & possit etiam producere gratiam si semel in propria virtute illam contineret.

Dices secundo rationem D. Thomæ optime procedere posse de causa efficienti physica non morali, licet enim nulla creatura possit esse causa physica principalis gratiæ, & characteris, quia hæc causa

nequit operari nisi vbi est, nõ tamen sic moralis principalis.

Respondetur namque, quod licet ratio D. Thomæ directè solum procedat de causa principali physica, tamen suo modo extendi etiam potest ad causam principalem moralem, quæ in hac materia alia esse non potest nisi Deus, illa enim est causa principalis moralis quæ sibi media præscribit, & determinat ad operandum, atqui creatura nulla potest sibi prima præscribere media, verb gratia sacramenta ad gratiam in anima operandam; ergo etiam &c. homo enim tenetur, quando gratiam medijs Sacramentis producit, vt medijs à Deo præceptis nempe materia, forma, & intentione, &c.

Probatur secundo nostra conclusio: causa principalis illa est quæ operatur per formam quæ ex natura sua est sui effectus productiua; atqui nulla creatura ex vi suæ formæ, est gratiæ, & characteris productiua; ergo &c. Maior ex se nota est. Minor probatur, quia homo verb gratia, non

est

est aliter gratiæ, & characteris productius, nisi prout virtur medijs à Diuina sapientia præscriptis, nempe Sacramentis; ergò hoc non habet ex vi propria formæ. Nec valet dicere quod homo licet secundum se non possit esse illorum effectuum causa principalis, bene tamen medio characterē; character namque productus virtutem characteris producentis non excedit, licet enim homo non possit actum visionis Dei elicere sine habitu luminis gloriæ, & licet non possit elicere actum Fidei, Spei &c. sine proportionatis habitibus, non propterea extrahitur homo à ratione causæ principalis illorum actuum ergò etiam si homo nō posset producere characterem, verbigratia Ordinis, sine eiusdē vel superioris ordinis characterē, vt in Episcopo ordinante contingit, non tamen propterea à ratione causæ principalis extrahetur. Non inquam hoc valet; nam licet qualitas supernaturalis quæ est virtus alicuius potentiæ in ordine ad aliquam operationem supernaturalem possit esse simul

cum potentia, illius operationis causa principalis, vt patet in exemplis allatis, non tamen potest esse causa principalis alterius qualitatis siuē similis, siuē inferioris, vt character Episcopalis, characteris Ordinis &c. cuius rei ratio est clara ex dictis, quia non habent tales effectus producere, nisi ex præscriptione superioris causæ, nec sunt ex natura sua productiua, vnde licet Deus vteretur Angelo ad producendum alium Angelum, vel per creationem secundum probabilem aliquorum opinionem, vel per educationem quod fieri posse concedunt plerique, non tamen Angelus producens esset causa principalis Angeli producti, quia substantia Angeli non est ex propria natura alterius Angeli productiua; ita similiter, licet character characteri assimiletur, non tamen character producentis potest esse causa principalis characteris producti, quia non est qualitas ex sui natura sibi similis productiua, sicut nec alia quæcunque qualitas supernaturalis, vnde licet charac-

er dicatur esse in specia potestatis actionis, vel passivae, non tamen hoc habet ex sui natura sed per elevationem; an autem sit character causa principalis, aliquorum actuum, sicuti habitus fidei, probabiliter concedi potest, verbigratia character Confirmationis respectu aliquorum actuum tum interiorum, tum exteriorum protestationis fidei ex officio &c. respectu namque illorum non causat ubi non est, sed ubi est, sicuti respectu gratiae, & characteris alterius, causat ubi non est, & per consequens per elevationem, & in virtute alterius, &c.

Secunda conclusio omnes ministri Sacramentorum siue consecrati, siue non consecrati causant physicè gratiam Sacramentalem, & characterem in illis Sacramentis in quibus causatur, tanquam causae instrumentales. licet minister consecratus nobiliori, ac excellentiori modo causet. Hæc conclusio ab omnibus Theologis admittitur. Secunda pars patet, est enim nobilior, & excellentius intra

lineam causae instrumentalis causari gratiam, & characterem per ministrum ad id deputatum, & consecratum, & per characterem, quam per oppositum. Prima pars patet ex Concilijs Florentino, & Tridentino quatenus dicunt. Sacramentorum ministros causare gratiam. Et ex illo Christi Domini: *quorum remisistis peccata remittuntur eis*; unde Sacerdos propter hoc dicitur absolvere, peccata remittere &c.

Probatur conclusio ratione breuiter ex illo communi pronunciato, quod est causa causae est etiam causa causati; sed Sacerdos est causa instrumentalis Sacramenti; ergo etiam medio Sacramento est causa instrumentalis causati, nempe gratiae, & characteris.

Sed contra hanc resolutionem obijcies, quia si minister esset causa gratiae, melior minister esset causa amplioris gratiae, hoc autem sustineri non potest, ut probat D. Augustinus contra Cresconium cap. 11. & tractatu 5. & 6. in 10. & colligitur ex Apostolo 2.

Cor.

Cor. 3. vbi reprehendit Corinthios, quia contendebant de meliori ministro: dicebant enim *Ego sum Pauli, ego sum Cepha &c.* vbi subiungit Apostolus: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* in quibus verbis aperte significat in Sacramentis tantum merita Christi operari non ministri. Maior patet, quia quoties aliquis effectus alicui causæ tribuitur, quanto virtuosior erit causa, tanto nobilior, seu perfectior erit effectus; ergo &c.

Respondetur, quod licet melior minister possit tribuere aliquem effectum de congruo, sicut vnus potest alteri gratiam de congruo promereri, non tamen de condigno, vt in tractatu de merito probauimus, & sic si recipiens Sacramentum non habet meliorem dispositionem, maior ministri bonitas excellentiorem gratiam non habet conferre. vnde ad argumentum in forma dico, quod tunc solum melior causa meliorem producit effectum, quando illa causa per propriam agit virtu-

tem, non vero quando per virtutem ab alia receptam: tunc enim temporis tota excellentia effectus à virtute communicata delimitur, vt videre est in visione beata, vbi perfectior intellectus maiorem Dei visionem non tribuit, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia homo est causa principalis actionis Sacramentalis; ergo & ipsius Sacramenti, & per consequens effectus illius; prima consequentia, & etiam secunda ex antecedenti satis clare sequuntur. Antecedens probatur, quia actio Sacramentalis est actio Religiosa, sed homo est causa principalis actionis Religiosæ; ergo est causa principalis actionis Sacramentalis. Maior est certa, per illas enim actiones Deus colitur, & honoratur. Minor patet, quia actio Religiosa est ab homine media virtute Religionis, sicut actus charitatis est ab eodem homine media virtute charitatis; ergo sicuti homo est causa principalis actus charitatis, ita & actus Religionis.

Respon-

Respondetur distinguendo antecedens, homo est causa principalis actionis Sacramentalis, qua Sacramentalis est & negatur, qua actus Religionis est, & conceditur; assumit enim Deus actum illum Religionis (quando talis est, non enim est necesse esse talem cum possit aliunde vitiari, & esse peccatum etiam mortale) ad supradictos effectus producendos &c. Sed dices, videtur saltem sequi quod sit homo respectu illius actionis Sacramentalis causa moralis principalis, quod probatur, quia illa est causa moralis principalis quæ agit, seu ex deliberatione se mouet ad operandum, sed Sacramenti minister ita se habet; ergo &c. Respondetur ex dictis: causa namque principalis moralis non est illa, quæ quoquomodo liberè se mouet ad operandum, sed quæ taliter liberè se moueat, quod sibi media præscribat, non quæ vtitur medijs ab alia causa præscriptis; in nostro autem casu minister licet ex deliberatione ad operandum opus Sacramentale se moueat, tamen hoc non præstat per

media, quæ sibi ipsi præscribit, sed per illa quæ sibi à Deo præscripta fuerunt.

Secundum argumentum, pro alia parte est, quia minister non consecratus non videtur posse concurrere instrumentaliter physicè ad Sacramenti effectus producendos, præsertim si nullum characterem habeat, vt cum non baptizatus, cum sufficienti intentione baptizat, sed solum videtur se habere vt causa per accidens, seu vt causa applicans propriam causam ad proprium effectum producendū, vt cum laicus porrigit, seu applicat alteri Eucharistiæ Sacramentum, quod patet, quia ministri causant medio characterem; ergo qui characterem non habet, gratiam, & characterem causare non poterit.

Respondetur quod cum minister non operetur propria virtute, sed ex Diuina dumtaxat motione, est perinde, quantum ad hoc, quod character præsupponatur; solum enim vt dicebamus character facit quod Sacramenti minister dignior sit, & excellen-

lentior, & non amplius; vn de falsum est, quod se habeat solum tanquam causa applicans causam actiuam, vt cum laicus applicat Eucharistiae Sacramentum; in hoc enim casu solum habet causam, seu Sacramentū ad effectum applica-

re, non facere; an autem idem dicendum sit de Sacerdote applicante Sacramentum, quando illud non confecit, pro modo dico vtrumque posse probabiliter sustineri, vt sustinet Nugnez hic difficultate secunda.

QV AESTIO II.

An solus Deus sit Sacramentorum institutor.

Dupliciter possunt Sacramenta institui, vt notauit Sotus dist. 1. quaest. 5. art. 2. & alij communiter, vno modo per auctoritatem instituentis propriam, altero modo per alienam, seu quod in idem reddit per alterius commissionem, instituire Sacramenta propria auctoritate, seu potestate, est propria non aliena virtute facere quod Sacramenta sint gratiae signa, & re ipsa valeant ad gratiam hominibus conciliandam, seu est propria virtute, & potestate facere, quod Sacramenta sint

signa practica gratiae, & quod efficienter phys. è. instrumētariè tamen, gratiam caulent, at vero instituire per alterius commissionem, est elicere, seu destinare, aut constituere hæc, vel illa signa per alterius virtutem, & auctoritatem, taliter quod valeant non solum gratiam significare, verum etiã cauare; & dum quis ex commissione instituit, ille ex cuius commissione id facit, altem mediatè, & per suum commissarium faceretur. Instituire Sacramenta primo modo est adeo

pro-

proprium Dei, vt neque per Diuinam potentiam possit creature communicari, non enim potest Deus alicui creature potestatem conferre, vt virtus eius operetur in Sacramentis, si quidem non potest conferre potestatem vt sit causa principalis gratiæ, quod duplici ratione probat D. Thomas artic. 2. prima est, quia is debet esse Sacramentorum auctor qui eis iustificandi virtutem largiri potest, sed solus Deus potest Sacramentis hanc virtutem conferre; ergo solus Deus potest Sacramenta instituire. Secunda ratio est, quam habet Angelicus Doctor in solutione ad 3. quia Sacramenta sunt ea ex quibus Ecclesia constituitur, per ipsa enim Ecclesiæ membra mutuo colligantur; ergo is est Sacramentorum auctor, qui potest Ecclesiam constituere, hic est Deus solus ergo. Adde primo, quia solus Deus potest iustificare, mundare, & sanctificare homines, solus namque ille potest iustificare qui potest peccata dimittere, solus autem Deus hoc facere potest, quia solus ille potest

peccata dimittere in quem sunt peccata commissa, &c. ergo solus Deus potest Sacramenta instituire. Antecedens est certum; consequentia etiam bene ex antecedenti sequitur, si enim alius posset propria virtute Sacramenta instituire, posset etiam propria virtute sanctificare, & peccata dimittere, vt patet. Adde secundo, quod si alius à Deo posset Sacramenta instituire, posset etiam illa destruere, mutare, alterare, &c. quod tamen patet esse falsum, qui enim potest instituire, potest etiam destruere per quas enim causas res nascitur per eandem dissoluitur, vel dissolui potest, quod autem nullus à Deo possit Sacramenta destruere supra diximus ostendendo quod Ecclesia licet possit determinare aliquam Sacramenti materiam materialiter, non tamen formaliter.

Dubium præsens solum est an supposito, quod instituire Sacramenta ex commissione possit alijs communicari, vt de facto fuit communicatum Christo vt homini tanquam instru-

instrumento coniuncto de quo postea, de facto Deus immediate omnia Sacramenta instituerit, an vero aliqua fuerint ab Apostolis immediate instituta.

Prima sententia est Alensis 4. p. quæst. 24. Bonau. 4. dist. 17. art. 3. quæst. 1. Martialis 4. quæst. 12. art. 4. & aliquorum aliorum antiquorum tenentium confessionem non fuisse à Deo immediate institutam, sed vel ab Apostolis, ut Bona. vel in Concilio Mildensi, ut Alensis, alij idem dicunt de Confirmatione, & extrema unctione, de quibus suis locis. Calvinus in Antidoto sess. 7. can. 1. Kemnitius 2. p. examinis pag. 13. dicunt solum Baptismum, & Eucharistiam immediate à Deo fuisse instituta.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Omnia Sacramenta sunt immediate instituta à Christo ut Deo per auctoritatem, & ut homine per commissionem. Hæc conclusio habetur in Tridentino sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non esse omnia à Iesu Christo Do-*

mino nostro instituta; anathema sit. ex quo loco aperte definitur omnia Sacramenta esse instituta à Christo, quod dici non posset si ab Apostolis, vel ab Ecclesia aliqua instituta fuissent; nota tamen controuersiam esse inter Vasquez, & Suarez hic, an ex hoc loco Concilij colligatur esse de fide omnia Sacramenta esse immediate à Christo instituta, affirmat Vasquez, negat Suarez, quia posset aliquis glossare Concilij locum, dicendo omnia Sacramenta esse à Christo instituta, vel mediate, vel immediate, non tamen omnia immediate, quia hoc Concilium non definit. Mihi magis placet sententia Vasquez, quia si Sacramenta dicerentur instituta à Christo quia instituta sunt ab Ecclesia per potestatem à Christo receptam, hoc idem dici posset de Sacramentalibus, & de cæteris Ecclesiæ cæremonijs, quod nemo dicit.

Probatum primò Sanctorum Patrum auctoritate. S. Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. habet. *Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Ie-*

ius, S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana capit. 9. hoc idem docet. S. Cyprianus Sermone de ablutione pedum habet: ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, & auctor: in ceteris homines, Spiritum Sanctum habuerunt Doctorem.

Probatur secundò ex communi traditione Ecclesiæ, quæ etiam colligitur ex illo Apostoli 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, hoc est Sacramentorum, ut communiter Sancti Patres, & Theologi interpretantur. Nec deest sufficiens ratio: ut homo totam suam spem, & fiduciam in Christum collocaret, sicut enim ob hanc rationem noluit opus redemptionis alijs committere, ita nequè opus restorationis. Tum quia, cum Christus sit caput Ecclesiæ, ad ipsum pertinebat potissima Ecclesiæ fundamenta iacere. Tum etiam propter ipsorum Sacramentorum excellentiam, cum enim ob hanc rationem suum recipiant valorem ex Christi persona, ita ob eandem insitui debe-*

bant. Alias congruentias relinquo, quas poterit lector facile in auctoribus reperire, vel etiam ex se ipso inuenire. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum desumitur ex illo Io. 20. *Sicut me misit pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, ubi ut vides eadem potestas collata videtur Apostolis, & hinc Ecclesiæ, quam ipse Christus habuit; ergò &c.*

Respondetur illam particulam sicut, non importare æqualitatem, sed similitudinem & sensus est; quod sicut Christus totam, quam habet potestatem, à Patre habet, ita Ecclesia suam, quam habet potestatem à Christo recipit; nõ autem sensus est, quod sit æqualis potestas Christi, & Apostolorum, inde Ecclesiæ.

Secundum argumentum est, quia Christus contulit Ecclesiæ potestatem remittendi mortalia per potestatem instituendi Sacramenta. Antecedens est prorsus certum

tum

tum, vt infra dum agemus de Sacramentalibus dicitur. Cōsequētia patet, quia ira pertinet ad potestatem clauium venialium remissio, quam mortalium; sed potestas clauium quoad hoc est potestas Sacramenti; ergo &c.

Respondetur, quod licet Christus Dominus non contulerit Ecclesiæ potestatem instituendi Sacramenta, per quæ peccata mortalia deletantur, fuit tamen valde congruum, quod conferret potestatem instituendi Sacramentalia, per quæ peccata venialia deletentur, cum enim venialia non sint simpliciter peccata, nec producant maculam simpliciter, sed secundum quid tantum, congruum fuit, quod sub Ecclesiæ potestate talis secundum quid remissio caderet. Vnde non placet solutio Magistri Nagnez, quod Christus Dominus non dedit Ecclesiæ potestatem instituendi Sacramenta, quia hæc producant gratiam, non Sa-

cramentalia, quæ sine gratiæ productione peccata venialia remittunt, non inquam hoc placet, quia vt infra de pœnitentia dicitur, peccata venialia non remittuntur sine aliqua gratiæ infusione, vnde si semel verum est Sacramentalia, peccata venialia remittere, hoc debet fieri media aliqua gratiæ infusione; vel enim Sacramentalia venialia remittunt solum ex opere operantis, excitando bonum affectum, & tunc intercedit gratiæ infusio per quemcunque enim actum bonum fit nouæ gratiæ infusio vt probauimus in tractatu de merito: vel remittunt venialia ex opere operato, cum etiam tunc intercedat aliquis actus, & ille Sacramentalis actus sit bonus, cum sit actus Religionis, etiam tunc gratia aliqua infundi debet; quomodo autem cum hoc stat differentia Sacramenti à Sacramentalibus, infra Deo dante dicitur,

QVAESTIO III.

*Utrum Christus secundum quod homo sit
causa principalis Sacra-
menti.*

Præsens difficultas non procedit de causa principali physica, sed de morali dumtaxat: pro quo nota elegantem D. Thomæ doctrinam in hoc artic. 3. ubi dicit, quod Christus Dominus ut Deus habuit potestatem auctoritatis condendi Sacramenta; ut homo verò habuit potestatem meritorie, & efficienter non principaliter, quia hoc habet ut Deus, sed instrumentaliter: quod declarat, quia Christi passio utroque modo fuit nostræ iustificationis causa, & meritoria, & efficiens instrumentalis; meritorie quidem, quia gratiam per quam iustificamur nobis abunde promeruit; efficienter quatenus eius humanitas est diuinitatis instrumentum, cōiunctum tamen in persona, ex quo habet principalitatem, &

causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorū, quæ sunt Ecclesiæ ministri; & sic, ut homo habet potestatem ministri principalis, vel excellentiæ in Sacramentis, quæ sūt immediata nostræ iustificationis instrumenta, quæ principalitas instrumentalis, vel excellentia, consistit in quatuor. Primò quod meritum, & virtus passionis eius operetur in Sacramentis; secundò quod in eius nomine Sacramenta sanctificentur; tertio quod ipse qui dedit virtutem Sacramentis, etiam & de facto instituit; quarto quod effectum Sacramentorum sine Sacramentis conferre potuit. Ex quibus clarè habes, quod Christus Dominus respectu Sacramentorum duplicem habet causalitatem, physicam vnam, sed instrumentalem, in hac tamen

tamen linea principalem, & moralem, & de hac quaerimus an sit principalis, vel instrumentalis; sicut enim in linea causae efficientis datur principalis, & instrumentalis, ita in linea causae moralis; illa est principalis moralis, quae sibi praescribit media, quibus operatur; & illa est instrumentalis, quae medijs ab alia causa praescriptis ad operandum utitur. His positis.

Prima sententia est aliquorum modernorum, qui volunt quod sicut Christus Dominus est dumtaxat causa instrumentalis principalis, & excellentiae physica, sic pariformiter, sit solum causa moralis instrumentalis principalis, & excellentiae; & sicut Deus est causa principalis physica, ita erit causa principalis moralis; volunt enim, quod sicut Sacramenta sunt solum causa moralis gratiae, ita similiter Christus quatenus homo, ita aliqui post Vasquez tom. primo 3. par. disputat. 57. capit. 5. & 6.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus in linea causae

moralis, est principalis; & in linea causae physicae, est instrumentalis principalis, & excellentiae respectu institutionis Sacramentorum. Hanc conclusionem sequuntur omnes Discipuli D. Thomae, in hoc artic. 3. sequentes suum Angelicum Magistrum. Quoad causalitatem physicam instrumentalem hanc conclusionem docet etiam Lugo, Suarez, & alij plures. Quoad causalitatem vero moralem, expressè illam docet Nugnez, alij non ita expressè, quia ita in terminis quaestionem non pertractarunt.

Probatum primò ex dictis supra, quia illa est causa principalis moralis alicuius effectus, quae talem effectum moraliter attingit per media à se ipsa, & non ab alia praescripta; sed Christus Dominus respectu Sacramentorum est huiusmodi; ergò est causa moralis principalis. Maior est certa cum sit à definitione ad definitum. Minor probatur, quia Christus Dominus non fuit usus materijs, & formis Sacramentorum sensibilibus prius ab alio praescriptis, sed
quae

quæ ipse præscripsit, causa namque principalis quantum ad præsens attinet est causa meritoria mouens aliam causam ad physicam rei productionem; atqui Christus Dominus ita se habuit; ergò &c. sicut enim consulens est causa principalis moralis operis à consulto, vi consilij executi; & sicut præcipiens est causa moralis principalis operis præcepti; ita causa meritoria est causa principalis operis promeriti; cum ergò Christus Dominus meruerit Sacramentorum institutionem, illorum fuit causa principalis moralis:

Probatur secundo conclusio ratione, quæ etiam est præcedentis maior corroboratio, & elucidatio. Si Christus Dominus esset causa moralis instrumentalis institutionis Sacramentorum, deberet dari alia causa moralis principalis; sicut enim in linea physica instrumentum debet esse alicuius instrumentum, cum in virtute alterius operetur, nempe causæ principalis, ita in linea morali, debet instrumentum morale operari in virtu-

te causæ principalis moralis; sed Christus Dominus non supponit aliam causam moralem; ergò non est causa moralis instrumentalis, sed principalis institutionis Sacramentorum. Maior patet ex dictis; minor probatur, quia, vt dicebamus, Christus Dominus non aliter est causa moralis Sacramentorum, nisi in quantum est causa meritoria illorum; sed Christus Dominus nullam aliam supponit causam meritoriam, nec Sacramentorum, nec effectus illorum, cum ipse sit prima horum effectuum causa moralis; ergò &c. Maior patet; minor probatur, si enim Christus Dominus aliam causam meritoriam principalem supponeret alia esse non posset nisi Deus; sed repugnat Deum esse causam meritoriam; ergò &c. Probatur minor. Tum quia qui meretur, inferior est redditore mercedis, Deus autem nullum habet superiorem. Tum etiam, quia Deus per suam, physicam virtutem potest principaliter causare omne præmium, quod sub merito cadere potest, at iuxta D. Thomæ

doctrinam p. 1. quæst: 61. ar. 4. meritum solum est respectu illius, quod virtutem merentis excedit; ergo &c.

Probatur tertio. Christus Dominus fuit causa principalis moralis omnium miraculorum, quæ fecit, licet fuerit solum causa physica instrumentalis quatenus homo, vt probat D. Tho. 1. par. quæst. 110. ar. 4. & 2. 2. quæst. 178 art. 1. ad primum vbi probat solum Deum per modum causæ principalis posse facere miracula; ergo similiter licet Christus Dominus quatenus homo sit solum causa physica instrumentalis Sacramentorum, erit tamen causa moralis principalis eorum. Consequentia ex paritate rationis sequitur. Antecedens probatur. Nam orans, imperans, & merens vt sic, nempe quando oratio, imperium, & meritum, alterius orationi, imperio, & merito non innititur vt contingit in nobis, est causa principalis effectus quem producit, sic orans, imperans, merens; sed Christus Dominus miracula faciebat orando, imperando, merendo; ergo vt

causa moralis principalis, fecit miracula: orando vt Io. 6. in panis multiplicatione, & cap: 10. in Lazari resurrectione. fecit per imperiũ vt Matt. 8. dum *imperauit Ventis*, & *Mari*. Marci primo, dum imperauit spiritibus immundis. Omnia etiam miracula per sua merita patrasse certum est, quãdoquidem miracula, quæ Christus fecit in bonum ordinabat prædestinatorum, vt autem docet D. Tho. 1. p. quæst 23. Christi merita sunt nostræ prædestinationis causæ, quantum ad omnes effectus illius; ergo &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, ad probandum Christum Dominum non esse causam principalem moralem Sacramentorum, & effectuum illorum, quia nobilius, & principalius est esse causam moralem principalem, quam physicam; ergo si Christus est causa moralis Sacramentorum principalis; erit etiam causa principalis physica; sed non est; ergo &c. Antecedens probatur, causa namque moralis operatur ex deliberatione, & si est principalis

palis ex tali deliberatione operatur, qua sibi media determinet, quibus effectum producat, propter quam rationem diximus Christum esse causam moralem principalem quia sibi determinat media, quibus Sacramenta, & gratiam producat. Sed causa physica non est huiusmodi; de ratione namque causæ physicae non est ex deliberatione, & de terminatione effectum producere; ergo est nobilior, & principalior causa principalis moralis, quam physica. Consequentia ex antecedenti sequi videtur: si enim Christo Domino concedimus, quod maius est, & quod minus est concedere à fortiori debemus &c.

Respondetur negando antecedens, causa namque physica nobilior, & prior est morali in ratione causæ; causa namque physica est illa, quæ per verum, & realem influxum rem sibi subiectam immutat, moralis vero subiectum non immutat, sed solum habet alterius voluntatem excitare, ad hoc ut ipsum passum immutet, ut patet in eo,

qui alteri contulit, qui præcipit, qui orat, qui meretur. Deinde dato, quod causa moralis sit nobilior, & potior, quam physica, non propterea concessa prima Christo Domino, debet concedi & secunda respectu Sacramentorum, & gratiæ, cum hoc omnino repugnet, ut supra probabatur.

Secundum argumentum est ad probandum, quod Christus Dominus ut homo sit causa principalis physica Sacramentorum. Christus Dominus ut homo est causa principalis physica gratiæ; ergo etiam Sacramentorum, consequentia sequitur ex dictis à nobis, cum enim Sacramenta nouæ legis causent gratiam, quam significant, si semel verum est Christum Dominum causare physicè principaliter gratiam etiam Sacramenta physicè principaliter causabit, quæ sunt immediata gratiæ causa. Antecedens probatur primò ex illo Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauerit conformes fieri imaginis filij sui*: quo loco loquitur Apostolus de Christo ut homine, alias prædesti-

destinati non magis conformarentur Christo, quam toti Trinitati, & docet eos assimilari per gratiam, & eius gratiam esse causam exemplarem nostram, vt notat Sanctus Doctor super illum locum; quo posito sic formari potest argumentum. Illa est causa principalis, cui assimilatur effectus; sed in iustificatione per gratiam nos assimilamur Christo vt homini; ergo Christus vt homo est causa principalis gratiae. Secundo probatur illud antecedens ex illo Io. primo. *Lex per Moysen data, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est;* vbi vt testatur D. Thomas lectione 10. Euangelista praefert Christum Moyse, non solum quoad excellentiam operum, quia per Moysen data sit lex, & per Christum gratia, & veritas, verum etiam quantum ad modum operandi, quia lex data est per Moysen tanquam per proponentem, non per facientem, gratia autem & veritas facta est per Christum, tanquam per Dominum, & auctorem gratiae, & veritatis; ex quo sic ex mente D.

Thomae aliud formatur argumentum: gratia facta est per Christum tanquam per Dominum, & auctorem illius vt homo est; ergo tanquam per causam principalem. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia qui operatur vt Dominus, operatur vt causa principalis: similiter qui operatur per auctoritatem, operatur vt causa principalis; sed Christus Dominus ita operatur gratiam vt homo est ergo illam operatur vt causa principalis.

Respondetur negando antecedens, ad primam probationem ex illo Rom. 8. respondeo cum D. Thoma ibidem, Apostolum loqui de Christo vt Deo, & naturali filio, cui assimilantur praedestinati per gratiam, non toti Trinitati, cum ratio filiationis naturalis filij Dei in sola secunda Trinitatis Persona reperitur; sed dato quod Apostolus loquatur de Christo vt homine, cui per gratiam assimilantur iusti, adhuc dico, quod dupliciter assimilantur Christo, primo in esse moris, & in genere causae exemplaris, cum decreuerit

Deus homines iustificare per ordinem ad Christum tanquam ad causam exemplarem quod expressit Apostolus cū dixit: *Conformes fieri imaginis filij sui*. Secundò assimulantur iusti Christo tanquam perfectissimo instrumento, ex quo non sequitur, quod sit causa principalis, sed solum instrumentalis physica, ad eū modum, quo maleus productus assimilatur maleo producenti: adhuc ergò ut vna sit causa principalis, non sufficit, quod effectus sibi assimiletur, alioqui maleus esset causa principalis malei, sed requiritur, quod hoc sit ex vi suæ productionis, & virtutis productiuæ, non per accidens: quod autem gratia faciat iustos similes Christo homini est per accidens: habet enim gratia per se facere nos similes Deo, cum faciat ex vi sua Diuinæ consortes naturæ. Ad secundam probationem dico, gratiam, & veritatem fieri per Christum, tanquam per Dominum, & auctorem, secundum quod Deus est, non secundum quod homo, causare namque gratiam per pro-

priam auctoritatem, & per proprium Dominium solius Dei est, non hominis.

Tertium argumentum est, quia illud quod facit in nobis character, verbigratia, Sacerdotalis, facit in Christo potestas excellentiæ; sed character Sacerdotalis est causa principalis gratiæ datæ per absolutionem verbigratia; ergò &c. Minor in qua est difficultas probatur, quia adhuc ut aliqua sit causa principalis, sufficit quod radicaliter ad effectus productionem concurrat, ut patet de intellectu respectu visionis beatæ, & respectu actus fidei; de voluntate respectu actus spei, & charitatis, quia licet lumen gloriæ, habitus fidei, &c. sit tota virtus proxima agendi, quia tamen etiam ille potentiæ radicaliter ad tales actus concurrunt, non extrahuntur per virtutem superadditam à ratione potentiæ, seu causæ principalis; ergò similiter etiam si character noua indigeat eleuatione ad hoc ut gratiam producat, non extrahetur à ratione causæ principalis, præsertim cum in sententia D.

Thomæ

Thomæ, & nostra, vt disputatione præcedenti ostendimus sit character in specie potentiaæ actiuæ, vel passiuæ.

Responderetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem patet ex alibi dictis, quod nimirum virtus superaddita potentiaæ, aliquando extrahit illam à ratione causæ principalis, aliquando verò constituit causam instrumentalem. Tunc virtus superaddita non extrahit potentiam à ratione causæ principalis, quando illa virtus eleuat, & confortat potentiam, cui superadditur in ordine ad actum, & obiectum sub latitudine sui obiecti specificatiui contentum, vt contingit in exemplis allatis, propterea illa virtus dicitur eleuare, & confortare potentiam. Tunc autem virtus eleuans ponit rem eleuatam in linea instrumenti, quando talis virtus eleuat in ordine ad actum, vel obiectum,

quod intrà cancellos sui obiecti extensiuui, seu specificatiui non continetur; sic contingit in characterè cum eleuatur ad producendam gratiam, eleuatur ad producendum aliquid, quod nullo modo intrà cancellos suæ virtutis continetur; gratia namquè est Diuinæ essentiaæ participatio, quod non habet character vt patet; vndè cum character dicitur potentia, non est sensus, quod sit potentia operatiua gratiaæ etiam radicalis, sed quod sit potentia instrumentalis, quia datur à Deo vt instrumentum eleuable ad gratiam producendam; eodem modo, non est potentia productiua principalis respectu alterius characteris, vt supra dicebamus; an autem possit dici potentia, & causa principalis respectu aliquorum actuum in eodem subiecto in quo est, supra tetigimus.

QVAESTIO IV.

*An Christus Dominus potuerit alteri commu-
nicare potestatem quam habuit insti-
tuendi Sacramenta.*

Conueniunt omnes, pote-
statem auctoritatis in-
stituendi Sacramenta nulli
homini posse concedi, nec ipsi
met Christo Domino vt ho-
mini; cum enim illa potestas
naturam consequatur Diui-
nam, creaturæ concedi non
potest; tum quia vt supra
dicebamus, illi soli conceden-
da est auctoritatis potestas,
cui tribuitur ratio, & virtus
gratiæ productiua; patet au-
tem quod solus Deus potest
esse causa principalis gratiæ;
ergo &c. Similiter conueni-
unt omnes, Deum posse con-
cedere potestatem ministeri-
alem instituendi Sacramenta;
potest namque Deus assume-
re hominem, vel Angelum,
per quem vt instrumentum
Sacramenta instituat, sicuti
potest assumere vt gratiam
producat, vnde Christus Do-

minus poterat Apostolis, vel
Ecclesiæ potestatem conce-
dere vt Sacramenta institue-
ret, sicut concessit facultatem
instituendi Sacramentalia,
hoc enim nec Deo conceden-
ti repugnat, nec naturæ cre-
atæ, cui conceditur; quide-
nim repugnat, quod concede-
ret Christus suo Vicario de-
legatam facultatem institu-
endi Sacramenta, sicut potest
Episcopus suam in aliquibus
delegare iurisdictionem, &c.

Conueniunt similiter, non
posse Deum puræ creaturæ
communicare potestatem ex-
cellentiæ Christi, instituendi
Sacramenta secundum eam
perfectionem, quam habet in
Christo, hoc enim omninò im-
plicat; cum enim potestas
excellentiæ in Christo sit in-
finitæ virtutis, ex infinita sup-
positi dignitate, sequitur
quod

quod non nisi in persona, vel natura, Diuina persona supposita, reperiri potest: ob quam rationem Christus ad æqualitatem pro nostris peccatis satisfecit, & infinitè Sacramenta sanctificauit. Id ergo de quo præsens procedit questio est, an Deus, vel Christus potuerit puro homini, vel Angelo potestatem excellentiæ communicare, non quoad illam infinitam dignitatem, & excellentiam, quam habet in Christo, sed præcisè quoad rationem instituendi Sacramenta, quæ haberent sanctificandi vim dependenter à Deo, ita, quod à Deo haberent vim, & efficaciam dimittendi peccata, non à sanctitate illius personæ præcisè, nisi secundum quid, & meritoriè de congruo, non de condigno; suppono enim pro modo, nullam puram creaturam posse satisfacere de condigno pro peccatis alterius, sed solum secundum quid.

Prima sententia est Scoti in 4. dist. 1. quæst. 3. §. de secundo dico. Gab. Durandi quos refert, & sequitur Vasquez disput. 135. c. 2. quod

non possit talis potestas puræ creaturæ communicari.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Potuit Deus, vel Christus Dominus suam potestatem excellentiæ quoad Sacramenta instituenda alteri communicare. Hanc conclusionem sequuntur omnes Thomistæ cum suo Angelico Magistro art. 4. huius quæst. 64. vbi sic in corpore art. eleganter loquitur. *Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem, unam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec Diuina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo, & talem potestatem potuit ministris communicare; dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad inuocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta.* Hæc D. Thomas, quorum verborum non est sensus, quod Deus possit conferre tantam gratiæ plenitudinem alicui personæ ut eius meri-

meritum operetur ad Sacramentorum effectus vt modò, & vt sanctificarentur Sacramenta vt modò, hoc enim dici nequit in sententia D. Tho. sed solum secundum quid, & ex acceptatione, prout ex acceptatione potest purus homo satisfacere, non ad æqualitatem, nec de condigno; cū enim sit eadem ratio merendi, vel satisfaciendi pro peccatis omnium hominum, quæ est instituendi Sacramenta, & largiendi gratiam, & D. Tho. supra quæst. prima art. 2. dicat, purum hominem ex proprijs non posse satisfacere; sine dubio si concedit hominem posse Sacramenta instituere, & gratiam largiri, debet intelligi ex acceptatione, & modo valde inferiori ipsi Christo, nempe ex merito congrui, & non ad æqualitatem, sed ex sola acceptatione; alioqui D. Tho. sibimetipsi esset contrarius, quod nullo modo est dicendum. Et quod ista sit mens D. Thomæ, colligit Nugnus ex solutione ad tertium, vbi D. Thomas dicit, quod in tali casu Christus esset adhuc caput Ecclesiæ principaliter &c.

Probatur primò ratione, D. Thomæ in hoc art. 4. Instrumentum coniunctum quātò est fortius, tantò magis virtutem suam potest instrumento separato communicare, vt patet de manu, quæ quātò est fortior, tantò magis baculum mouet; sed humanitas Christi Domini est instrumentum diuinitati coniunctum, & est instrumentum fortissimum & validissimum; ergò tantò magis poterit alia instrumenta separata, nempe alios ministros mouere; ergò poterit si velit taliter mouere, quod det illis facultatem Sacramenta instituendi, & sanctificandi homines. Argumētum clarum est, ideo sisto.

Probatur secundò. Potest purus homo ex Diuina acceptatione, vt omnes Theologi admittunt cum D. Thoma loco supra citato, si verbum carnem non assumpsisset, pro peccatis totius generis humani satisfacere; ergò etiam Sacramenta, ex eadem Diuina acceptatione instituere, quæ nomine ipsius conficerentur, & virtute eius operarentur; ergò etiam modò. Antecedens

dens admittitur ab omnibus. Consequentia probatur, quia Deus ex carnis assumptione non est in virtute diminutus; ergò quod poterat facere ante potest & post. Unde puto, quod secundum nostræ conclusionis sensum, hæc conclusio à nullo negari possit. Soluuntur argumenta, quatenus aliquo modo contra nostram conclusionem facere possunt.

Primum argumentum est, quia maior virtus requiritur ad iustificandum impium, quàm ad creandum Cælum, & Terram, ut tenent omnes Theologi, & nos in tractatu de gratia disputatione prima docuimus; sed nulla creatura potest esse Diuinitatis instrumentum ad creandum; ergò nequè ad iustificandum; ergò non potest puræ creaturæ virtus concedi ad instituenda Sacramenta, quæ sunt virtutes quædam iustificatiuæ.

Respondetur, hoc argumentum nimis probare, nam si aliquid valeret, probaret etiam, quod nequè in præ-

senti Christi humanitas non esset instrumentum ad iustificandos homines, nequè ipsi homines Sacramentorum ministri, essent Dei instrumenta medijs Sacramentis ad ipsos homines iustificandos. Respondetur igitur, quod maior virtus secundum quid requiritur ad iustificandos homines, non tamen simpliciter, quam ad creandum; ad creandum namque requiritur virtus infinita, quæ attingere possit non ens, ad quod sola virtus Diuina se extendit, at verò ad iustificandum impium, solum maior virtus secundum quid requiritur, quatenus ex parte subiecti aliqua resistentia intercedere potest, quæ in nihilo non intercedit.

Secundum argumentum est, quia ad potestatem excellentiæ Christi pertinet, quod eius merita recipiantur in Sacramentis modo quodam infinito; sed hoc nullo modo potest creaturæ puræ communicari; ergo &c. Maior patet, cum eam ad potestatem excellentiæ Christi per-

pertineat, quod pro nostris peccatis satisfaciat de rigore iustitiæ, & hoc fieri æqueat, nisi communicando Sacramentis infinita eius merita, sequitur quod ad potestatem excellentiæ Christi pertineat, quod modo infinito eius merita in Sacramentis recipiantur. Minor non eget probatione, nulla enim creatura pura habere potest merita infinita, quæ applicentur.

Respondetur, hoc argumentum solum probare, quod potestas instituendi Sacramenta, non possit puræ creaturæ communicari ea perfectione, qua in Christo reperitur, ut & nos fatemur; non tamen probat, quod talis facultas non possit communicari modo supra à nobis explicato, &c.

Tertium argumentum est, quia ille potest Sacramenta instituere, qui potest Sacramentis causalitatem gratiæ communicare; sed nulla pura creatura potest gratiæ causalitatem Sacramentis communicare; ergo nulla pura crea-

tura potest Sacramenta instituere. Maior est certa. Minor probatur; illius namque est causalitatem Sacramentis tribuere, cuius est Sacramenta tanquam gratiæ instrumenta eleuare; sed nulla creatura potest hoc modo Sacramenta eleuare; ergo &c. Minor huius argumenti, de qua sola potest esse difficultas breuiter ostenditur, quia eleuare rem sensibilem ad hoc ut gratiam producat est solius Dei, ut ex se patet.

Respondetur distinguendo maiorem: illius est Sacramenta instituere, cuius est gratiæ causalitatem Sacramentis communicare, virtute propria, & per modum causæ principalis tantum, negatur; etiam per modum causæ instrumentalis, conceditur. Ad minorem eadem distinctio adhibenda est, nimirum pura creatura non potest causalitatem gratiæ Sacramentis communicare per modum causæ principalis, et hoc conceditur; per modum causæ instrumentalis, & hoc negatur;

gatur; sicut enim etiam modo Christus Dominus non tribuit causalitatem gratiæ Sacramentis per modum causæ principalis quæ homo est, sed solum per modum

instrumenti coniuncti. ita tunc temporis creatura per modum instrumenti separati talem Sacramentis tribueret causalitatem



DISPVATIO VII.

DE MINISTRO

SACRAMENTORVM.

Agit de hac materia D. Tho. quæstione 64. ab articulo 5. usque ad 10. inclusiuè; postquam enim egit de causa instituyente Sacramenta in quatuor præcedentibus articulis, agit in alijs de causa administrante Sacramenta, seu de Sacramentorum ministro, est enim plusquam certum nouæ legis Sacramenta aliquem ministrum requirere, quod docent tum verba, quibus Sacramenta conficiuntur, quæ explicant aliam esse personam ministri, & aliam suscipientis, vt videre est in Baptismo, Pæ-

nitentia, Confirmatione, & plerisque in alijs; tum Sacramentorum nouæ legis conditio, & natura; cum enim sint nostra Sacramenta res inanimatæ, constantes rebus planè diuersis, nec possint per se, se coniungere, & applicare subiectis, aliquem ministrum ad id efficiendum postulant, quod docet Tridentinum sess. 7. & Florentinum, in decreto Eugenij, propterea merito post Sacramentorum causam instituentem, de causa ministeriali, seu instrumentali agit D: Thomas, & nos cum illo. Sit ergò.

QV AESTIO I.

Quis nam sit Sacramentorum Minister ordinarius.

Sicuti confectio, & ministratio Sacramentorum est duplex, ordinaria, & extraordinaria, ita & minister est duplex, ordinarius, & extraordinarius. In hac quæstione de ministro ordinario agemus acturi in sequenti de ministro extraordinario. Varij sunt modi loquendi hæreticorum nostri temporis: referam potissimos.

Martinus Lutherus duo docet: primum, quod non solum omnes homines, masculi, & fæminæ, verum etiam ipsi dæmones possunt esse Sacramentorum ministri, ita enim loquitur in lib. de Missa priuata, & Vnctione Sacerdotum. *Ego non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea resisterem diabolum sic irrepisse in officio*

um pastoris Ecclesie, in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absoluisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta; ideo non esse efficacia, sed verum Baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi nos accepisse. Secundum quod dicit Lutherus est, quod licet omnes homines, & dæmones possint Sacramenta ministrare, tamen ad tollendam confusionem non oportet omnes hac potestate vti, sed tantum illi vti debent, qui legitimè sunt vocati, tribus casibus exceptis. Primus, quando quis est priuatim in domo propria. Secundus, quando nemo alius adest, & necessitas vrget. Tertius.

quando alius quidem adest, sed non tam bene ministrat, iuxta illud 1. Cor. 14. *si alteri reuelatum fuerit, prior taceat*, Ex quibus duo inferuntur corollaria. Primum, quod publici ministri à ceteris potestate non differant, vel dignitate aliqua, sed solo potestatis usu. Secundum, posse ministrum fieri laicum, sicut ex laico minister.

Calvinus in Antidoto ad can. 10. sess. 7. per oppositum docet, quod non solum diabolus, aut fœmina non potest concionari, aut Sacramenta ministrare, sed vult quod non singuli, neque fœminæ, etiam necessitatis tempore non possint validè Sacramentum Baptismi ministrare, sed solum ministri ordinati. Kemnitius videtur idem sentire. Argumenta hæreticorum postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequentibus explicatur conclusionibus. Ordinarius Sacramentorum nouæ legis minister est solus homo viator. Hanc conclusionem sequuntur omnes Theologi, & Catholici. Probatum primo, quoad secundam

partem, quod nimirum minister ordinarius Sacramentorum debeat esse viator, seu homo passibilis, & mortalis: quia Christus Dominus in Sacramentorum institutione, & designatione ministrorum, solum homines viatores, & mortales fuit allocutus, vt cum instituit Sacramentum Baptismi: *Baptizatus &c.* cum instituit Sacramentum Eucharistiæ: *Hoc facite in meam commemorationem*: cum instituit Sacramentum Pœnitentiæ: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Dei*, & 2. ad Cor. 3: *Qui nos idoneos fecit ministros noui testamenti &c.* & ad Heb 5. vbi explicans conditiones Pontificis à Deo constituti, quod debeat afferre dona pro populo, subiungit: *Qui condolere possit his, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*: esse autem infirmitate circumdatum hominem viatorem, & mortalem signat. vt omnes notant interpretes.

Secundo, quia ordinaria

Sacra-

Sacramentorum administratio soli Ecclesiæ militanti commissa est, sicut & ipsa nouæ legis Sacramenta instituta sunt pro sanctificandis huius Ecclesiæ militantis membris, vt ex citatis Sacræ Scripturæ locis satis clarè colligitur; sed solus homo mortalis, & viator ad Ecclesiam spectat militantem; ergò solus homo viator, & mortalis potest esse ordinarius Sacramentorum minister.

Prima conclusionis pars probatur, quod nimirum solus homo, & non Angelus, vel bonus, vel malus possit esse ordinarius Sacramentorum minister; quia ad Sacramentorum essentiam verum requiritur, & naturale elementum, verum, & naturale verbum; sed solus homo verè, & naturaliter loquitur; ergò solus homo potest esse Sacramentorum ordinarius minister. Maior patet ex ipsorum Sacramentorum institutione, & ex Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrina. Minor probatur, quia locutio est actio vitalis per instrumentum linguæ, & palati, pulmonis, labi-

orum, &c. sed solus homo, non Angelus, etiam in assumpto corpore potest talem vitæ operationem exercere; ergò &c. Angeli namquè, vt notauit Angelicus Doctor 1. par. quæst. 51. etiam per corpus assumptum non possunt propriè loqui.

Confirmatur, & explicatur præcedens argumentum. Nā etiam si vera elementa, veraque verba Angeli adhibere possent, adhuc vera efficere nequirent Sacramenta; ergò non possunt Angeli esse ordinarij Sacramentorum ministri. Antecedens probatur, quia Sacramenta sunt signum & causa gratiæ, non secundum id, quod suapte habent natura, sed secundum id, quod habent ex Diuina institutione; sed Diuina institutio non instituit elementa vera, vt ab Angelis adhibita, nec Angelorum verba, sed instituit elementa adhibita ab homine, & verba humana; ergò etiam si Angeli vera adhiberent elementa, & vera, & naturalia, proferrent verba, non essent Sacramentorum ordinarij ministri: quod autem Christus
insti-

instituerit verba humana, patet ex citatis Sacrae Scripturae locis, pro corroboranda secunda conclusionis parte adductis.

Secunda conclusio. Verus, & proprius Sacramentorum minister, excepto Baptismo, & Matrimonio non est quilibet homo baptizatus, sed solum ille, qui ritè in Ecclesia, est ordinatus. Hæc conclusio est directè contrà Lutherum, & Lutheranos, est tamen Catholica veritas. Excipitur Sacramentum Baptismi, propter eius necessitatem, ut suo loco diceretur. Excipitur Matrimonium, quia cum sit contractus quidam, per contrahentes fieri debet, ut proprio explicabitur loco.

Probatur conclusio ex Sacra Scriptura, quæ docet in Ecclesia esse diuersa officia, ut Rom. 12. 1. Cor. 12. ad Ephes. 4. vbi dicitur. *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas, &c.* deinde subiungit; *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ?* & idem dici potest de Pastoribus, & Doctoribus; & ad Heb. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi*

qui vocatur à Deo tanquam Aaron; ergò non omnes de populo sunt Sacerdotes; sed illi soli, qui vocantur à Deo, tanquam Aaron; ergò sicut Aaron antequam à Deo vocaretur non erat Sacerdos, ita neque homines de populo antequam à Deo vocentur ad Sacerdotij statum non sunt Sacerdotes; ergò malè dicunt Lutherani, quod omnes homines eo ipso quod baptizati sunt, sint Sacerdotes, sed solum vsu potestatis priuentur, ne confusio fiat in Ecclesia. Si enim semel omnes reuera essent Sacerdotes, sacerdotij vsu priuari nequirent, nisi in pœnam alicuius delicti.

Probatur deinde conclusio ad hominem contra Lutherum, & asseclas eius, quia ideo per illos, omnes homines sūt ordinarij Sacramentorum omnium ministri, quia in Sacramento Baptismi gratiam recipiunt Spiritus Sancti, per quam fiunt spirituales sacerdotes, & omnium Sacramentorum ministri, ratione illius gratiæ; sed hæc ratio est nullæ; ergò falsum est, quod omnes homines vi Baptismi sint Sa-

cramen-

cramentorum omnium ministri. Maior est Lutheri, & Lutheranorum assertum; minor probatur; in primis, quia Angeli non sunt baptizati, & tamen per Lutherum possunt esse Sacramentorum omnium ministri. Secundò, quia Apostoli antè institutionem Eucharistiæ baptizabant, & per consequens erant baptizati, (non enim credibile est eos baptizasse antequam baptizarentur, vt aperte colligitur ex ijs, quæ habentur Io. 4. & docet D. Augustinus Epist. 108. ad Seleucianum) & tamen potestatem conficiendi Corpus Christi acceperunt Luc. 22. in cæna, cum Sacramentum Altaris Dominus instituit, & potestatem id ipsum faciendi Apostolis dedit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergò &c. Tertio, quia si quis Baptismi Sacramentum informe reciperet, talem potestatem non reciperet, quod illi negant. Quarto, quia si talis potestas fundatur in gratia in baptis- mi Sacramento recepta, sequeretur quod si quis per peccatum mortale talem grati-

am amitteret, etiam tali potestate simul cum gratia priuaretur, quod nec illi concedunt. Sed soluamus potissima Hæreticorum argumenta.

Primum argumentum Lutheri, quod valde magnificent Lutherani est; quia fides nostra, dignitas, & efficacia Sacramentorum à bonitate, vel sanctitate personæ non dependet; ergò siue persona bona sit, siue mala, siue vincta, siue non vincta, siue vocata, siue non vocata, siue Angelus, siue Diabolus, verum semper efficiet Sacramentum, dummodo Christi institutionem non prætermittat.

Confirmat hoc Lutherus, quia quod diaboli membris conceditur, non est denegandum ipsi diabolo; sed Iude, qui erat membrum diaboli conceditur Sacramentorum ministerium; ergò hoc non est denegandum diabolo.

Respondetur, duplicem esse ministri qualitatem: vnâ, essentialem, & omnino necessariam, alteram accidentalem, non necessariam, & solum requisitam ad dignius

Sacramentorum ministerium exercendum; prima omnino necessaria est, & est præsertim, quod Sacramentorum minister sit homo: secunda non est necessaria, sed valde commendabilis, & est bonitas ministri; per quod patet ad confirmationem licet enim Iudas esset diaboli membrum, habebat tamen necessaria ad propria ministeria; erat namque verus homo, & legitime consecratus.

Secundum Lutheri argumentum desumitur ex multis Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus videtur innui omnes homines esse Sacerdotes. 1. Petri 2. dicitur: *tamquam viui lapides superedificamini in sacerdotium sanctum; & vos autem genus electum, regale sacerdotium.* & Apoc. 5. *fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotium,* & cap. 20. *Erunt Sacerdotes Deo, & Christo eius* & 1. Cor. 3. *Qui nos idoneos fecit ministros noui testamenti.* Addit etiam quædam loca, quibus conatur probare mulieres posse in Ecclesia concionari, & per consequens etiam sacrificare, & Sacramen-

ta conficere, seù ministrare. vt Ioelis 2. *Prophetabunt filij vestri, & filie vestra.* Actor. 21. *Erant Philippo quatuor filie virgines prophetantes.* Exodi 5. *Maria prophetauit.* Iudicum 4. *Debora docuit.* Luc. 1. *Maria prophetauit.* 1. Cor. 11. *Mulier velato capite oret, & prophetet;* per quæ explicat illum locum Apostoli 1. Cor. 14. *Mulier in Ecclesia taceat,* hoc est viris præsentibus, & loqui volentibus, & valentibus.

Respondetur, quod D. Petrus, & Io. loquuntur de Sacerdotio spirituali, quod patet quoad D. Petrum ex ijs, quæ in eodem capite habet, dum dicit: *offerentes Hostias spirituales,* id est opera bona, laudes, & præces: quoad D. Ioannem etiam patet, quia ibi loquitur de sacerdotio beatorum, qui continuo hostiam laudum offerunt Deo: patet etiam ex modo loquendi vtriusque simul, quia coniungunt Sacerdotium cum Regno; patet autem, quod Mulieres non sunt regnum formaliter, & realiter, sed spiritualiter tantum. Ad locum Pauli patet, quia non loquitur

tur de omnibus Christianis, & baptizatis, sed de Apostolis tantum. Ad illud quod de fæminis dicit Lutherus, dico quod aliud est prophettare, aliud concionari, prophettare namque cum sit gratia gratis data concedi potest mulieribus, concionari autem concedi non debet, nec docere, nisi extraordinariè ut fuit concessum Sanctæ Catharinæ Senensi, & Sanctæ Matri nostræ Teresæ, cuius doctrina ab vniuersali Ecclesia dicitur Cælestis, ut patet ex eius oratione; *Exaudi nos*

Deus &c. ita cælestis eius doctrina pabulo nutriamur, & pia deuotionis erudiamur affectu; quod elogium de nullius Sancti doctrina ab vniuersali Ecclesia habetur. Licet ergo mulieribus entraordinariè cõcedi possit vt doceant, non propterea inferre licet, quod possint esse Sacramentorum ministri etiã extraordinariè, cum absolutè ab Ecclesia ab ijs ministerijs arceantur, excepto semper Baptismi Sacramento, & Matrimonij, vt supra excipiebantur.

QVAESTIO II:

Quisnam possit esse extraordinarius Sacramentorum minister.

IN hac quæstione nulla est nobis colluctatio cum hæreticis, cum illam non pertractent, nec quicquam de hoc nobis obijciant: sed colluctatio nobis dumtaxat est cum Catholicis, nimirum an Angeli tam boni, quam ma-

li, possint esse extraordinarij Sacramentorum ministri; an animæ separatæ, siuè beatæ sint, siuè non, siuè coniungantur proprijs corporibus passibilibus, siuè impassibilibus &c.

Sed vt certa ab incertis
 Na sepa-

separentur; concedunt communiter tanquam certum, quod si quis sacerdos resurgeret à mortuis, & ad vitam rediret mortalem sicut prius, absque alio superaddito conficere posset ea omnia Sacramenta, quæ ante mortem conficere poterat absque alia iurisdictione; haberet namque omnia ad id requisita: quæ autem sine iurisdictione ante mortem conficere non poterat, sine noua iurisdictione superaddita, post Resurrectionem conficere nequibit; cuius rei clara est ratio, quia per mortem cessat omnis iurisdictione, & per consequens illa Sacramenta post Resurrectionem conficere non poterit, nisi noua superaddatur iurisdictione, vnde si Summus Pontifex mortuus redderet ad vitam mortalem nullam amplius haberet iurisdictionem in totam Ecclesiam, cum eius morte expirauerit; alioqui Ecclesia duos Summos Pontifices habere posset, quod est falsum; vnde Sacerdos à mortuis resurgens esset ordinarius illorum Sacramentorum minister, respectu quo-

rum noua non indigeret iurisdictione; imò etiam respectu horum erit minister ordinarius, si noua sibi conferatur iurisdictione.

Concedunt etiam communiter, quod anima separata, etiam si sacerdotalem retineat characterem non possit esse ordinarius Sacramentorum minister, licet enim characterem retineat, non tamen potest verba humana formare, quæ omnia necessaria sunt ad ordinatum Sacramentorum ministrum, potest tamen anima esse minister extraordinarius Sacramentorum, vt possunt esse Angeli, vt postea dicemus; eadem namque ratio quæ militat de Angelis, etiam de separatis animabus militare debet, licet enim anima separata characterem retineat quo caret Angelus, non tamen ad exercitium, sed ad ordinatum in animabus beatis, & ad confusionem, & ruborem in damnatis. Sed dices in publicis Ecclesiæ præcibus oramus animas beatas, vt nos absoluant illa potestate quam à Christo dum essent inter viuos receperunt, vt patet ex

Hymno

Hymno Apostolorum . *Qui saum verbo clauditis &c. Nos à peccatis omnibus solui iubete quæ a sumus; & de D. Petro canit Ecclesia. peccati vincula resolue tibi potestate tradita &c.* Nam responderetur, ista non intelligi de Sacramentali absolute, hæc enim restricta fuit ad tempus illud quo erant viatores, vt patenter colligitur ex illo Christi Domini Matth 8. *quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cælo*, vbi ponderanda venit illa particula potestatis limitatiua, *super terram*; sed intelligi debere de absolute peccatis, per singularem illorum impetrationem; vel etiam intelligi potest de pænis, peccatis remissis, debitis, quo sensu intelligi debet illud, quod de Beatissima Virgine canit Ecclesia. *Solue vincula reis &c.*

Concedunt etiam Theologi cum D. Thoma artic. 7. quæst. 64. citata, quod Angeli possint esse Sacramentorum ministri extraordinarij; cuius rei rationem elegantè assignat D. Thomas sequentibus verbis. *Sciendum, quod*

sicut Deus virtutem suam non alligauit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis esse effectus Sacramentorum conferre ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesie ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Hoc idem docuit D. August. lib. 2. contra Parmenianum cap. 15. his verbis: *Quod attinet ad Baptismum, adest Deus qui dat siue per hominem, siue per Angelum &c.* & Nicephorus lib. 11. Eccles. Historiæ cap. 2. refert Amphilochem ordinatum fuisse ab Angelis Episcopum, & ceteros Episcopos id habuisse ratum. Duo tamen sunt aduertenda primum est, quod licet Sacramenta ab Angelis collata, & idem dici debet si conferentur ab animabus separatis eundem habere possent effectum quem habent nostra, non tamen essent eiusdem omnino rationis ac nostra, cum nostra habeant vera, & propria verba humana, illa autem non haberent, sed aliam haberent formam, nempe vel verba in aere, & ex aere formata, vel aliquid aliud,

quod posset Sacramentorum effectum significare. Secundum quod aduertendum est, est illud quod aduertit D. Thomas post verba citata, nimirum quod si bonus Angelus diceret se administrasse hoc vel illud Sacramentum esset ei credendum, post diligentias adhibitas, quod reuera est bonus Angelus; si autem esset malus, minimè ei credendum esset, etiam si iureiurando confirmaret, & diceret se diuina fecisse dispensatione. Ratio D. Thomæ est, quia Angeli boni cum sint beati mentiri non possunt, cum sint impeccabiles. At Angeli mali mendaces sunt, & mendacij patres, propterea illis nunquã credendum est. His tanquam certis suppositis, p̄nctus præsentis difficultatis est, an dato quod sit aliquis beatus in corpore, & anima, vel certe si miraculosè resurgeret aliquis Sacerdos, vel Episcopus cum corpore tamen glorioso, an iste Sacerdos, vel Episcopus beatus posset verum Sacramentum vt modo fit efficere, seù an talis beatus essent tunc Sacramentorum mi-

nister ordinarius, nam de extraordinario non est dubium, vt patet ex dictis de Angelis, & animabus separatis.

Prima sententia est, quod beatus possit esse Sacramentorum minister sicut, & actiuator, exempli gratia si resurgeret D. Thomas Aquinas posset consecrare, sicut poterat dum erat inter viuos; similiter si resurgeret Episcopus posset Sacerdotes ordinare sicut poterat prius, habita tamen prius iurisdictione qua per mortem fuit spoliatus. Hanc conclusionem sequitur Nugnez hoc art. 7. post Sotum ab ipso Nugnez citatum, qui putant esse ad mentem D. Thomæ in hoc art. in solutione ad secundum de quo postea.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Licet beatus possit ex Diuina dispensatione esse Sacramentorum minister extraordinarius, nullo tamen modo ordinarius. Hanc conclusionem sequuntur omnes D. Thomæ expositores communiter, tum ex schola D. Thomæ, tum extra.

Probat^r primo conclusio
 x illo Apolloli 1. Cor. 11
*Quotiescunque enim mandu-
 cabitis Panem hunc, & Calicē
 bibetis, mortem Domini an-
 nunciabitis, donec veniat.*
 Quem locum omnes exposi-
 tores intelligunt de institu-
 tione Sacramēti Eucharistiæ,
 quæ facta fuit solum pro tem-
 pore huius mandi vsque ad
 consumationem duraturi.
 Hoc idem probari potest ex
 illo Iacobi 5. *Infirmatur quis
 vestrum: inducat Præsbyteros
 Ecclesiæ, & orent super eum un-
 gentes eum oleo in nomine Do-
 mini, & oratio fidei saluabit
 infirmum;* vbi vt vides mini-
 ster, qui assignatur est præbiter
 Ecclesiæ, homo autem be-
 atus non est intra Ecclesiam
 militantem, de qua loquitur
 Apostolus Iacobus. Deinde
 requirit orationem fidei, pa-
 tet autem quod oratio fidei,
 seu facta in fide, non potest
 esse in homine glorioso; ergo
 &c.

Probat^r secundo ratione
 qua communiter nostræ sen-
 tentiæ defensores vti solent,
 contra oppositum defenden-
 tes; Sacramenta instituta sunt

pro solis viatoribus, vt cla-
 mant Scripturæ, & Patres;
 ergo potestas Sacramenta cō-
 ficiendi solis viatoribus est tra-
 dita. Antecedens est certum
 cōsequētia probatur primò,
 quia potestas ministrandi Sa-
 cramenta data est Ecclesiæ mi-
 licanti vt solum ministretur
 illis qui sunt intra eandem
 Ecclesiam militantem; ergo
 solum ministris eiusdem Ec-
 clesiæ militantis est data, ali-
 oqui si potestas conficiendi
 Sacramenta esset data etiam
 ministris Ecclesiæ triumphan-
 tis, etiam membris eiusdem
 Ecclesiæ triumphantis pos-
 sent Sacramenta communi-
 cari, & è contra. Secundo,
 quia non esset maior ratio de
 homine beato quam de homi-
 ne damnato, & per consequēs
 si homo beatus potest confi-
 cere Sacramenta, & ministra-
 re, etiam damnatus hoc po-
 terit; sit ergo vnus homo dā-
 natus in corpore, & qui sit Sa-
 cerdos, vel Episcopus, poterit
 consecrare, & Episcopus Sa-
 cerdotes instituere in odium,
 & derisionem Dei, & Sacra-
 mentorum. Sed dices Deum
 singulari prouidentia impe-
 ditu.

diturum ne ibi detur materia pro Sacramentis conficiendis, vel etiam si ibi à demonibus trasportetur, facturum ne tali utantur potestate. Nam contra est, quia si Deus talem illis dedisset potestatem, posset quidem illius usum pro talibus hominibus nempe damnatis impedire, tamen longe probabilius dicitur Deum illis talem non dedisse potestatem, quam illam dedisse, & postea velle, vel miraculosè impedire, ne ea unquàm per totam æternitatem utantur.

Primum argumentum desumitur ex D. Thoma in hoc ar. 7. vbi habet argumentum tale. *Homines sancti assimilantur Angelis in Cælo, ut dicitur Matt. 22. Sed aliqui sancti in Cælo existere possunt ministrare in Sacramentis quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est; ergo videtur quod etiam Angeli possint in sacramentis ministrare.* Respondet: *Quod sancti qui sunt in Cælo sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionem naturæ, &*

per consequens neque quantum ad sacramenta. Vbi ut videtur D. Thomas assignat differentiam inter sanctos homines, & Angelos beatos, quod licet sint similes quantum ad beatitudinem, non tamen quantum ad conditionem naturæ, neque quantum ad Sacramenta, quia Angeli non habent characterem, nec habent naturam per quam Sacramentalia proferre possent verba, sicut habent beati homines; ergo ex mente D. Thomæ licet Angeli non possint esse Sacramentorum ministri ordinarij, sed solum extraordinarij, tamen possunt esse homines beati &c.

Respondetur primò, quod D. Thomas non dicit beatos characterem habentes posse Sacramenta conficere, sed nihil respondit ad hoc; sed ut dicitur, permittit transire, assignando disparitatem inter Angelos, & homines beatos, quod Angeli non habent naturam humanam ad quam Sacramentorum confectio consequitur, neque habent characterem, qui in ordinario ministro requiritur ad Sacramentum

tum conficiendum, non tamen sufficit; unde ex hac D. Thomæ doctrina solum sequitur quod minus elungentur homines beati ab ordinario ministerio Sacramentorum, quam Angeli; homines namque cum ministris ordinarijs conueniunt in natura, in verbis humanis, in charactere, non tamen in ratione viæ, pro qua solum datur hominibus ordinaria Sacramentorum potestas.

Respondetur secundò D. Thomam posse etiam explicari de beatis, si corpus mortale, & passibile susciperent, tunc enim ut supra dicebamus, cum ad viam redirent, etiamsi alias essent etiam cõprehensores, possent vera Sacramenta conficere, si cætera adessent, ut suppono.

Secundum argumentum, desumitur ex quadã historia, quam ex multis auctoribus refert Thomas Stapletonus in Collectaneo de Sancto Thoma Apostolo, quod scilicet quidam Ioannes Indorum Patriarcam Romam venerit circa Annum 1120. & Calisto II. Pontifici Summo, & toti

Cardinalium Collegio consistorialiter congregato narrauerit Sanctum Thomam Apostolum omni anno communicare solitum populum, illum manu propria; in qua narratione supponi videtur Apostolum celebrasse, Particulas consecrassè, & cum illis populum communicasse; ergò beatus potest esse Sacramentorum minister &c.

Respondetur, quod ex illa historia non colligitur Apostolum consecrassè, sed solum ex præconsecratis communicasse, quod non solum homines beati, verum, & ipsi Angeli homines communicasse quandoque leguntur: quæ solutio clarè colligitur ex alia historia quam hic refert Lugo ex Baronio tom. 8 anno 610. de D. Petro Apostolo qui in Anglia visibiliter apparuit, & Ecclesiam sibi fabricatam solemni ritu consecrauit, quam ne sequenti die repeteret illius loci Episcopus, misit qui Episcopo diceret. *suppleat quod Omisimus Dominici Corporis, & Sanguinis Sacrosanctæ mysteria*; quæ à Diuo Petro facta non fuerunt.

QVAESTIO III.

*An in Ministro ad Sacramenti valorem, fides
requiratur.*

Quidam Episcopus, Agri-
pinus nomine, qui San-
cti Cypriani prædecessor fuit
in Episcopatu, primus in Ec-
clesiam Dei inuexit, Baptis-
mum ab hæretico collatum
nullum esse, & per consequens
volebat ministri fidem omni-
no necessariam esse ad Sacra-
menti valorem; ita refert D.
August. lib. 2. contra Dona-
tistas cap. 7. Vincentius Liri-
nensis in suo Commonitorio;
quem Agripini errorem sunt
sequuti Episcopi multi Afri-
cani cum Sancto Cypriano,
sed non animo hæretico, sicuti
postea fecerunt Donatistæ,
vt testatur D. August. loco ci-
tato; & hæretici quidam Apo-
stoli dicti, vt testatur D. Ber-
nardus ser. 67. in Cantica, &
alij plures etiam ex nostri tē-
poris hæreticis.

Nostra sententia sequenti
explicatur conclusione. Fi-
des non est necessaria in Sa-

cramentorum ministro. Hæc
conclusio est de fide: definita
in Concilio Niceno primo.
In sexta generali Synodo can
95. in septima can. 7. & tan-
dem in Sacrosancta Triden-
tina Synodo sess. 7. can. 4. de
Baptismo vbi sic dicitur: *Si
quis dixerit Baptismum, qui
etiam datur ab hæreticis in no-
mine Patris, & Filij, & spiri-
tus sancti cum intentione faci-
endi, quod facit Ecclesia non es-
se verum baptismum; anathe-
ma sit.*

Probatur primò conclusio
ratione tali: defectus agentis
ad actionem impertinentes,
ipsius agentis actionem nec
tollunt, nec impediunt, vt pa-
tet in omnibus actionibus na-
turalibus; atqui carentia fidei
in sacramentorum ministro
est defectu impertinens ad sub-
stantiam, & valorem sacra-
mentorum; ergò defectus fi-
dei sacramenti valorem, &
sub-

substantiam impedire nō habet. Maior est evidens; Minor probatur, quia fides non se tenet, nequē ex parte formæ Sacramentorum, neque materiæ, nequē intentionis; potest enim hæreticus veram & præscriptam adhibere materiam, proferre verba à Christo instituta, intendere quod intendit Christus, & Ecclesia; ergò &c. quidquid enim ista tria non destruit, Sacramenti productionem non tollit; est enim Sacramentū opus Christi, & minister instrumentum illius, eleuatum à Deo, non qua fidelis, sed qua minister habens tria prædicta, nempe materiam, formam, & intentionem faciendi quod fecit Christus, vel quod facit Ecclesia, vel verum conficiendi Sacramentum, vt postea dicetur.

Confirmatur præcedens argumentum, quia minister non propria operatur virtute, sed virtute Diuina; atqui Diuina virtus non tollitur postquam ministro data est ob infidelitatem illius; ergò &c. Maior est de fide, & patet ex millies dictis. Minor proba-

tur, quia sicut Deus ob peccatum infidelitatis naturales non aufert virtutes; ergò neque gratuitas, & dumtaxat ministeriales; alioqui Deus melius prouidisset bona totius mundi, quam bono totius Ecclesiæ; melius prouidisset bono vt ita dicam temporali, quam spiritali Corporis mystici, quod est Ecclesia. Vnde vt rectè sanctus ratiocinatur August. lib. 3. contra Cresconium cap. 8. ad efficaciam seminis, vel plantationis nihil refert an lotis manibus, an sordidis semen in terram proiciatur, modo semen bonum sit, & terra fertilis, & calor solis non desit, nec pluuia de Cælo. Nec minus Regis imaginem imprimit, sigillum ferreum, quam aureum, vt dicit S. Gregorius Nazianzenus Oratione de Baptismo: similiter parum refert, vt dicit D. August. tract. 5. in Io. quod aqua per canalemlapideum, vel argenteum transeat ad irrigandas areolas; nec lumen solis, vel etiam lampadarum inquinatur, quia per lutam, & loca cænosa transeat, vt idem dicit August.

gust. lib. 3. de Baptismo capit. 10.

Probatur secundo stabilita conclusio; quia auctoritas, quam habet minister conferendi sacramenta non est data à Deo ob utilitatem ipsius ministri, vel conferentis, sed in utilitatem illius, cui sacramentum confertur, gratiæ namque gratis datæ, & potestates, aliorum commodum, & utilitatem respiciunt; ergo, perinde est, quod minister habeat, vel non habeat fidem; per talem namque fidei carentiam sibi ipsi nocet, non alijs, pro quibus talem habet potestatem: propterea videmus, Deum non auferre propter peccatum potestatem iurisdictionis, cum in aliorum cedere debeat utilitatem; præcipit namque, ut obediamus Dominis nostris etiam discipulis &c. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum est, quia ut fert commune proloquium *extra Ecclesiam non est salus*; sed hæretici omnes sūt extra Ecclesiam; ergo ab illis salus esse non potest, & per consequens nec vera ministra

re sacramenta poterunt.

Respondetur distinguendo maiorem: extra Ecclesiam, non est salus formaliter, & cōceditur: effectiue instrumentaliter, & negatur; aliud enim est, quod extra Ecclesiam nō fit salus, aliud quod non fit instrumentum salutis; primum est verum, secundum falsum; nam ut profundè docet D. Thomas art. 9. præsentis quæstionis 64. minister in Sacramentis instrumentaliter operatur non virtute propria; sed Christi. Vnde sicut pertinet ad virtutem propriam hominum charitas, ita & fides, & sic, sicut ad perfectionem sacramenti non requiritur, quod minister sit in charitate, ita neque quod fidem habeat.

sed contra datam solutionem urgebis, quia Baptismi sacramentum confertur per fidei protestationem, & professionem, potissimi mysterii S. Trinitatis; propterea ab Apostolo fides, & Baptismus simul coniunguntur dum dicitur. *una fides, unum Baptisma*, ergo qui non habent veram fidem, ut hæretici, non poterūt veræ fidei protestationem, &

con.

confessionem efficere, & per consequens non poterunt verum Sacramentum ministrare.

Nam respondetur, quod sacramentum Baptismi dicitur protestatio, & confessio, vel professio fidei non respectu ministrantis cum, vt ex dictis liquet, in ministrante vera fides non requiratur; sed respectu propriæ formæ, quæ continet potissimum nostræ fidei mysterium, coniungitur autem baptismus cum fide, quia baptismus etiam hæreticorum cum nostro, est vnus baptismus, cum semper in virtute vnus Christi Domini ministratur, & ab eodem Christo solummodo virtutem, efficaciam, & totam vim suam habeat, non à fide ministri, & sic *vna fides, vnum Baptisma, &c.*

Secundum argumentum, quod refert, & soluit D. Augustinus loco citato est tale: Nemo dat quod non habet; atqui hæretici fidem non habent; ergò nequè illam bap-

tizato dare possunt. Respondetur distinguendo maiorem; nemo dat quod non habet, vel ratione propriæ, vel ratione virtutis alterius cuius est instrumentum. Ad maiorem: sed hæretici fidem non habent, distinguitur ad distinctionem maioris, non habent illam in se & conceditur; non habent illam instrumentaliter, & in virtute Christi, & negatur. Sicut enim vt quæstione sequenti dicitur, qui est in peccato mortali gratiam non habet, & tamen illam per Sacramentum confert suscipienti rectè disposito, ita &c. Vnde pro solutione multarum auctoritatum, quæ ex Patribus adduci possunt ad probandum Sacramenta hæreticorum esse vana, innania, & nullæ, quæ passim adducuntur ab hæreticis: obseruandum est Patres loqui de illis hæreticis, qui non adhibent veram materiam, & formam, non autem de illis, qui veram materiam, & formam cum legitima intentione habent.

QVAESTIO IV.

An ad valorem Sacramenti requiratur in ministro vitæ probitas, & sanctitas.

D Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 16. refert Donatistas affirmantes, omnino requiri in ministro ad Sacramenti valorem vitæ probitatem, & sanctitatem. Hunc errorem tenuere Albigenſes, ut refert D. Antoninus 4. p. tit. 11. cap. 7. Eundem errorem tenuerunt Vuiclephus, & Io. Hus, ut patet ex Concilio Constantienſi ſeſſ. 8. & 13. Quorum fundamenta poſtea referemus.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur conſuſione. Quilibet miſter quantumvis ſceleratus verum conficit Sacramentum, modo nihil aliud deſit niſi morem probitas. Hæc eſt de ſide deſinita in Concilio Conſtanſi ſenſi vbi ſupra, & in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de Sacramentis in communi can. 12. per hæc verba:

Si quis dixerit, miſtrum in peccato mortali exiſtente, modo omnia eſſentialia, qua ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.

Probatur primo Sacra Scripturae teſtimoniis, & primo ex illo primæ ad Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus; vbi Sacramentorum effectus non ſanctitati miniſtrantis tribuitur, ſed Dei inſtituentis, & Chriſti ſua merita applicantis.* Et Matth. 9, narratur de quibusdam, qui Chriſtum non ſequebantur, & tamen in eius nomine miracula faciebant. Et Io. 4. Diſcipuli dicuntur baptizare in nomine Chriſti; ex quo loco Sanctus Auguſtinus trac

5. colligit & ipsum Iudam, qui fuit postea proditor, tunc baptizasse, & postea non fuisse iteratum baptismum ab ipso collatum, quia validum, & ratum fuit. Verba Augustini sunt: *Dico ego, & dicimus omnes, iustos oportet esse eos per quos baptizamur, si autem noluerint esse iusti, securum me fecit magister meus de veritate baptismi, de quo Spiritus sanctus dicit hic est qui baptizat.* Relinquo aliorum multorum Patrum testimonia, quia passim videri possunt in scribentibus.

Probatur secundo ratione desumpta ex Christi Domini institutione; sic quia Sacramenta ex sui institutione, ex ipso Christo Domino suum habent valorem; ergo perinde est, quod minister sit bonus, vel malus; Antecedens patet, primò ex communi sensu, & traditione Ecclesiæ, & ex sacris literis; tum etiam quia Sacramenta suos producant effectus ex opere operato, & non ex opere operantis: habent namque totam suam efficaciam ex morte, & passione Christi: propterea dicuntur

Sacramenta fluxisse de latere Christi; quæ merita Christi applicantur ratione determinatæ materiæ, formæ, & intentionis ministri, in persona Christi operantis; ergò non à dignitate personæ ministrantis; dignitas enim personæ ministrantis est circumstantia non necessaria, sed ad melius esse respectu Sacramenti.

Confirmatur, quia personæ sanctitas non requiritur in gratis gratis datis vt validè exerceantur; sed potestas ministrandi Sacramenta est quædam gratia gratis data; ergò ad sui valorem nõ requirit personæ bonitatem, & sanctitatem. Maior patet ex illo Matt. 7 *Multi dicent tibi in illa die Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus &c. & tuuc confitebor illis quia nunquam noui vos, &c.* ex quo loco colligunt Doctores prophetiam, & alias gratias gratis datas cum peccato lethali esse posse. Minor probatur, quia potestas Sacramenti ministrandi non est gratia gratum faciens; ergò gratis data; tum quia gratis data gratia

in hoc distinguitur à gratia, faciente gratum, quod hæc ordinetur ad proprium subiecti bonum, illa verò ad bonum alterius, nempe proximi; ergò &c. Soluuntur potissima hæreticorum argumenta.

Primum argumentum est: Qui non habent Spiritum Sanctum, peccata remittere non possunt; ergò nec baptizare, nec absoluere, nec aliud Sacramentum ministrare; sed homines impij, & nequam non habent Spiritum Sanctum; ergò Sacramentum nullum poterunt ministrare. Antecedens patet ex illo lo. 20. *Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* quorum verborum planus sensus est, quod sacerdotes spiritus sancti virtute, quam in se habere debent, peccata possunt remittere, &c.

Respondetur dupliciter. Primò, qui non habent spiritum sanctum assistentem peccata remittere non possunt, verissimum est; assistit namque spiritus sanctus, ut auctor est D. August. lib. 3. de Bap-

tismo cap. 10. communicando virtutem sacramentis; sine namque spiritus sancti virtute sacramenta gratiam sanctificantiem causare non possunt, secundò responderi potest: qui non habet spiritum sanctum, hoc est potestatem absoluedi à peccatis, quæ cum sit spiritualis, & Diuina spiritus sancti potestas dici potest, à peccatis absoluere non poterit, quod etiam verum est, soli namque sacerdotes legitime ordinati habent hæc spiritus sancti potestatem remittendi peccati ut patet; patet autem, quod spiritus sanctus, & potest assistere alicui, etiamsi sit in peccato mortali, & potest quis talem spiritus sancti habere potestatem, etiamsi à spiritu sancto per peccata sit separatus, & elongatus. Adde quod cum D. August. super illum locum lo. & D. Amb. in Psal. 118. ser. 10. per spiritum sanctum, in illis verbis, spiritus sancti gratiam intelligant, quia nimirum in ordinatione gratia conferatur spiritus sancti, nisi ponatur obex; etiam de spiritus sancti gratia intelligi optime pote-

potest, non tamen inde sequitur, quod qui gratiam tunc temporis non recepit Spiritus Sancti, vel si illam recepit postea per peccatum Lethale amisit, quod Sacramenta ministrare non possit; sunt enim ista valde diuersa; non enim Spiritus Sancti gratia in ordinatione data, est ipsa potestas Sacramenta conficiendi, sed datur gratia ut dignè conficiantur; qui ergo gratiam Spiritus Sancti non habet, Sacramenta ministrare potest, sed non dignè; an autè dari possit casus quo quis in peccato mortali existens Sacramentum conficiat sine nouo peccato, infra Deo dante dicetur.

Secundum argumentum est desumptum ex illo Ecclesiastici 34. *Ab immundo quid mundabitur; & infra: qui baptizatur à mortuo, & iterum sangit eum, quid proficit lautio illius.* Vbi aperte satis innuitur, quod qui immundus est non potest alium mundare, & qui peccatis mortuus est non potest alium lauare, seu baptizare; ergo &c.

Responderetur, quod ab im-

mundo quatenus tali nihil mundari potest; Sacramenta namque nullam recipiunt immunditiam ab immundo ministro, cum ab illo suam non recipiant virtutem, sed ab Agno immaculato, & mundissimo. Verba autem sequentia: *qui baptizatur à mortuo &c.* non faciunt ad rem, ibi enim ut rectè D. adnotauit Augustinus lib. 2. contra Cretonum cap. 24. & 27. fit sermo de illa Iudæi populi cæremonia, qua qui tangebatur mortuum, & sic irregularitatem illam contrahebat legalem, se se lauabat: & sensus illius sententiæ est, quod sicut lautio illa nihil proficiebat ei, qui post talem lautionem non curabat manere mundus, nec se abstinebat à mortui contactu; sic nihil proficere homini sua peccata de fere, & statim illa iterum committere; propterea subiungit Spiritus Sanctus: *sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se & oratione illius quis exaudiet.* Ut ergo vides non loquitur Spiritus Sanctus de lautione
alte.

alterius per Baptismum facta, ex contextu illius capitis liquet, & sic nihil contra nos.

QVAESTIO V.

An minister deputatus, Sacramenta in mortali peccato ministrans peccet mortaliter.

Sacramenta quatenus administrantur sunt in duplici differentia, alia sunt quæ in sui consecratione, & administratione ministri requirunt consecrationem, ut sunt Eucharistia, Confirmatio, Extrema unctio, Pœnitentia, & Ordo; hæc enim Sacramenta, ut patet non nisi à ministro consecrato, & deputato consecrari possunt; alia vero sunt, quæ ministrum consecratum, & deputatum non requirunt ut sūt Baptismus tempore necessitatis, & Matrimonium; his positis duabus conclusionibus rem totam breuiter explicabimus.

Prima conclusio. Minister non consecratus Sacramentum ministrans in peccato

mortali, non peccat mortaliter, verbi gratia obstetrix in mortali existens, baptizans per eorum necessitatis tempore, non peccat mortaliter; ita contra Lugo, & alios tenet Diana parte 10. tract. 16. resol. 27. cum Decastillio, Leandro, & alijs, cum quibus ampliatur ad Sacerdotem tempore necessitatis baptizantem, quod etiam prius docuerat tom. 2. de Sacramentis resol. 10. cum Io. de la Crux, Nugnez, Syluestro, Caietano, Suarez, & alijs cuius rei ratio est, quia ut benè aduertit Nugnez sicut laicus tunc non peccat, quia non vitur potestate spirituali, nullum actum ordinis spiritualis exercendo, sed facit, quod omnibus ho-

minibus ex Diuina institutione est concessum; ita tunc temporis Sacerdos non agit ut minister ex officio, sed ut necessitati patientis subueniat, neque actum suae potestatis exercet, sed eum actum exercet, qui etiam laicis permittitur. Similiter Sacramentum Matrimonij administrans, secundum hoc praecise mortaliter non peccat, licet aliunde peccet qua recipit; ita Doctores citati, & ratio est eadem ut prius: de Parocho autem Matrimonio assistente nulla est difficultas, cum Parochus non conficiat Sacramentum, sed praecise assistat tanquam publicus testis, ad hoc omnino necessario requisitus ad hoc ut contrahentes valide Sacramentum sibi inuicem administrent.

Secunda conclusio. Minister Sacramentorum consecratus, & ex officio deputatus, si illud in mortali peccato administret mortaliter peccat. Haec conclusio est communis in scholis, ita quod oppositam sententiam quam sequitur Croufers apud Dianam 6. p. tract. 6. rehol. 53. quam-

que probabilem vocat Vitalis in area Theologiae moralis tit. de Ministro Sacramenti inquisitione vnica num. 69. & 75. improbabilem communiter vocant, & fuit deleta ex operibus Hieronymi Lhemas ut notauit Diana vbi supra.

Hanc conclusionem probat Gratianus multis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quae passim in auctoribus videri possunt; ego contentus ero referre decretum Gregorij 9. in cap. *quaesitum de* temporibus ordinandorum, vbi sic habetur. *Quaestum est de Sacerdotibus vel alijs clericis qui per reatum adulterij, periurij homicidij, vel falsi testimonij bonum conscientiae re ete perdididerunt, & infra. Respondemus quod si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hic (praeter reos homicidij) post penitentiam in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri: qui si non penituerint monedi sunt, & sub interminatione Diuini iudicij obtestadi, ut in testimonio sua damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.*

Hanc etiam conclusionem probat D. Thomas ar. 6. huius quæstionis 64. in argumento sed contra, ex D. Dionysio cap. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ex epistola ad Demophilum, & in corpore articulatione sequenti. *Aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, ut patet per Philosophum in lib. ethi. dictum est autem conueniens esse ut Sacramentorum ministri sint iusti, quia ministri debent Domino confirmari secundum illud Leut. 19 Sancti eritis quoniam ego sanctus sum. & Ecclesiastici 10. secundum iudicem populi, sicut et ministri eius. Et ideo non est dubium quia mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ indispensatione Sacramentorum peccent. & quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa sint incontaminabilia) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. Hæc D. Thomas. Respondet Croufers in Regulam Sancti Francisci cap*

7. lectione 21. quod licet ex vi istius Angelicæ rationis colligatur inferri aliqua irreuerentia Sacramentis, non tamen sequitur quod talis irreuerentia sit mortalis, sed ad summum erit venialis, quam Croufers solutionem aliqui quibus Croufers sententia arridet sic explicant, quia Sacramentorum ministri sunt tantum quædam Dei, & Christi instrumenta tam respectu Sacramentorum quam gratiæ sanctificantis, suscipiatis conferendæ instrumentum autem quatenus instrumentum non postulat gratiæ statum, cum hanc non conferat meritorie, & ei sufficiat, quod causæ principali conformetur in ratione causandi, quod habet eo ipso quod cum debita intentione à ministro applicatur; tum quia non tanta requiritur excellentia in instrumento, quantum in causa principali, cum eius concursus instrumentarius dumtaxat sit; ergo &c.

Sed contra, quia si Sacramentorum minister Sacramenta in mortali peccato ministrans, irreuerentiam irrogat ipsis Sacramentis, & Deo, & Chri-

Christo, quibus debet se conformare, talis irreuerentia non potest non esse mortalis, & ratio D. Thomæ id conuincit; ergo &c. probatur, quia talis irreuerentia fit Christo in principalissima ipsius actione, & contaminantur principalissima ipsius instrumenta; sed hæc irreuerentia non potest non esse grauissima; ergo &c. Minor ex se certissima est; si enim semel verum est quod actio Sacramentorū sit principalissima; & quod ipsa Sacramenta sint Dei, & Christi potissima instrumenta separata, aperte sequitur quod illa irreuerentia debeat esse grauis; alioqui nulla irreuerentia Deo irrogata in actionibus, & instrumentis eius, grauis esset, & sic qui irrogaret irreuerentiam operibus Dei in linea naturali, nunquam grauem committeret irreuerentiam. Maior probatur, quia Deus ad extra nullam habet, nec habere potest actionem excellentiorem illa qua medijs Sacramentis gratiam habet causare; cum enim gratia sit Diuinæ essentiae participatio, & in ordine supernaturali prin-

cipem obtineat locum, actio productiua illius, & instrumenta illa quibus hæc gratia producit, qua talia sunt, eundem locum obtinebunt, & per consequens grauissimam arguet indecentiam ad tam altam, & sublimem actionem. accedere in peccato mortali; quis enim dicet quod esse ministrum Dei in adeo excellenti actione, adeoque graui peccatum dumtaxat sit veniale? non ne tunc homo est minister Dei? nonne vices Dei gerit in hoc quod est alios sanctificare, iustos reddere, confortes Diuinæ naturæ facere, homines Deo gratos reddere, & filios eiusdem Dei constituere? tum quia opus adeo excellens agit in sordidissimo peccati mortalis statu, & dum in Dei inimicitia reperitur. vnde sicut peccaret mortaliter femina quæ in peccato mortali Deum conciperet, cū ad solā humanitatē eius actio extēderetur; non ad vnionem hypostaticam; ita mortaliter peccaret, & de facto peccabit, qui non humanitatem attingit; sed gratiam ipsam sanctificantem; propter quam

rationem priusquam Christus Dominus potestatem hanc excellentissimam Sacramenta ministrandi conferret, dare voluit Spiritus Sancti gratiã, illis verbis; *accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata &c.* & ad hoc referri potest commune illud dictum ex D. Dionysio Areopagita de Ecclesia Hierarchia, *Omni-um diuinorum, diuinissimum esse, Deo cooperari in salutem animarum.* Vnde licet de ratione instrumenti vt sic, nõ sit quod habeat gratiã statũ, sed solum quod se conformet cum agente in ratione agendi; tamen hoc est de ratione talis instrumenti quod habet gratiam producere, homines sanctificare, & filios Dei reddere: iniquissimum autem esset diaboli filium, filios Dei facere, gratiam conferre, &c.

Confirmatur, & explicatur magis præcedens impugnatio, per quod D. Thomæ ratio magis corroborata manebit. Nam supposita Sacramentorum nouæ legis institutione, consurgit in ministro ad id deputato debitum con-
 q4

turalitatis erga Sacramenta, tum ratione deputationis, tum ratione rei cui deputatur: ratione quidem deputationes vt ea præstet, quæ suæ debentur deputationi, ratione verò rei deputate, vt Sacramenta pertractet ea reuerentia, & excellentia quam res deputata requirit. Atqui hæc excellentia alia esse non potest nisi status gratiæ; ergò &c. Maior pater in omnibus officijs, & ministerijs publicis, tum priuatis; omnis enim cuiusque officij minister titulo conaturalitatis, seũ iure naturæ, seũ ex vi ipsius officij cui deputatur, tenetur seruare ea omnia quæ ex vi illius officij seruari debent. Minor etiam patet, quia cum Sacramenta sint res excellentissimæ; & officia Sacramentalia sint dignissima, titulo conaturalitati, tenetur Sacerdos deputatus quando vt talis administrat; vt idoneus minister se gerere, per talem namque deputationem, vt patet ex ipsa ordinatione ad statum gratiæ euehitur; ergò etiam in eodem gratiæ statu debet Sacerdos deputatus, Sacramenta quibus

mini-

ministrandis fuit deputatus ministrare.

Hanc impugnationem desumpti ex Angelico præceptore art. citato in solutione ad primum ubi habet: *Opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, nisi sicut quaedam iustitiæ pars, & ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus amplius sanctificatur, si vero sit peccator per hoc ad sanctificationem disponitur. sed Sacramenta in se ipsis sanctificationem quadam habent per mysticam consecrationem, & ideo præexigitur in ministro sanctitas iustitiæ, ut congruat suo ministerio, & ideo incongruè agit, & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.* Vbi ut vides rationem fundamentalem assignat D. Thomas quare ministrans in mortali minister deputatus, & consecratus peccet mortaliter, quæ non est ius aliquod positivum; non humanum, quia id clare nullibi habetur: non divinum positivum, quia id solum habetur de Eucharistia, sed est ius Divinum naturale ortum ex

sanctitate, & natura Sacramentorum, quam habent ex Divina institutione; nam negari non potest quin sit irreverentia grandis, & enormis, contra Sacramentum, institutum ad sanctificandam, & mundandam conscientiam, quod efficiatur ab immundo, & sordido ministro ad id consecrato &c.

Probatum secundo nostræ conclusio ad hominem, ut dicitur, contra oppositum sentientes, quia si quis ex mala intentione mortali, aliquod Sacramentum administret peccat mortaliter, ut si quis Sacramentum Pœnitentiæ ministrat animo fornicario, non solum iste peccat mala illa voluntate, verum etiam, quia facit gravem iniuriam Sacramento, utendo ipso ad malum adeo finem; ergo etiam peccabit mortaliter si in alio habituali peccato accedat, verbigratia post fornicationem; Antecedens concedunt omnes, nullus enim sanæ mentis dicere audebit, quod si quis abutatur Sacramento ad malum finem gravem, non peccet contra reverentiam Deo, & Sa-

& Sacramentis, quæ sunt Dei instrumenta ad sanctificandas animas, debitam. Consequentia probatur, quia ideo peccatum illud aduale est grauis irreuerentia Deo, & Sacramentis debita, quia Sacramenta sunt res sacræ à Deo ordinatè ad finem sacrum, extrahere autem illa à suo fine, & ordinare in finem prauum maxima peruersio est; sed hæc etiam ratio euincit de accedente in peccato habituali; ergò &c. nam peccatum etiam habituale adest irreuerentiam Sacramentis, & facit esse indignam Sacramenti pertractationem, & administrationem, & per consequens erit peccatum mortale contra ius naturale Diuinum, obligans Sacramenti ministrum ad se conformandum sanctitati Sacramenti, & auctoris illius, &c.

Confirmatur, quia Sacramenta legis antiquæ, quæ minus sancta erant quam nostra, requirebant sanctitatem in ministro, vt patet Leuit. 21. ergò multo magis nostra. Nec valet dicerè, vt quidam dicunt quod illa antiqua Sacramen-

ta requirebant ministri sanctitatem iure dumtaxat Diuino positiuo, ita præceperat tunc temporis Deus; at vero in lege noua, tale non extat præceptum. Nam contra est quia tale præceptum legis antiquæ, fuit quædam iuris naturalis declaratio, & explicatio, quod nimirum sancta, sanctè pertractentur, cum enim ille populus valde rudis esset, ferè omnia illi explicabantur; at vero in lege gratiæ non erat hoc necesse, sed sufficiebat ipsum ius naturale Diuinum, quo iubetur quod sancta sanctè tractentur, & quod seruus Domino conformetur. & minister causæ principalis; sicut in quacunque re publica rectè gubernata, & in quacunque domo &c.

Probaturo tertio nostra conclusio, quia Sacramentorum ministri ad ea dignè ministranda consecrantur, per quæ consecrationem, & gratiam recipiunt, & ius ad auxilia datur, per quæ, talia Sacramenta dignè administrant; ergò tenentur ex horum vi dignè, & in statu gratiæ Sacramenta administrare. Antecedens vt

ex se patet, omnino certum est; ideo enim Sacerdotes consecratur, ut gratiam recipiant Sacramentalem, quæ ius ad illa auxilia confert, per quæ dignè suo fungantur munere, gratiam namque sacramentalem proportionata consequuntur auxilia, Consequentia probatur, quia ex vi collatæ gratiæ sequitur quædam obligatio ex parte Dei ad dandum specialia auxilia; ergò in ministro poni debet obligatio ad Sacramenta ministranda in statu gratiæ, intercedit namque quidam contractus inter Deum, & ministrum, vi ordinationis, & quilibet tenetur suam partem præstare, nam Deus se obligavit conferre auxilia ministro consecrato; & minister consecratus tenetur præstare suam partem, nempe taliter se gerere, quod illis uti possit auxiliis; sed ob reuerentiam Dei, & Sacramentorum &c.

Sed hæc ratione aliqui impugnant, & argunt falsitatis, ut Isamb. & P. Meratius hic, & alij, quia inquirunt ex illa sequeretur, quod si consecratus coram Tyranno fidem

in mortali peccato protesta retur peccaret mortaliter, quia se priuat auxiliis Diuinis in ordine ad talem fidem exterius protestandam ex officio. Similiter vxoratus petès, vel reddens debitum in mortali peccato, mortaliter peccaret, quia se priuauit gratia quæ dabat ius ad illa auxilia, quibus actus conjugalis legitime fiat; hæc & huius generis alia sunt falsa, ergò &c. Sed hæc omnia procedunt ex malo intellectu rationis positæ; non enim nostræ rationis sensus est, quod se priuare auxiliis in ordine ad hunc, vel illum actum, qui post receptum Sacramentum sequitur, sit mortale peccatum, etiam si talis actus sit regulatus per gratiam Sacramentalem, seu sit quidam actus præacti Sacramenti; hoc enim ut patet falsum est, non enim est nouum peccatum reddere debitum sine auxiliis Sacramentalibus vel profiteri fidem coram Tyranno, & sic de aliis, ut patet. Sed nostræ rationis sensus est, quod tenetur minister gratiam conseruare, quæ tribuat auxilia ad Sacramenta

menta dignè ministranda .
Soluuntur argumenta partis
oppositæ .

Primum argumentum quo
vritur Croufers est tale, quia
si Sacramentorum minister
peccaret mortaliter Sacra-
menta ministrando in pecca-
to mortali maximè, quia
irreuerentiam contra religio-
nem ipsis sacramentis irroga-
ret; sed hoc est falsum; ergò
&c. Minor probat, quia hæc
irreuerentia rationem non
habet sacrilegii, non enim
omnis irreuerentia sacrilegi-
um est, alioqui, inquit, qui in tem-
plo scurilitatem, aut turpilo-
quium admitteret, sacrilegius
esset, quod nullus vnquam as-
seruit; quod autem hæc irre-
uerentia, quæ Sacramentis fit
sacrilegiū non fit probat ex de-
finitione sacrilegii quam tra-
dit D. Thomas 2. 2. q. 99. art.
2. & 3. *quod fit violatio rei
sacre in eo quo sacra est*, vnde
qui percussit Virginem non
peccat peccato sacrilegii, eti-
am si votum habeat castitatis,
secus si ipsam violet. Atqui
sacerdos ministrans in mor-
tali non violat rem sacram,
qua sacra est; ergò &c. probat

minorem, quia actio Sacra-
mentalis in tantum sacra est,
in quantum sacrat recipien-
tem, quæ sacratio recipientis
non violatur ex mala consci-
entia ministrantis; ergò &c.

Respondetur concedendo
maiolem, & negando mino-
rem ad probationem negatur
antecedens, omnis enim irre-
uerentia rebus sacris exhibita
sacrilegium est, non tamen
semper peccatum mortale est,
nisi materiæ grauitas adsit,
vel contemptus; vnde scuri-
litas, & turpiloquium in loco
sacro sacrilegium est, sed ve-
niale, vt bene aduertit Lugo
de pænitentia disput. 16. lect.
10. num 466. Eo enim ipso,
quod quis violat rem sacram
qua sacra est (ita quod res sa-
cra se teneat ex parte obiecti
actionis) cum priuetur reue-
rentia illi debita, violatur; per
quod patet ad illud de Virgi-
ne; dum enim quis illam per-
cussit, etiam si habeat votum
castitatis non facit irreueren-
tiam Virgini, qua votum ha-
bet castitatis, quia respectu
illius actionis perinde se ha-
bet votum; secus quando vi-
olatur. Adde quod in tali
per-

percussione scienter facta irreuerentia venialis intercedit, quia in genere moris illa irreuerentia personæ sacræ ex voto præcisè castitatis, leuis videtur. At vero si loquamur de irreuerentia facta Sacramentis à ministro in mortali ministrante, omnino grauis est, cum sit violatio rerum grauissimarum; Sacramenta namque cum contineant in se moraliter Sanguinem Christi, & valorem infinitum meritum ipsius, & minister medijs Sacramentis eundem Sanguinem, & merita dispenset, & hoc in persona Christi, quam immediatè repræsentat sequitur esse contra dignitatem, & Sacramentorum, & Personæ quam repræsentat, si in mortali peccato id faciat, fit enim vnum agens cum Christo, cum ad hoc sit specialiter consecratus, & specialiter dedicatus, ad munus susceptum dignè exercendum.

Secundum argumentum Croufers est, quia gratia in ministro exigitur dumtaxat ex quadam congruentia, & decentia vt loquitur D. Thomas in articulo; sed quod hoc

modo requiritur, non affert grauem obligationem; ergò: maior non solum est D. Thomæ, & Caietani, verum, & omnium Theologorum, quia status gratiæ non requiritur ex necessitate, cum sine illo Sacramentum teneat, vt supra dicebamus; ergò solum ex decentia, & honestate. Minor probatur ab illo autore, quia ea solum grauem afferunt obligationem, quæ ad essentiam Sacramenti requiruntur, & sine quibus Sacramentum euanidum esset; ergò &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico, quod non solum grauem afferunt obligationem, quæ ad essentiam Sacramenti requiruntur; verum etiam quæ ad decentiam; cum enim Sacramenta, vt dicebamus, sint res grauissimæ, maxima illis reuerentia exhibenda est, & maxima cum decentia, & honestate pertractanda.

Tertium argumentum est, quia si ministrans in peccato mortali Sacramenta solemniter, peccaret mortaliter ob de

centiam, & reuerentiam Sacramentis debitam, etiam administrans sine solemnitate in peccato mortali, propter eandem rationem mortaliter peccaret; semper enim Sacramenta sunt res grauissimæ, & per consequens à quoquam administrari debent cum decencia, & honestate; sed hoc secundum non dicitur; ergò neque primum dici debet; ita enim minister necessitatis verum conficit Sacramentum, sicut minister solemnitatis; & ita ille ministrat in nomine Christi ac iste: & quia solemnitates iste sunt aliquid extra essentiam Sacramenti, cum non sit sermo de solemnitatibus essentialibus, sed accidentalibus.

Respondetur negando maiorem, ratio discriminis est illa, quam assignat D. Thomas, nimirum, quia minister solemnitatis Sacramenta conficit ex consecratione, & ex speciali deputatione, & medio characteris, vel ut clarius dicam, ut proprius, & formaliter minister; qui est minister necessitatis, causat quidem gratiam, sed non ex consecratione;

causat gratiam, sed non per formalem cum Christo assimilationem; gratiam causat, sed sicut res insensibilis, & assimilatur Christo instrumentaliter, sicut res inanimata, & non per decenciam, per honestatem, per gratiam; & hoc est esse minister necessitatis; esse autem minister solemnitatis est Sacramenta, conficere imitando Christum in decencia, in honestate, in gratia, &c.

Quartum argumentum est, quia si minister solemnitatis peccaret mortaliter conficendo Sacramenta in mortali, sequeretur quod duo peccata peccaret, nempe peccatum sacrilegij contra reuerentiam Sacramentis debitam, & peccatum contra præceptum contritionis, cum sit tunc temporis talis præcepti obligatio; hoc dici nequit; ergò &c.

Respondetur negando sequelam maioris: licet enim sint duo præcepta contritionis, & religionis, non tamen sunt duo peccata; tunc enim duorum præceptorum violatio, duo peccata inducit, quando ex diuersis procedunt motiuis,

tiuis, secus quando ex eodem, vel vnum fit ex motiuo alterius; cum ergo præceptum cōtritionis tunc temporis non obliget ratione sui, sed ratione alterius, nempe ob dignā, & honestam Sacramenti trāstationem, propterea vnum dumtaxat peccatum intercedit ex vtriusque violatione.

Ex quibus inferuatur aliqua notata digna. Primum est confessarium audientem confessionem in peccato mortali, si antequam absoluat conteratur, non peccare mortaliter; ratio est; quia confessarius Sacramentum non administrat dum audit confessionem, tunc enim solum audit materiam à penitente appositam, & merè passiuè se habet, & sic obligatio status gratiæ vrget solum pro eo puncto in quo fit Sacramentum, nempe dum penitentem absoluit; ita Decastillius hic disput. 3. dub. 10. num. 220. & alij plures; idem dicit de penitente quod non teneatur de peccatis conteri nisi in puncto quo absoluitur.

Sed maius dubium est an Sacerdos teneatur esse in sta-

tu gratiæ quando imponit penitentiam Sacramentalem, seu satisfactionem, sicut tenetur esse quando penitentem à peccatis absoluit. Respondet Lugo disput. 8. sect. 10. num. 160. quod si sequamur illorum sententiam, qui dicunt Sacramentalem penitentiam nullam producere gratiam ex opere operato, sed solum producere ex opere operato penitentiæ peccatis debitæ remissionem, tunc dicendum est non esse peccatum mortale satisfactionem penitenti imponere in peccato mortali, tunc enim temporis illa actio non est tam sancta, tamquæ excellens quod ad eam ponendam gratiæ status requiratur, sicut ob eandem rationem non peccat Pontifex, vel Episcopus indulgentiam concedens in peccati statu. At vero si sequamur illorum sententiam qui dicunt Sacramentalem satisfactionem augmentum gratiæ sanctificantis operari, dicendum est, requiri in Sacerdote statum gratiæ, quando imponitur, quia tunc, inquit Lugo concurrat ad conficiendum Sacramentum in ratione

sanctificantis, & producentis gratiam. Sed non video quomodo Sacramentalis satisfactio concurrat ad conficiendum Sacramentum in ratione Sanctificantis, & producentis gratiã, licet enim soleat frequenter satisfactio imponi antequã absolutio detur, tamen solet etiam non infrequenter post datam absolutionem imponi, & sic, si semel gratiam producit, non est prima, sed augmentum illius; vnde ille auctor videtur repugnantia dicere in quatuor lineis; dum ex vna parte dicit Sacramentalem satisfactioem ex aliquorum sententia augmentum gratiã producere, & postea dicit quod concurrat ad conficiendum Sacramentum in ratione sanctificantis, & producentis gratiam, si enim hoc secundum præstat, primam gratiam per se producere habebit, non augmentum illius. Sed quidquid de hoc sit, dato quod satisfactio Sacramentalis augmentum gratiã ex opere operato producat, cum non sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiã sed integralis dumtaxat, cum ipsum Sacramentum supponat secun-

dum omnia sua essentialia, & secundum gratiã causalitatẽ; cum Sacramentum causet gratiam tunc, satisfactio verò, solum quando suo tempore ponitur, quod potest esse multum post, vt suo loco dicitur; dico quod Sacerdos talem imponens satisfactioem in peccato lethali non peccat lethaliter, sed venialiter dumtaxat, & ratio est, quia licet illa actio imponendi satisfactioem sit satis sancta, non tamen pertingit ad Sacramenti sanctitatem; Sacramenti namque sanctitas non ex sola gratiã causalitate desumitur, verum etiam ex aliis multis capitibus; nimirum quia sunt quidam canales meritum Christi; quia participant virtutem passionis, & mortis Christi; quia sunt propria eiusdem Christi instrumẽta &c. at vero illa satisfactio licet prædicta aliquo modo participet, non tamen ratione sui, sed ratione ipsius Sacramenti, cuius est pars integralis. Deinde Sacerdos non peccat præcisè quia Sacramentum in lethali administrat, sed ex eo quod solemniter, sed ex deputatione, & tanquam representans

formaliter Christi personam, quod habet propriè dum Sacramentum conficit, non dum satisfactionem imponit, quia satisfactio gratiæ augmentum non producit prout dicit actionem Sacerdotis imponentis, seù prout est actio Sacerdotis, sed prout est actio penitentis, quod patet, quia tale gratiæ augmentum non producitur quando Sacerdos satisfactionem imponit, sed quâdo penitens illâ exequitur.

Inferitur secundo Episcopû consecratem Ecclesiam, vel calices, vel benedentem corporalia in peccato mortali nõ peccare mortaliter, quia tales actiones non sunt Sacramentales formaliter, vt pater. Similiter Sacerdos cantans Orationem, vel Capitulum solemniter in peccato mortali non peccat mortaliter; sicut nec Diaconus, nec Subdiaconus, & multo minus minorum ordinum Clerici, solemniter, & ex officio ministrantes in mortali, mortaliter delinquût ita Vasquez, Lugo, & alij magis communiter, licet Nugnez hic, hoc neget de Diacono, vult enim Diaconum solemniter ministrantem peccare

mortaliter, si in peccato mortali id faciat, quia inquit ille, officium Diaconi est vltima dispositio ad Sacerdotiû, vltima autem dispositio etiam in naturalibus ad speciem formę reuocatur. Sed hæc ratio nulla est, quia non aliter minister peccat, nisi quia Sacramentum conficit, patet autem quod tale Diaconi officium non est alicuius Sacramenti effectuum; nec est Diaconatus vltima ad sacerdotium dispositio necessitatis, quia, sine illo conferri potest sacerdotium; omnes namque concedunt, quod si quis non Diaconus sacerdotium susciperet esse verè sacerdos, &c.

Maius dubium est de Episcopo conficiente Chrisma, & benedicente oleum infirmorum in peccato mortali, an peccet mortaliter; negat Vasquez hic cap. 4. num. 48. affirmat Lugo supra num. 156. quia, inquit, actiones iste sunt sacramentales, per quas licet non perficiatur sacramentum Confirmationis, & Extreme unctionis per illas, incipiunt tamen illa sacramenta, cum Chrisma conficit, & Oleum infirmorum.

infirmorum benedicatur, Cum enim Chrisma, & Oleum benedictum sint materia illorum Sacramentorum sequitur, quod ille actiones consecratiua, & benedictiua, constituent materiam in ratione materiae; & sic, sicut Eucharistia in omnium sententia, inquit, requirit statum gratiae quando fit, quia tunc Sacerdos ponit materiam proximam Sacramenti Eucharistiae, quae postea quando applicatur causat gratiam, sic idem dicendum est de ponente materiam, Confirmationis; & Extremae unctiois, quia quando illa Sacramenta conferuntur, non causant gratiam ratione materiae praecise, sed ut consecratae, ut benedictae, & sic ille actiones ad gratiam causandam concurrunt, & per consequens debet in statu gratiae poni, alioqui mortale peccatum ponetur, &c.

Sed haec doctrina non placet, licet enim Episcopus conficiens Chrisma, & benedicens Oleum, materiam remotam illorum sacramentorum conficiat (proxima namque est ipsa unctio, vel confi-

gnatio chrismate, vel Oleo facta) non propterea peccat, alioqui penitens dum confitetur peccata sua in mortali, cum tunc ponat materiam remotam sacramenti Penitentiae, mortaliter delinqueret, & sacerdos talem audiens confessionem in mortali peccaret mortaliter, quod nec ipse Lugo concedit, alioqui praeparantes aliorum sacramentorum materias remotas, mortaliter peccaret, si id in mortali facerent, ut conficientes Hostias, quae sunt materia sacramenti Eucharistiae in peccato mortali peccaret mortaliter, facientes vinum, illud ex uvis exprimendo, similiter mortaliter peccarent; item conficiens aquam ex niue, vel gelu ad baptizandum infantem in mortali, peccaret mortaliter, quod nemo huiusque ausus est dicere. Nec iuuat quidquam exemplum ob illo auctore allatum de conficiente Eucharistiam in mortali, nam tunc verum conficit sacramentum ut patet, nec placet mihi modus loquendi illius auctoris, quod sacerdos consecrans ponat materiam remo-

remotam sacramenti Eucharistiæ, quia vt infra tract. 4. disput. 1. dicitur, species Sacramentales non sunt materia remota, sed proxima.

Infertur tertio Sacerdotem alijs ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter, ita Lugo cum Vasquez & alijs quos refert, & sequitur Diana Tom. 1. de celebratione Missarum. resol. 23, ratio est, quia tunc Sacerdos non conficit Sacramentum, sed iam confectum porrigit, quæ porrectio licet actio quidem sancta sit, non tamen ipsa sanctificat, aut gratiam confert, sed solum localiter Sacramentum mouet, & applicat, eodem modo, quantum ad hoc, ac illud moueret laicus, si Sacramentum acciperet de altari, aut de terra sumeret; adde quod dato esse mortale peccatum in mortali communicare, non tamen ot sunt peccata mortalia quot sunt personæ quæ communicantur, sed vnum dumtaxat; cum non sit nisi vnica moralis distributio, & vna indigna administratio, vt alibi dicitur. Sicut audiens plures cõ-

fessiones successiue, vnum tantum peccatum mortale committit, vt docent plures quos refert Diana to. 1. de Circumstantiis aggravantibus resol. 43. & nos alibi Deo dante dicemus,

Infertur quarto, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali non committere tria peccata mortalia, nempe quia consecrat, quia sibi ipsi ministrat, quia suscipit Sacramentum, vt volunt aliqui apud Dianam de Celebratione Missarum resol. 34. Neque duo, vt cum alijs apud eundem auctorem vult Cardinalis de Lugo, nimirum suscipiendo Sacramentum, & conficiendo in mortali; sed vnum tantum vt tenet idem Diana loco citato & 10. parte tract. 16. resol. 27. cum Decastillio hic num. 235. cuius rei ratio est, quia conficere Sacramentum, ministrare sibi, & communicari, vnum opus adequant, & per consequens vnum solum peccatum mortale erit.

Infertur quinto à fortiori non esse peccatum mortale, tangere in mortali corporalia Calices, Reliquias, &c. similiter

liter si laicus in mortali Eucharistiam eleuaret de terra, si abesset Sacerdos qui hoc præstaret, quia sicut obsequium non iniuriam præstasset Christo dum erat in viuis si lapsum subleuasset in mortali existens, ira & in nostro casu; nullo tamen modo hoc temere fieri debet Ozæ exemplo, &c. Bonac. disput. 1. quæst. 3. puncto 2. numer. 13. & alij.

Infertur vltimo peccare mortaliter Sacerdotem, qui Sacramenta confert sine debita iurisdictione, vel rationabiliter de ea dubitans, vel qui censura est prohibitus, propter rationes dictas. Igitur si Sacerdos est in peccato mortali antequam ministret, debet

confessionem præmittere si est Sacramentum Eucharistiæ, vel contritionem, si sunt alia ab Eucharistia, præceptum namque præmittendæ confessionis solus est Eucharistiæ, &c.

Aduerte tamen, cum Vasquez vbi supra cap. 3. num. 40. & sequentibus. Lugo hic num. 151. aliquando ministrum in mortali ministrantem sine contritione, vel confessione à nouo peccato excusari, potest enim tunc temporis, vel propter nimis breuem morulam quo Sacramentum debet administrari, vel propter nimiam conturbationem, nihil deliberare de contritione præmittenda, de quo tamen alibi Deo dante fusius.

QVAESTIO VI.

An minister obligationem habeat non ministrandi Sacramenta indignis.

Hanc quæstionem solent communiter auctores pertractare cum D. Tho

ma in frâ quæstione 80. art. 6. vbi D. Thomas quærit, an Sacramentum Eucharistiæ dari debeat

debeat peccatori petenti; tamen vt vniuersalior sit pro omnibus Sacramentis hic illam in communi pertrahimus. Est ergò communis doctrina quod quando minister potest commodè indignam Sacramenti susceptorem vitare, hoc debeat facere; dixi in dignam susceptionem, quia si sciret præcisè alium esse in mortali, tamen ille suum ignoret peccatum, & bona fide accederet, tanta non esset ministri obligatio, & facilius posset excusari; ratio autem propter quam tenetur minister per se loquendo, indignam impedire Sacramenti susceptionem est, quia vt notauit in præsentì Suarez disput. 18. sect. 2. Sacerdos est Sacramentorum dispensator, boni autem dispensatoris munus est legitimè rem dispensare; quod si minister per se loquendo tenetur indignam Sacramenti susceptionem impedire, multo magis tenebitur nunquam aliquem positiuè inuitare ad indignam Sacramenti susceptionem; esset enim tunc inuitare ad mortale peccatum, quod nullo modo

licet, vt tradunt DD. omnes in materia de scandalo.

Est etiam communis Scribentium sententia, quod publico peccatori siuè publicè, siuè priuatim Sacramentum petat, semper est denegandū, tunc enim temporis maximè Christi præceptum Matth. 7. vrget: *Nolite Sanctum dare canibus*: quis autem sit publicus peccator sequenti disputatione explicabitur, dum declarabimus an à malo ministro liceat aliquando Sacramentum petere. Videatur Suarez in præsentì. Difficultas ergò prælens est. an peccatori occulto publicè petenti conferendum, vel negandum sit Sacramentum. Variæ sunt de hac re sententiæ.

Prima sententia est, Parochum, vel eius Vicarium non posse Sacramentum denegare, cæteros posse; quia occultus peccator habet ius petendi à Parocho, non ab alio; ita Angelus verbo Eucharistia; & alij plures; quod limitat Paludanus, Durandus, Gabriel, Riccardus, Adrianus, Syluester, & alii, quando ille occultus peccator peteret Sa-

eramenta à Parocho, quando Parochus illud administrare tenetur, secus quando non tenetur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Qui libet, siuè Parochus sit siuè nō tenetur ministrare Sacramenta peccatori occulto publicè petenti. Hęc conclusio est communis: quam post D. Thomam docent omnes scribentes hic & quæstione 80. art. 6. cum eodem Angelico præceptore, vnde non est necesse quemquam in particulari referre.

Probatur primò, quia vnusquisque habet obligationem vitandi scandali: cum enim Deus vnicuique mandauerit de proximo suo, vnusquisque vitandi, vel impediendi, quantum fas est, proximi sui ruinã, obligationem habet, sed si Sacerdos quicumque ille sit, siuè sit minister iustitiæ, vt Parochus, siuè charitatis, vt verbigratia regularis non Parochus, denegaret Sacramentum publicè peccatori occulto, alijs scandali occasionem preberet; ergò tenetur, ob scandalum vitandum.

Sacramentum occulto peccatori publicè petenti præbære.

Sed dices cum Lugo, hanc rationem parum probare, quia vel nomine scandali, scandalu verum intelligitur, quod præbeat peccandi occasionẽ, & hoc certè non oritur ex eo quod videant alij hunc expelli ob sua peccata à communionem: quod si nomine scandali intelligas populi administrationem, hoc non est tanti faciendum, vt idcirco irreuerentia erga Sacramentum permitti debeat.

Sed hęc doctrina mihi maxime displicet: negari namque non potest, Sacerdotem publicè repellentem à communionem hominem occultè dumtaxat peccatorem, & publicè habitum vt bonum non præbere populo ruinæ occasionem; nonne illi ex tali expulsionem habent sufficientem occasionem iudicandi illum esse communionem indignum, quem alias putabãt dignum? quod iudicium omnino male est: non enim licet ex scientia priuata hominem publicè infamare, alioqui nullum

lum esset peccatum detractio-
nis, & nulla esset famæ resti-
tuendæ obligatio, cum quis
secretum crimen in palam
reddit, quod tamen nullus di-
cit; si ergò est peccatum mor-
tale occultum crimen mani-
festare, peccatum mortale
erit huius occasionem præbe-
re, scù præbere occasionem
populo de aliquo, quod ha-
bet occultū crimen, per quod
à sacra repellitur communio-
ne; vnde falsum est, quod Sa-
cerdos ob occultum crimen,
aliquem publicè repellens à
Sacramento, solum præbeat
occasionem admirationis, vt
ex dictis liquet; ex quibus pa-
tet illam rationem, si benè in-
telligatur, esse satis bonam.

Secunda ratio, quia quilibet
baptizatus habet ius ad
Sacramenta, quo iure per oc-
cultum crimen non priuatur;
ergò ob crimen occultum nul-
lus publicè repelli à Sacramē-
to potest. Sed hæc etiam ra-
tio displicet Lugo, quia, in-
quit, peccator quamdiū ma-
net in statu peccati nullum
habet ius ad Sacramentum,
verbigratia Eucharistiæ, cum
enim hoc Sacramentum sit vi-

uorum, pro viuis est reserva-
tum, pro illis institutum, illis
solis administrari debet, illi
soli ad hoc ius habent; si ergò
sciam aliquem scientia priua-
ta nullum ad talē Sacramen-
tum habere ius, possum ip-
sum repellere, cum per talem
repulsionem nullam illis irro-
gem iniuriam. Nec valet,
inquit, dicere cum Suarez,
quod licet ille non habeat
ius ad Sacramentum, habet
tamen ius ne repellatur; quia
sicut publicus bonorum com-
muniū distributor non po-
test vti scientia priuata in bo-
norum distributione, alioqui
multa, & magna orientur in
republica inconuenientia, pos-
sent enim ministri facile quos
vellent confamare fingendo
eorum delicta: ita similiter si
Sacerdos posset aliquem ex
scientia priuata repellere à
tali mensa, plura sequerentur
inconuenientia; retraherentur
namque fideles à tali mensa,
ob rationabilem metū, quod
nimirum Sacerdos, præsertim
parum beneuolus, posset ip-
sos publicè infamare fingen-
do crimina, quibus manifesta-
tis repellerentur, &c. Nam

contra hoc arguit Lugo, quia illud vniuersale principium à Suarez assumptum verum nõ est, videmus namque quod illi qui curam habent distribuendi bona, vel officia publica, ius habent ad illos repellendos, quos ex scientia priuata indignos norunt; sic Episcopus potest negare ordinationem, vel beneficium ei quem certò cognoscit indignum, licet ea indignitas ante publica nequaquam esset, sic in regularium etiam obseruantissimorum capitulis, oculta aliquorum crimina manifestantur, vt eorum impediantur electiones.

Sed hæc omnia parũ enervant positam rationem, imò, vt verum fatear, illam magis confirmant; pro quo nota communem DD. sententiam Soti, Nauarri, &c. quos affert, & sequitur Lessius lib. 2. de Iustitia, & iure cap. 11. dubitat. 9. quod quis potest alterius crimen occultum manifestare ad impediendum alterius notabile damnum, quãdo alia via commode vitare non potest: verbigratia quis nouit Petrum esse furem, po-

test eos monere quibus cum habitat; quis se gerit pro Medico, & ego noui eius imperitiam, possum eos monere quibus periculum impendit. Homicidium à Petro commissum Paulo imputatur innocenti, possum manifestare Petrum accisorem, imò aliquando nõ solum possum verum etiam ex charitate teneor, nimirum si graue damnum alijs imminet, nullus enim habet ius ad propriam famam cum graui alterius damno, & hoc potissimum habet locum, quando damnum quod sequitur non solum nocet personæ particulari, verum etiam toti cõmunitati; hinc in electionibus ad officia, dignitates &c. qui habent crimina nociua repelli possunt, eorum criminibus manifestatis; at vero quando ex manifestatione criminis occulti nullum sequitur alteri damnum, nullo modo est manifestandum; cum ergò ex indigna Sacramenti susceptione quando occulta est, nullum sequatur alteri damnum, non est ille talis repellendus per criminis illius manifestationem. Sed dices in fauorem

rem doctrinæ Lugo, quod licet non sequatur damnum alteri creaturæ, sequitur tamen damnum Deo in bonis eius extrinsecis, irrogatur enim maxima, & Deo, & Sacramentis irreuerentia.

Respondetur, negari non posse quin grauis irreuerentia Deo, & Sacramentis non irrogetur, non tamen propter hanc debet occultum crimen manifestari, nisi illa irreuerentia sit, vt ita dicam, formalis, & positua, vt si cuius aliquē petere Sacramentum ad ipsum conculcandum, vel comburandum, vel ad maleficia conficienda, tunc enim temporis reuerentia Sacramento debita præferri deberet famæ petentis, secus quando illa irreuerentia est solum negatiua, & hoc, vel quia vt notauit Vasquez disput. 209. de Eucharistia cap. 3. licet sit maius præceptum religionis quàm iustitiæ, & sic absolute maior cura habenda est de reuerentia Deo, & Sacramentis debita, quam de proximi fama, tamen in hoc casu religionis præceptum non vrget, sed solum præceptum, & obligatio

iustitiæ; quia præceptum, & obligatio religionis non est de non dando Sacramentum indigno absolutè, sed solum de nondando indigno, absque iusta necessitate; cum enim Sacramentum sit institutum propter hominum utilitatem, & vt ad illud recipiendum inuitentur, & non retrahantur, propterea sufficiens ratio apparere videtur ad dicendum tunc temporis religionis præceptum non obligare &c.

Vel etiam dato quod etiam tunc per se obligaret præceptum religionis, cum etiam obliget præceptum iustitiæ de non ledenda proximi fama & hoc maius sit, & fortius obliget, hoc erit seruandum non illud, quoties enim duo vel plura concurrunt præcepta, semper quod fortius vrget seruandum est; quod autem præceptum iustitiæ de non infamando proximum fortius sit, quam præceptum religionis de impedienda Sacramenti irreuerentia, probatur, quia sicut obligatio misericordiæ, qua miseræ proximi subuenitur, obligationi religionis præferatur, qua Deo sacrificium

cium offertur, iuxta illud Osee 6: *Misericordiam volo non sacrificium*; quia sacrificium non offertur Deo ob nostram utilitatem, sed ob utilitatem Dei, non quidem intrinsecam, quia nihil intrinsecæ utilitatis potest Deo accrescere, sed extrinsecam; qua ut supremus rerum Dominus per sacrificium recognoscitur, ob id religionis obligatio cessat, cum proximi miseria videretur, ut illi subveniatur, ita cum obligatio iustitiæ de non infamando proximū cedat in hominum utilitatem, & reuerentia religionis in bonum Dei, hæc obligatio priori cedit, & fortior est illa, & illi præferenda, ut enī diximus, & ipsa Sacramenta ob hominum utilitatem sunt instituta. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum quod est, iam fere solutum ex dictis, tale est: omnis peccator eo ipso quod talis indignus est sacra communione; ergò nullum habet ius ad illam petendam; ergò non debet illi conferri. Antecedens est ex se certum; prima consequen-

tia patet ex dictis, cum enim Sacramentum, verbigratia, Eucharistia, sit instituta in bonum, & remedium hominum, non in ruinam (est enim Sacramentum viuorum) solum viuus, nempe illis in cuius bonum cedere potest dari debet, non illis quibus maioris ruinæ ratio esse potest. Ultima consequentia ex antecedentibus liquet, qui enim nullum habet ius ad aliquid illud dari non debet, si petatur, præsertim quando male petitur, & quando agitur de beneficio quod indigno dari non debet.

Respondetur distinguendo antecedens, omnis peccator eo ipso quod talis, est sacra communione indignus coram Deo, & conceditur; coram hominibus, quando peccatum est occultum, & negatur; eodem modo distinguitur consequens; ergò nullum habet ius ad Sacramentum petendum; nullum habet ius coram Deo conceditur, coram hominibus, quando peccatum est occultum, & publicè habetur ut bonus, negatur: per quæ patet, quod dicendum

fit

fit ad alia quæ in argumento tanguntur.

Secundum argumentum, est, si quis peteret proprium gladium apud depositarium ad occidendum se, vel alium, negari deberet, etiam si illa intentio occidendi se, vel alium esset soli depositario nota, & hoc siue ille peteret in secreto, siue in palam; ergo idem dicendum est in nostro casu. Antecedens concedunt omnes, consequentia probatur, quia non minor est animæ, quam corporis, occisio; ergo si gladius dari non debet ei qui vult suum corpus occidere, etiam Sacramentum debet illi denegari qui vult animam suam interrimere.

Respondetur breuiter concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia damnum corporale virtuti iustitiæ opponitur, quam nullus potest legitimè violare, at vero damnum spirituale, nelli virtuti opponitur, sed ex quocunque peccato mortali sequitur; unde qui fornicatur, præter peccatum fornicationis non committit nouum peccatum oc-

cisionis spiritualis animæ, sed est idem peccatum; at vero damnum corporale siue sibi, siue alteri illarum speciali virtuti opponitur, quam violare non possumus.

Tertium argumentum est, quia si Sacerdos sciret aliquè petere Sacramentum ad illud irridendum, vel conculcandam, nullo modo dare deberet, etiam si hinc infamiæ notam incurreret petens; ergo etiam quando illud petir in peccato mortali. Antecedens concedunt omnes, consequentia probatur, quia non est minor irreuerentia proicere Sacramentum in ignem, vel in sterquilinum quam illud ponere in animam peccatis sordidam; ergo si quando quis primo modo peteret, denegari deberet, etiam quando secundo modo.

Respondetur ex dictis concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia in primo casu positiuæ iniuria interuenit, positiuus contemptus Dei, & Sacramenti, quem vnusquisque vitare debet, conculcatio namque ex sui natura

ra valde est iniuriosa, & contra iustitiam commutatiuam, ideo quam maximè euitare debemus, secus simplex in peccato mortali communio; aliud enim est Regis imaginem non reuereri, aliud illam colculcare, &c.

Sed quæres primo, an Sacerdos possit, ad euitandam peccatoris occulti, publicè Sacramentum petentis, infamiam, & conseruandam reuerentiam Sacramento verbigratia, Eucharistiæ, debitam, præbere illi Hostiam non cōsecratam, loco consecratæ. Respondet aliqui, quos suppresso nomine refert Lugo, affirmatiuè, conscio tamen ipso petente. Sed melior est aliorum responsio quod id fieri nequeat; cuius rei ratio est, quia daretur alijs adstantibus idolatriæ occasio, licet enim ob ignorantiam à mortali peccato excusarentur, negari tamen non posset, quin materialis idolatria tunc remporis non intercederet; vnde sicut peccaret mortaliter Sacerdos qui adorandam exponeret Hostiam non consecratam, ita & in casu prædicto.

Huic periculo obuiā iri posse dicunt aliqui, si Sacerdos cōscio petente, duas acciperet hostias, vnā consecratam & aliam non, consecratam adorandam exponeret, non consecratam in os petentis poneret; sed hoc etiam communiter displicet, primo, quia vix casus dari potest in quo tale pactum cum petente fieri queat, secundo, quia adhuc idolatriæ periculum non euitaretur, cum possent adstantes hostiam quam ille sumeret adorare; tum quia ille idem sumendi actus est religiosus, qui non nisi veræ Eucharistiæ exhiberi debet, &c.

Quæres secundo. Vtrum licitum sit publico peccatori Sacramentum ministrare ob metum mortis, vel notabilis infamiæ, supposuimus supra ex communi DD. sententia publico peccatori, Sacramentum debere denegari, nunc modo quærimus, an aliquando liceat ob metum cadentem in virum constantem, præsertim quando est mortis, vel grauis infamiæ. Respondetur cum Nugnez infra quest.

40. art. 6. difficultate quarta, posse ministrari; & ratio est, quia tunc Sacerdos non cooperatur peccato alterius, nec est causa peccati illius, facit enim actionem de se in differētem, totum enim quod tunc temporis facit Sacerdos est t. a. e. vt possit hic, & nunc sine alterius peccato fieri, quod si non fiat, alterius malitiæ imputatur, nec tenetur cum tanto suo incommodo alterius peccatum impedire, præsertim cum ille iam quo-

ad affectum totum irreuerentiæ peccatum posuerit, secus esset si ad conculcandum Sacramentum illud peteret, vel ad irridendum, & contemnendum; tunc enim temporis teneretur potius Sacerdos mortem subire, quam Sacramentum conculcandum, & contemnendum, conferre; est enim præceptum naturale de impediendo positiuo contemptu Dei, rerumque diuinarum, vt alibi magis explicabitur.

QVAESTIO VII:

An in ministro Sacramentorum aliqua intentio requiratur ad Sacramenta conficienda:

Sacramentorum minister multis modis potest se habere in Sacramentorum confectioe, primò nihil prorsus intendendo, nec interius, nec exterius, sed solum quod proferat verba, & materiam adhibeat, etiam si irritoriè, & iocò, si tē, & mendaciter ac-

tionem illā peragat. Secundo si habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quoad actum solum externū, verbigratia abluendi, & loquendi, interius tamen contrariam, vel disparatam habeat intentionem. Tertio si habeat intentionem faciendi Sa-

S cra-

cramentum saltem, implicite, quatenus intendit facere, quod vera facit Ecclesia, qualiscunque illa sit; seu quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani, vel quod videt fieri ab alijs ministris Catholicis, quæ omnia in virtute, in idem reddunt. Quartò si viterius intendat Sacramenti effectum conferre. De hoc ultimo nulla est difficultas etiam cum hæreticis cum plusque certum sit hanc intètionem necessariam non esse.

Prima sententia est hæreticorum nostri tēporis, quod ad Sacramenta conficienda nulla requiratur intentio, neque interior, neque exterior. vnde si quis, & interius, & exterius irridere intendat, verum conficit Sacramentum; ita Lutherus, Calvinus, & alij plures quos refert Belarm lib. 1. de Sacramentis cap. 27 quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Secunda sententia est Amb. Catharini opus. de intentione ministri, cui fauet Syluester verbo Baptismus 3. quæst. 12. Paludanus in 4. dist. 6. quæst.

2. art. 3. quam sententiam iam fere sepultam reuocauit ad lucem Ioannes Marius Scribonius Gallus in summa Theologiae disp. 1. de Sacramentis in genere, quæst. 6. & 7. quod sufficiat intentio faciendi quod facit Ecclesia exterius.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione, Sacramentorum minister debet habere intentionem faciendi Sacramentum, saltem implicite, modo explicato. Hæc conclusio est omnium Catholicorum, pro qua videri possunt omnes D. Thomæ expositores hac quæst. 64. art. 8. cum eodem Anglico Magistro, qui illam hæc efficacis, probat ratione: *Quando aliquid se habet ad multa oportet quod per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur possunt diuersimode agi, sicut ablutio aquæ quæ fit in Baptismo potest ordinari ad munditiã corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad multa alia huiusmodi; & ideo oportet quod aeterminent ad vnum, id est ad Sacramentalem*

lem effectum per intentionem abluentis; & hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramento dicuntur, puta cum dicit ego te baptizo in nomine Patris &c. Et in solutione primi postquam assignavit differentiam inter instrumentum animatum, & inanimatum, quod hoc nullam debet habere intentionem, secus illud, subdit; Et ideo requiritur eius (nempe ministri) intentio quæ se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia. Sed dices quod D. Thomas in 4. sent. dist. 6. quæst. 1. ar. 2. quæstiuncula 1. ad 2. & in hoc art. 8. similiter ad secundum, videtur tenere sufficere intentionem externam faciendi quod facit Ecclesia, cum enim sibi obijcisset, quod si requireretur intentio interna incerta nobis redderentur Sacramenta, cum sit nobis occulta; cui argumento duas adhibet solutiones, prima est illorum qui dicunt quod deficiente ministri intentione suppleat recipientis deuotio, & fides in adulto, in pueris vero pie credi posse quod De-

us sua clementia suppleat effectum Sacramenti, licet non suppleat characterem, quam solutionem videtur Angelicus Doctor approbare; verba D. Thomæ ex 4. sententiarum sunt ista. *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideo si forma seruetur, nec aliquid exterius dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est, non enim sine causa in Sacramento necessitatis scilicet baptismo, & quibusdam alijs actus baptizantis in sollicitudine expressus est ad intentionis expressionem.* Verba huius articuli sunt. *Alij melius dicunt quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesie cuius est minister, in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesie quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat: ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Propter ista duo loca aliqui volunt D. Thomam in illa fuisse sententia; sed immerito quidem, quia si vterque locus atente legatur, & ratio, & cō-

clusio est in oppositum; legatur etiam art. 10. huius questionis. Vnde responderetur primò cum Caietano hoc loco, D. Thomam solum velle quod suscipiens Sacramenta non debet esse anxius de Sacramentorum valore, nisi minister contrarium exterius expresserit; quandiu enim hoc non exprimitur censeretur semper habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Secundò responderetur D. Thomam solum velle non requiri specialem, & expressam intentionem faciendi Sacramentum; sed sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quæ intentio sufficienter semper intelligitur, nisi aliud exterius exprimat, quia verba formæ baptismi, &c. sufficienter actum conficiendi Sacramentum significant, vnde eo ipso quod minister velit uti illis verbis, sufficientem intelligitur habere intentionem, cum illa verba significant idè quod intendit Ecclesia, propter a optimè adnotavit Sotus 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8. quod aliqui legunt loco mentalis intentionis; specialis in-

tionis; per quod omnis cessat difficultas.

Probatum primo conclusio ex definitione Concilij Tridentini sess. 7. can. 11. ubi dicitur: *Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia anathema sit*, & sess. 14. can. 6. definitur: *Si Sacerdoti animus serio agendi, & verè absoluendi desit &c. penitentem non manere absolutum*: & in Concilio Florentino in decreto fidei sequens habetur definitio: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*. Tandem Leo 10. contrarium Lutheri; & Lutheranorum errorem damnauit in bulla contra Lutherum, erat autem illorum error, Sacramentum validum esse etiam si verba à ministro irriloriè; & iocose dicantur. Et licet Catharini sententia non ita expressè definiatur, satis clarè ex citatis definitionibus fallacolligitur, cum

cum enim Ecclesia non solum externam efficiat cæremoniam, sed illam faciat quatenus Sacramentalis est, & hoc sit principale Ecclesiæ intentum, sequitur apertè ex illis Conciliorum definitionibus, omnino requiri præter intentionem externam, seu faciendi illam cæremoniam dumtaxat externam, requiri intentionem veram, & internam saltem implicitè, verum efficiendi Sacramentum, vt supra dicebamus. Tum quia negari non potest quin Ecclesia non faciat cæremoniam veram, sacram, & religiosam; sed non potest illa externa cæremonia verbigratia ablutio, esse vera, sacra, & religiosa nisi prout est sacramentalis ex Christi institutione; ergò non potest Ecclesia facere illam cæremoniam nisi vt sacramentalem; atqui ad efficiendam actionem sacramentalem ex Christi institutione aliquid aliud requiritur, quàm facere illam actionem materialem externam, sed requiritur intentio interior faciendi saltem implicitè, quod fecit Christus; ergò &c. ex qui-

bus patenter colligitur, quod ille qui operatur tantum cum intentione faciendi actionem externam non habet intentionem faciendi, quod vera facit Ecclesia; sed ad summum habet animum fingendi, & simulandi quod Ecclesia verè, & realiter facit, sicut qui exterius vouet sine intentione vouendi non verè vouet, sed fingit, sed simulat se vouere, cum reuera non voueat.

Probatur conclusio ratione à priori; quia de fide est, quod Sacerdoti ministrandi Sacramenti facultas concessa est, & consequenter data est illi potestas, vt illa vtatur medijs humanis actionibus, vt patet, Matth. ultimo *Euntes in mundum &c. baptizantes eos, &c.* & lo. 20. *Quorum remisistis peccata remittuntur eis &c.* & Luc. 22 *Hos facite in meam commemorationem.* & Iacobi 5 *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* & ex forma Sacramenti ordinis: *Accipe potestatem &c.* & cap. 4 primæ cor. *Sic nos existime t homo vt ministros Christi, & dispensatorum Mysteriorum Dei;* sed Sacer-

Sacerdos Sacramenta ministrans sine intentione saltem implicita faciendi Sacramentum, seu sine intentione interna, non videtur in tali administratione potestate sibi à Deo collata, ergò ad hoc ut potestate sibi collata uti dicatur, requiritur intentio interior faciendi, modo explicato, Sacramentum. Maior ex se patet; Minor probatur, quia actio purè exterior non est actus potestatis Sacerdoti collatæ, verbigratia, pura exterior ablutio non est actus potestatis collatæ a Deo abluendi baptizatum à peccatis, quod patet, quia illa actio purè exterior, à quocunque etiam omni potestate carente, potest proficisci, ut de se satis constat; ergò &c. Christus namque, ut patet, ex verbis relatis suis præcepit ministris, ut Sacramenta ministrarent per actiones sacras, non per quilibet actionem externam, debet enim homo baptizare, *in nomine Patris, & Filij, &c.* idem sonant illa verba: *hos facite in meam commemorationem &c.*

Probatur secundo conclu-

sio à posteriori, seu ab inconvenientibus, quæ post alio refert, & fuscè prosequitur Lugo hic disp. 8. sect. 2. quæ breuiter sic possunt proponi. Ex opposito nostræ conclusionis, nimirum si non requireretur intentio interior; sed vel nulla, vel sufficeret exterior, sequeretur, quod si confessorius audita pœnitentis confessione proferret verba absolutionis, sine vlla intentione conficiendi Sacramentum, verè pœnitentem absolueret, contra defensionem Concilii Tridentini sess. 14. can. 6. vbi definit confessionem esse nullam, si desit animus serio agendi, ut supra dicebamus. Sequeretur quod si Sacerdos solum recitatiuè, vel relatiuè verba consecrationis proferret supra idoneam materiam, verum conficeret Eucharistiæ Sacramentum. Similiter si vir, & fœmina ioco dicerent. *Ego accipio te in meum, vel meam &c.* verum fieret Matrimonium. Sequeretur quod si mulier dum puerum lauat, vel à sordibus mundat, diceret *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij &c.* verum conficeret

ceret Baptismi Sacramentum; quæ omnia absurda sunt; ergo &c.

Respondet Io. Marius, prædicta absurda non sequi, si illa fiant absque voluntate quidem, verum efficiendi Sacramentum, sed cum voluntate, & intentione exteriores illas actiones exercendi, quas exercet Ecclesia. Sed hæc responsio deficit: tum quia quando Concilia requirunt in ministro intentionem, nullo modo loqui possunt de illa intentione exercendi præcisè actiones illas: nunquam enim de hoc esse potuit controuersia, cum nullus cordatus exercere velit illas actiones absque intentione illas exercendi. Tum etiam quia verba actum animæ significantia pro formali supponunt significationem; ergo cum Scriptura, & Concilia requirant ministri intentionem, explicari non possunt de intentione faciendi actionem illam materiale. Tum denique si Christus Dominus Petro conferat potestatem parandi miracula, intelligi illa verba debent quando operatur cum intentione faciendi

miracula; ergo similiter dum Christus contulit Sacerdoti potestatem conficiendi Sacramentum, intelligi omnino debet, quando illas ponit actiones cum intentione Sacramentum conficiendi. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum desumunt ex auctoritate D. Augustini lib. 7. de Baptismo contra Donatistas capit. 53. ubi hanc proponit quæstionem: *Ac qui fallaciter tradit Sacramentum Baptismi verè, & validè baptizet eum qui non fallaciter, sed seriò suscipit baptismum:* & videtur inclinare in partem affirmatiuam, licet dicat se libenter auditorum. solutionem ab aliquo Concilio Generali &c. & tractatu 5. in Io. dicit: *in baptismo se attendere ad Christum non ad ministrum; iuxta illud Evangelij: Hic est qui baptizat: postea subiungit; non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat: patet autem quod ebriosus non habet intentionem internam, &c.*

Re-

Respondetur D. Augustinum nec in primo, nec in secundo loco, aduersariorum sententiam docere: non in primo quia dicit se libenter auditorum Concilium, & ipse nihil definit, iam autem Concilia sunt audita, nempe Florentinum, & Tridentinum: non in secundo, quia non dicit Augustinus se non attendere ad ebrium, sed ad ebriorum, ebriosus autem sufficientem habere potest intentionem.

Secundum argumentum desumunt ex facto D. Athanasii, qui dum esset puer inter ludendum baptismum alteri puero administravit, quem Alexander Episcopus Alexandriae approbavit, validum que iudicavit. Similiter ex facto Sancti Genesii Martiris, qui dum Mimi partem coram Diocletiano ageret ex ioco fuit baptizatus, nec quidquam de intentione quaesitum fuit. Est etiam factum Sophorae, quae Exodii 4. per indignationem filium suum circumcidit, nec Moyses vir eius eam de intentione interrogavit, imò videtur ea solum inten-

tione circumcidisse, ut maritum a morte liberaret, proiecito enim filij praeputium ad viri pedes dixit: *Sponsus Sanguinem tu mihi es.*

Respondetur D. Athanasium habuisse sufficientem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quae cum ludo stare potest; quae solutio patenter ex eadem historia colligitur, dum narratur Episcopum interrogasse Athanasium, & alios pueros de modo, ritu, &c. quae interrogatio facta non fuisset si sola externa actio ablutionis ad verum baptismum conferendum sufficiens fuisset; quod autem stet cum ludo intentio faciendi, quod vera facit Ecclesia, patet ex illa historia quae narratur in Prato spirituali capit. 196. de illis pueris qui ad invicem dixerunt. *Celebremus Missam, & offeramus Sacrificium, & communicemus, sicut semper in sancta Ecclesia Presbyter facit;* quod dum facerent, & peruenirent ad consecrationem, ignis de caelo venit, qui illos terruit, & semimortuos reliquit.

Ad factum Genesii respondetur

detur quod ut adnotauit Martyrologium Romanum, & Adonis, non fuit tunc in scena baptizatus, sed motus, & excitatus à Deo, ut fidem, & postea baptismum, susciperet; propterea notat Adon, eum postea Præsbyterum, & exorcistam aduocasse &c.

Ad factum Sophoræ respōdetur quod cum indignatione optimè stare potest intentio circumcidendi, quod colligitur ex illis verbis: *Sponsus sanguinem tu mihi es ob circumcisionem.*

Tertium argumentum est à ratione petitur, quia verba Sacramentorum habent in se virtutem operatiuam ex Christi institutione; ergo non pendet eorum vis operatiua, & efficacia, ex ministri intentione. Antecedens est certum secundum fidem, solus enim Christus Sacramentis dedit virtutem, non aliquis homo. Consequentia etiam satis clara est: si enim Sacramenta virtutem habent à solo Christo non à ministro; ergo à solius Christi intentione, Sacramentorum efficacia dependet, non ab intentione mini-

stri; homo namque est purus minister, purum instrumentū, minister autem, & instrumentum non sua virtute effectum principalis agentis producit, sed virtute eiusdem principalis agentis.

Respōdetur primo sequendo sententiam Caietani art. 1 huius quæstionis 64. Soti 4. dist. 1. quæst. 5. art. 1. Ledemæ ibidem, & aliorum multorum, quod virtus operatiua Sacramentorum non est solum in Sacramentis, sed etiam ministris communicatur, ita quod Deus non eleuet solum verba ad producendam gratiam, sed ministrum simul cum materia, & forma, & sic in verbis Sacramentorum, est virtus operatiua, sed dependenter à ministro, & cum minister sit instrumentum animatum, & humanum, humano modo, nempe per intentionem debet operari.

Pro quo nota, vnum hominem posse esse instrumentum alicuius agentis. Primo solum secundum membra corporalia, ut si quis alterius manu utatur ad aliquem percipiendum, & ad hoc nulla, ut

patet, requiritur voluntas, vel intentio in instrumento. Secundo potest quis esse alterius instrumentum, & secundum membra corporalia, & secundum potentias sentientes, ut si quis præcipiat seruo, ut aliquid legat, vel referat aliquid alteri, aut excubet, & respiciat, & renunciet quæ videt, & alia huius generis cætera; & neque in his requiritur voluntas in instrumento, sed sufficit actionem illam præstare; nam etiam si seruus ex præcepto Domini legat sine intentione legendi, muneri suo satisfacit. Tertiò cum quis est alterius instrumentum, & secundum membra corporalia, & potentias sentientes, & etiam secundum rationem, ut cum Rex constituit præfides, & iudices in urbibus, qui nomine suo iudicant, gubernent, & iudicent populos; in huiusmodi namque non solum corpus, & sensus, verum etiam prudentia, ratio, & voluntas requiritur; & sic in huius generis instrumentis requiritur, non solum potestas in instrumento à principali agente com-

municata, verum etiam voluntas, seu intentio, & huius generis instrumenta sunt Sacramentorum ministri, qui tãquam fideles serui, & ministri fuerunt à Christo constituti super familiam suam; per quæ patet ad consequentiæ probationem.

Secundo respondetur sequendo aliorum sententiam, quod in ministro nulla sit virtus operatiua justificationis, sed tota sit in Sacramento, & minister solum se habeat tanquam conditio applicans actiua passionis, ad eum modum quo qui plantat arborem, qui rigat, non concurret physicè ad fructuum productionem, sed solum applicat agentia, per quæ fructus producantur: quam sententiam videtur tenere D. Thomas art. 1. huius quæstionis in solutione primicam quo tamen stat quod Sacerdos dicatur baptizare, absolvere, consecrare, hoc enim interest inter agentia voluntaria, & non voluntaria, quod non voluntaria non dicuntur propriè agere cum alia ad agendum applicant, cum non de industria illa faciant, nec

ut se

vt se mouentia, sed vt mota; at vero agentia voluntaria agere dicuntur cum de industria, & vt se mouentia agunt non vt mota; cum ergò minister Sacramentorum assumatur, vt agens voluntarium, & vt non solum agatur, sed etiam vt agat; per intentionem, & voluntatem agere debet; per quæ manet satis superque solum potissimum hæreticorum argumentum.

Quartum argumentum est, quia licet minister non habeat intentionem, vt Sacramentum, effectum gratiæ conferrat, illum nihilominus subiecto disposito confert; ergò similiter etiam si minister non habeat intentionem conficiendi Sacramentum, conficiet illud adhibendo actionem externam, cum verbis à Christo institutis. Nec valet dicere differentiam esse, quia cum Sacramenta ex Christi Domini institutione habeant, vt postquam sunt, per modum causæ naturalis gratiam producant, etiam si minister nolit gratiam producere, eo ipso quod voluit Sacramentum conficere, non est in eius po-

testate, nec dependet ab eius intentione, quod gratia producat iuxta Christi institutionem, & sic ministri intentio requiritur ad Sacramentum ponendum, non autem ad hoc quod postquam positum est, suum producat effectum. Nam contra est, quia quoties quis aliquid præstat vt alterius minister, non requiritur ministri intentio, sed solum illius cuius est minister, vt cū Petrus per seruum Ioannem soluit debitum Paulo, etiam enim si Ioannes talem debiti solutionem non intendat, reuera Petrus, Paulo soluendo satisfacit; ergò similiter in casu nostro, cum minister nõ suo, sed Christi nomine operetur, non requiretur ministri intentio, sed illa Christi sufficiet.

Respondetur sustinendo traditam solutionem, ad improbationem illius patet ex dictis in solutione præcedentis, nam Ioannes in tali pecuniæ solutione nomine Petri, solum se habet vt famulus; seu vt purus nuncius, & ideo intentionis præsentia in eo non requiritur. At hoc in casu

Sacramentorum minister non se habet vt purus nuncius, sed, vt ita dicam, se habet, vt Commissarius, vt Vicarius, cuius iudicio, & voluntati cōmissit Deus Sacramentorum effectiōnem, & administratiōnem, & per consequens vērā in eo requiritur intentiō. Ex quibus intelliges quid sibi velit Sacerdotem operari vt ministrum Christi; est enim taliter operari quod actiō ministri reputetur actiō Christi, quod induat personam Christi, quod sit veluti procurator Christi, Vicarius Christi, Commissarius Christi, &c.

Quintum argumentum est, quia de facto videmus multa Sacramēta valida esse absque intentione ministri; ergō talis intentiō ad valorem Sacramenti non requiritur. Consequentiā benè ex antecedenti sequitur. Antecedens probatur. Primò quando Episcopus ordines confert, & expressè protestatur se non intendere ordinare excommunicatos, irregulares, &c. & tamen si isti se ingerant, & de facto ordinentur exterius, ab Ecclesia verè ordinati iudi-

cantur, nec perturbantur reordinari, etiam sub conditione. Similiter si minister cæcus baptizet Paulum existimans esse Petrum, vel baptizet quis puerum putans esse filium Petri, & sit filius Pauli, vel putet quis vel intendat baptizare virum, & reperiatur femina, verè iudicantur baptizati, cum tamen non sit ministri intentiō; variata namque persona etiam indiuidua intentiō variari necesse est, cū intentiō in talem personam determinatam ferratur, &c. Secundo quia si duo baptizati sacramentum ineant Matrimonii coram Parocho, & testibus cum intentione non suscipiendi sacramentum, sed solum faciendi contractum naturalem, adhuc tamen Sacramentum confertur, quia ex Christi institutione ratio Sacramenti alligata est contractui matrimoniali, nec est in contrahentium potestate rationem Sacramenti à tali contractu separare; ergō &c. Tertiò si aliquis conferat alicui Eucharistiam absque intentione conferendi Sacramentum, verè tamen illud

con-

confert; ergò &c.

Respondetur negando antecedens, ad primam probationem dico Episcopum per talia verba solum intendere velle prohibere, ne accedant ad ordines suscipiendos excommunicati, irregulares, & alii à iure prohibiti, & quod eius intentio non est ordinandi scienter à iure prohibitos; ex suppositione tamen quod accedant absolutam habet intentionem hic, & nunc ordinandi quotquot accedunt; & quia Ecclesia vniuersalis idipsum iudicat, propterea non iterum ad ordines admittit; idem dicendum est de baptizante; tamen si Episcopus vel baptizans suam limitaret intentionem, & taliter restringeret quod Episcopus nollet ordinare prohibitos, & baptizans nollet baptizare feminam, verbigratia, non conferentur talia Sacramenta:

Ad secundam probationem Respondet bene Sanchez de Matrimonio lib. 1. disput. 10.

num. 6. quod si contrahentium intentio ex errore procedat quo credunt Matrimonium non esse Sacramentum, intendant tamen contrahentes facere quod fideles alij faciunt, erit illud Matrimonium verum Sacramentum, cum tunc error ille debitam non excludat intentionem, sicut qui crederet baptismum esse fictionem, si baptizaret intendens facere quod facit Ecclesia, verè baptizaret; si vero contrahentium intentio verè intenderet rationem Sacramenti excludere, reuera excluderetur, & non fieret Sacramentum: an vero fieret Matrimonium vt contractus naturalis est, dependet ab illa quæstione an ratio Sacramenti sit separabilis post Christi institutionem in fidelibus à ratione Sacramenti, de quo suo loco.

Ad tertiam probationem iam patet, non enim tunc fit Eucharistiæ Sacramentum, cum iam factum sit, &c.

QVAESTIO VIII.

*Qualis intentio requiratur in Sacramentorum
Ministro.*

Questione præcedenti probauimus in Sacramentorum ministro veram, & propriam intentionem requiri ad Sacramenta faciendâ, nunc intentionis qualitatem inquirimus, est ergo intentio alia actualis, alia habitualis, alia virtualis, alia indirecta, seû interpretatiua. Concedunt omnes intentionem actualem sufficere, quæ tunc habetur, quando quis baptizat, vel absoluit, vel consecrat, & hæc actu præstare intendit, seû hæc cum actuali aduertentia facit; non enim tunc est intentio solum actualis quando quis dicit; *volo baptizare*, sed quando aduertit etiam se baptizare, se absoluerè, se consecrare; est etiam certum non sufficere intentionem habitualem, quæ nihil aliud est quam intentio præterita non retractata, si namque esset retractata ha-

bitualiter permanere non diceretur, & ratio quare hæc habitualis intentio non sufficiat est, quia non est sufficiens vt actio dicatur fieri ex tali, vel tali fine; & sic cum minister operari debeat vt minister Christi, seû nomine Christi, vt quæstione præcedenti probauimus, talis intentio poni debet, quæ possit actionem denominare factum, tanquam à ministro Christi, ad quod requiritur quod intentio aliquo modo influat in opus, seû quod tale opus à tali procedat intentione.

Sed dices intentio habitualis est sufficiens ad hoc vt Sacerdos sacrificium Missæ applicet; ergò etiam sufficiens erit ad sacramentum conficiendum. Antecedens admittunt Suarez in præsentibus, Lugo in præsentibus, Bonacina disput. 1. quæst. 3. puncto 2. §. 3. num. 11. Molfesius trac.

3. cap. 4. num. 13. Diana de celebratione Missarum, resol. 47. & communiter moderni. Consequentia probatur, quia applicare pro aliquo sacrificium est offerre pro eo sacrificium, ad hoc autem cum sit opus humanum, humana requiritur intentio, & si ad hoc non requiritur, neque ad Sacramentum requireretur.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam ad probationem dico, quod applicare sacrificium pro aliquo non est offerre sacrificium pro illo; sicut facere disciplinam pro aliquo vel ieiunare pro aliquo, non est facere ieiunium pro illo; sed est sacrificium factum, vel faciendum in alterius utilitatem applicare, vel clarius, est fructum sacrificij pro alio applicare, aliud autem est sacrificium facere, aliud fructum sacrificij alteri applicare, aliud est tacere disciplinam, aliud fructum, vel satisfactionem disciplinæ applicare: bene verum est, quod secundum communem modum loquendi pro eodem usurpantur; qui namque fructum sacrificij pro ali-

quo applicant, dicuntur sacrificare pro illo, qui fructum ieiunij, vel disciplinæ pro aliquo applicant, dicuntur ieiunare, vel disciplinam facere pro illo; cum tamen sit grandis disparitas; ad hoc enim ut quis sacrificium faciat, ieiunet, disciplinam faciat, intentio saltem virtualis requiritur, & habitualis non sufficit; ad secundum autem nempe, ut fructum prædictorum, & aliorum cæterorum applicet, habitualis sufficit intentio; cuius rei ratio est, quia cum homo sit Dominus prædictorum fructuum; & specialiter Sacerdos cum sit specialiter deputatus à Christo, ut dispensator, seu ut donator bonorum sacrificij, sicut est Dominus priorum bonorum, nempe ieiunij, disciplinæ, &c. fit quod naturam Domini quo ad ista inducere debet; Dominus autem ad hoc ut rem, suam donet, non est necessarium quod habeat intentionem formalem, seu actualem, vel virtualem, sed sufficit habitualis; possum enim ego donare tibi hodie rem sub conditione si mihi cras dabitur, ita quod
puri-

purificata conditione dationis rei, absque alia intentione, res illa ex mea, fiet tua; posset etiam dici differentiam esse inter sacrificium, & applicationem illius, quod quoad sacrificium Christus dedit potestatem Sacerdoti, sed magis restrictam, quoad applicationem magis amplam; illa est magis stricta, quia pro solo altari habetur, ista minus stricta, quia habetur etiam extra altare; & ratione cuius de altari viuere potest Sacerdos; patet autem quod pro eo pro quo homo potest sibi vitium comparare, sufficit intentio habitualis, vt est communis hominum vsus.

Conueniunt etiam communiter voluntatem in causa non sufficere in Sacramentorum ministro, vt si quis expertus fuisset in somno verba proferre consecrationis: apponeret propè lectum, panem, & vinum cum expressa intentione consecrandi per talia verba in somnis prolata, nihil efficeret; ratio communis est, quia Christus Dominus non quælibet verba instituit, sed humana, per quæ dicitur mi-

nister in persona Christi Sacramentum conficere, & Christum ipsum representare; sicut enim ob hanc rationem periurium dormientis, & etiam ebrii, & similiter blasphemia, ob distam rationem non sunt peccata, nec ad hoc sufficit voluntas in causa, sicut in homicidio, furto, &c. vt docent Suarez, Sanchez, Reginaldus, Io: Sanctius, & alii, quos sequitur Diana, p. 3. tract. 5. resol. 52. [quia ex sui natura requirunt quod ab vtente ratione proferantur; ita similiter, cum de ratione verborum Sacramentalium sit, quod ab vtente ratione proferantur, cum humana esse debeant, sit quod si in ebrietate, vel à dormiente proferantur, Sacramentalia non sint.

Concedo tamen, quod concedunt omnes quod voluntas in causa sit sufficiens ad Sacramentum suscipiendum, primo quia suscipiens Sacramentum non conficit, sed recipit. Secundo quia suscipiens non operatur in persona Christi, nec est minister Christi, nec est necesse quod agat humano modo

modo; qualis autem intentio in suscipiente requiratur, disputatione sequenti dicetur. Similiter concedo quod etiam communiter concedunt scribentes, quod aliquando perfici possit Sacramentum quando minister illius non est sui compos, verbigratia Ebrius, vel dormiens, vt cum procurator nomine mandantis consentit, & mandans dormit, vel ebrius est, tunc enim temporis Sacramentum perficitur in virtute prioris consensus, non retractati. An vero Matrimonium esset validum, si quando procurator consentit, mandans in amentiam incidisset; affirmat Sanchez lib. 2. de Matr. disput. 11. num. 12. Lugo melius negat, cum Basilio Pentio, ex L. qui seruum suum; & ex L. si quis alicui ff. de acquirenda hæredit. vbi determinatur quod per amentiam mandantis, mandatum cessat.

Est etiam apud omnes certum intentionem virtualement omnino sufficere ad Sacramenta conficienda. Hæc enim sufficiens est ad humanam constituendam locutionem, expe-

rientia enim discimus quod cum alijs loquimur, non semper actu ad ea quæ dicimus, attendimus. Difficultas ergo præsens est, quid sit hæc intentio virtualis.

Relicta eorum sententia qui dicunt virtualement perseverantiam intentionis Sacramenti conficiendi esse dumtaxat moralem, in quantum censetur illa prior actualis intentio tamdiu durare in subsequentibus actionibus, vel motibus, quamdiu non retractatur; quia licet hæc moralis perseverantia, & continuatio possit habere aliquam probabilitatem in ordine ad numericam continuationem peccati, vt infra de penitentia dicetur, non videtur tamen habere probabilitatem in casu Sacramentorum, cum ad Sacramenta conficienda non sufficiat quæcunque intentio, sed illa requiratur per quam minister nomine Christi, verum, & physicum habet influxum in Sacramenta, & medio Sacramento in suscipientem, gratiam in ipso producendo; quod maximè habet verum in sententia D. Thomæ

& nostra quod minister, & Sacramentum vnam causam gratiæ physicam, instrumentalem tamen conficiant. Hac ergo relicta sententia.

Prima sententia est, quod intentio virtualis est illa prior intentio actualis, quæ dicitur postea permanere ratione cuiusdam impressionis factæ in imaginatiua, qua excitatur potentia motiua, vt actum initio propositum perficiat, homine interim alia cogitante, verbigratia, incipit quis sacrum intendens celebrare, postea totum sacrum omnino distractus suo ordine perficit, in qua serie omnes ille actiones à prima illa intentione, secundum modum agendi humanum, procedunt, ratione imaginationis, quam prima illa intentio, seu voluntas, applicat, & quæ ratione habitus, seu vsus acquisiti externos dirigit actus, etiam quando distracti summus.

Hanc sententiam post Coninchum quæst. 64. artic. 8. dub. 2. sequuntur plures moderni, quam sententiam ampliat Lugo hic disput. 8. sect. 5. num. 83. quod non solum

ad inchoandum, & etiam ad prosequendum, & continuandum actionem sacramentalem, requiratur semper in ministro aliquis actus præsens in imaginatiua, & appetitu sensitiuo, qui valeat dirigere, & determinare magis adhuc motum, quam ad illum Sacramentalem; verum etiam quod requiratur semper præsens aliquis actus intellectus, & voluntatis dirigentis, & determinantis imaginatiuam, & appetitum.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Intentio virtualis consistit in hoc quod potentiæ externæ fuerint à præcedenti voluntate, seu intentione ad operandum applicatæ, vi cuius applicationis suos motus continuant, quamuis per distractionem interna interrumpatur intentio, & nullus sit actus alius intellectus, vel voluntatis, & phantasiæ, vel imaginatiuæ actu dirigentis tales potentiarum externarum actiones.

Hæc conclusio est plana, mens D. Thomæ in hoc art. 8. ad tertium vbi habet: *Licet ille qui aliud cogitat non habe-*

at ac-

at actualem intentionem, habet tamen intentionem habituales (alias virtuales) quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia, unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Vbi ut vides D. Thomas nullum recognoscit actum præsentem intellectus & voluntatis, nec phantasiæ, sed quod, etiam si rapiatur cogitatio ad alia, in virtute tamen præcedentis intentionis Sacramentum perficitur. Vnde D. Thomam sequuntur absolute, & sine illa limitatione eius discipulis; unde non est necesse illos in particulari referre. Sententiam hanc D. Thomæ sequuntur etiam Suarez hic disput. 13. sect. 3. post secundum conclusionem Vasquez disput. 178. cap. 6. nu. 78. & alij passim.

Sed antequam nostram probemus conclusionem nota, quod tripliciter contingere potest continuatio virtualis intentionis, vel alicuius vo-

luntatis. Primò quando interruptitur quidem actus imperans, actus tamen imperatus idem numero continuatur, vt si quis incipiat orare vocaliter, verbigratia recitare Diuinum officium cum intentione adimplendi præceptum, tamen in discursu recitationis naturaliter distrahitur, tunc in omnium sententia, præcepto satisfacit, quia tota illa recitatio, seu vocalis oratio, in virtute prioris intentionis à qua fuit imperata continuatur, virtus namque illius intentionis, seu actus imperantis in ipso actu imperato, seu in ipso opere manet, & potentia exequens vi illius intentionis semper applicata manet. Secundus modus, quo contingere potest continuatio virtualis præcedentis intentionis, & priore difficilius est, quando est varietas in ipsis actionibus, seu in voluntatibus, seu electionibus, sine tamen totali cessatione, sed immediate transeundo à vna electione, vel actione in aliam: vt cum quis intendit dicere sacrum, & ex tali intentione se præparat, exit de

cella, vel domo, lauat manus induitur, &c. & etiam tunc manet prima illa intentio, in quantum illa prima imperat electionem primam, hæc imperat aliam, & sic deinceps. Tertius modus magis difficilis est, quando interrumpitur formalis intentio, & omnis actus ab illa manans, ut quando intercedit somnus, & postea incipit denuo operari, ut est vulgare exemplum de eo qui intentione implendi votum, multis diebus peregrinatur, qui non quoties euigilat recordatur voti sui, nec repetit intentionem implendi illud; similiter si quis fecit intentionem consecrandi antequam sacris induceretur vestibus, & deinde audiens, post offertorium concionem, dormire incipiat imò de facto dormiat, ut non semel obseruari; ad concionis finem excitatus absque alia intentione, Missam profecquitur, & consecrat, an tunc manere censeatur intentio illa virtualiter, & quomodo; in primis dico quod in omnibus tribus modis positis virtualis intentio manet in aliquo suo effectu; remanserunt namque

exteriore potentia ex vi illius applicationis determinata, vi cuius determinationis suos profecquuntur effectus; cuius rei signum euidens est, quod statim ac priorem mutat operans intentionem, ab operando cessat, & per consequens rumpitur prioris voluntatis in fluxus; an autem talis applicatio potentia executiua fiat solum ex quadam naturali sympathy, & subordinatione potentiarum inferiorum superioribus, vel per super additionem alicuius veluti impressionis, ad eum proportionalem modum, quo mouentur proiecta; affirmat Riccardus distinct. 64. sent. art. 1. quæst. 3. ad secundum, alij negant; dependet quæstionis resolutio ex illa quæstione, an actus imperatus aliquid ab imperante recipiat, de qua re agemus in 2. 2. de Charitate.

Secundo dico, quod in primo, & secundo modo quo diximus intentionem virtualiter perseverare, non est necesse priorem illam intentionem applicari media apprehensione, & iudicio intellectus, & motu voluntatis, & media ali

qua

qua imaginatione, vt voluit Coninchus, & Lugo, licet hoc frequenter fiat.

Probatum primo, quia ille actus requiritur, & sufficit ad hoc vt minister virtualem habeat intentionem, qui sufficit, & necessarius est, vt de facto vi illius ponatur Sacramentum, sed sola illa prior intentio per quam primo potentia executiua fuit applicata ad actionem Sacramentalem efficiendam, absque alio intellectus, voluntatis, & imaginatiuæ actu, est sufficiens; ergo non est necesse quod alij actus ponantur. Maior probatione non eget. Minor in qua est difficultas probatur, quia vt aliquid sit effectus causæ efficientis, & in illo censeatur permanere eadem causa efficiens, sufficit quod ille effectus ab illa causa efficiente virtualiter procedat; verbi gratia ad hoc vt calor sit virtus ignis, & in eius virtute alium producat ignem, sufficit quod ille calor ab igne fuerit productus, & vniuersaliter effectus cuiuslibet instrumenti est virtualiter à causa principali, etiam si illa forma

liter non existat, quia in ipso instrumento eius virtus reperitur nempe illa motio; sed etiam virtus primæ intentionis quæ potentiam applicuit executiuam in tali manet applicatione, præcisus quibuscumque alijs actibus; ergo &c. probatur hoc, quia actus subsequentes non applicuerunt potentiam exequentem, sed iam applicatam repperunt. Vnde elegantur ad rem D. Tho. 3. contra Sent. cap. 138. dicit: *Voluntas procedens actum manet virtute in tota consecutione actus, & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito voluntatis propter quod actum incipit, in executione operis non cogitabat.*

Probatum secundo, quia iste videtur modus operandi omnium hominum, & simul sentiendi, & plusquam hoc exigere à cõmuni modo operandi est plusquam humanum exigere; quis enim dicet mercenarium teneri semper habere aliquem actum intellectus, & voluntatis de mercede, vt pro mercede dicatur operari. Quis dicet quod quando vnus homo per alium operatur præbendo

bendo illi suum consensum, & mandatum, teneatur prædictorum habere actus, ad hoc ut alius ipsius nomine, & virtute operari dicatur? Omnes namque volunt mandantis consensum semper censi manere quandiù mandatum, seu consensus non reuocatur, præsertim quando talis consensus vel mandatum per scripturam fuit datum, in scriptura enim virtualiter talis consensus reperitur, est enim effectus illius &c.

Circa tertium modum quo omnino interruptitur formalis intentio, & omnis actio ab illa procedens, ut diximus fieri per somnum, an nimirum requiratur post somnum aliquis actus intellectus, & voluntatis, & similiter cogitativæ. Pater Suarez quem referunt N. Salm. in primam [secundæ tract. 11. disput. 4. num. 40. dicit quod virtus prioris intentionis applicatur ad actum qui somno succedit media apprehensione, & iudicio intellectus; nam statim ac homo euigilat apprehendit, & iudicat sibi esse, verbigratia inter agendum, neque inquit; ra-

tionem bonitatis, & convenientiæ, sed vi prioris deliberationis iudicat hoc sibi expedire, & inde statim mouetur ad electionem, & actiones quæ occurrunt in ordine ad finem intentum, & sic dicitur operari virtute prioris intentionis quia tota efficacia operandi ab illa oritur. Ex isto modo dicendi Patris Suarez; quem probabilem reputant prædicti Salm. sequitur, quod si ille qui iter agit intentione implendi votum, si dum euigilat non repetat prædictam intentionem, vel certè non applicat virtutem prioris intentionis ad actum, qui post somnum ponitur, media illa apprehensione, & medio iudicio intellectus, quo iudicet sibi esse iter agendum vi prioris deliberationis, sed absque hoc iudicio, iter prosequeretur, votum non adimpleret, cum talis intentio virtualiter non duraret, quod certè mihi valde durum videtur. Similiter si Sacerdos Vesperis proponat primo mane surgere ad sacrum faciendum, audito primo campanæ sono, ad orationem pulsantis; si mane absque alia

alia fermali intentione, vel certè sine prædicta apprehensione, & iudicio quod est sibi conuenies ad sachristiam descendere, & post hanc electionem, manus lauare, crepidas lumere, induere se, &c. ille non consecrabit, quod videtur esse contra aliquorum experientiam qui dicunt id sibi aliquando contigisse, & sibi scrupulum non fecisse, cum hoc totum fieri videatur ex determinatione facta potentia executiua, vi cuius post somnum ad omnes mouentur actiones eo ordine quo ex intentione illa, & determinatione illius, sequi debent; intentio namque finis quandam imprimat voluntati inclinationem, & hæc potentiis executiuis magis, vel minus durantè, magis, vel minus fortè, iuxta efficaciam, & vniuersalitatem intentionis illius; quæ intentio semper virtualiter manere dicitur quandiu manet illa determinatio, quæ cum non dependeat ab apprehensione, & iudicio illo, sequitur quod etiam sine illis manere virtualiter potest. Ex quibus patet non placere, quod cum

Lugo docent aliqui in casu prædicto de peregrino, & idè de Sacerdote quod toties in itinere repetit saltem in communi, & in confuso primam illam intentionem, quoties e somno euigilat; hoc enim, & videtur esse contra communem experientiam, & contra communem modum loquendi Theologorum Alti-fiodonensis namque in summa lib. 2. tract. 29. capit. 3. quæst. 3. vbi fufe agit de hac materia nullam prorsus mentionem facit de tali intentionis repetitione, imò expressè docet nullam requiri. D. Bonauentura in 2. dist. 4. art. 1. quæst. 3. ad vltimum argumentum ait: *Virtute voluntatem permanere quandocunque initio operis quod geritur adsuit, tunc enim licet perboram daret opus, & nihil de voluntate priori cogitetur, omnis pars operis subsequenti fit in virtute voluntatis precedentis: deinde subdit, quod quandocunque quis incipit opus quod refert in Deum, & deinde succedunt alia opera, vt alia profluant ex alijs omnia oriuntur exprimo, quoniam secundum*

ex quo cetera nascuntur ex primo proficitur, tunc voluntas primi opereris virtute permanet in ceteris subsequenter.

Vbi nullam facit mentionem talis repetitionis; idem docet Doctor subtilis, Gabriel, & ceteri Scholastici partim in secundo dist. 4. & partim in 4. dist. 6 & omnes Discipuli D. Thomæ. Vnde Gabriel loco citato dicit tunc adesse intentionem virtutem faciendi aliquam rem verbigratia largiendi elemosinam propter Deum, orandi, ad satisfaciendum præcepto quando aliquis ita largitur elemosinam, ita orat, &c. vt si rogaretur cur hoc facis, responderet studio religionis, charitatis erga Deum amore, vt satisfaciam præcepto, vel meæ obligationi, &c. Soluuntur argumenta partis oppositæ.

Primum argumentum est, quia applicatio merè præterita qua minister voluit legere illa, verbigratia, duo folia, vel proferre tales orationes, si nihil prorsus physicum remaneat per quod os verbigratia aperiat, & lingua proferat potius talem vocem quam ali-

am, non sufficit ad hoc vt illa perseuerare dicatur; lingua namque non percipit imperium voluntatis, & si perciperet non amplius recordaretur; ergo requiritur semper aliquis actus præsens saltim in imaginata ministri, non solum ad inchoandum, verum etiam ad prosequendum actionem sacramentalem, absque enim aliquo præsentis determinatiuo non potest os, & lingua magis determinari ad hunc motum quam ad illū, ad hæc verba quam ad illa. Atqui hoc determinatiuum aliud esse non potest nisi actus cognoscendi, & appetendi; ergo &c. Probat Lugo minorem subsumptam à posteriori, quia si homo inter ambulandum dormiat, ita vt ab omni interna cesset operatione, statim cessat motus ambulationis, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia potentia externa non potest determinari sufficienter à sola applicatione præterita.

Respondetur argumentum optimè probare quod nos docuimus ex tali intentione remanere potentias physicè de-

terminatus ad ponendas omnes illas actiones, quæ ad finem talis intentionis consequendum requiruntur, an autem hæc determinatio physica, sit per aliquid physicum receptum, an vero per physicam subordinationem potentiarum iam diximus. Ad minorem subsumptam quod tale determinatiuum aliud esse nequeat quam actus cognoscendi, & appetendi, omnino falsum est; imò quando illi actus requiruntur, & illi determinantur, non vero sunt determinatiui; si ergò aliquando actus appetendi, & cognoscendi, requirantur, ut quando intentio erat de ponenda, loquutione humana, ad quam verba phantasiæ requiruntur, per quæ verba oris producantur, non est hoc præcisè ratione determinationis, quia iam potentia ex vi intentionis sunt sufficienter determinatæ; sed ratione necessitatis, & connexionis quam vnus habet cū alio; per quæ patet ad improbationem Io. de Lugo; si enim inter ambulandum cessat ambulatio quando quis dormit, non est hoc ratione de-

terminationis ortæ ex cognitione præcisè, sed, vel quia non proficitur ambulatio nisi si spiritus subministrentur, vel quia requiritur cognitio, non tanquam determinatiuum potentia progressiua, sed tanquam, ut ita dicam, directiuum, vel quia iam cessat potentia progressiue determinatio, cum solum fuerit in ordine ad ponendas humanas actiones, &c.

Secundum argumentum est, quia si forma Sacramenti cantanda esset, licet minister per suam intentionem applicaret potentiam, & linguam ad cantandum, semper tamen adesse deberet aliquis actus interior dirigens linguam; cantus namque fit ex arte musicæ per quam vox dirigitur, ut modo extollatur, modo dimittatur, modo inflectatur; ergò etiam si ob distractionem talis actus dirigens linguam per habitum musicæ non percipiatur, vel ob usum, vel ob distractionem, negari tamen non potest quin adsit; ita pariformiter, quando verba Sacramentalia recitantur, datur aliquis actus interior per quæ

dirigatur lingua ad hoc ut verba, tali, vel tali modo proferrantur, licet ob usum, vel tenuitatem illius non percipiantur.

Nec valet dicere cum Conincho sufficere ad hoc phantasiae operationem, per quam lingua taliter dirigatur, &c. Nam contra, inquit Lugo, quia sicut ad cantandum debet concurrere ars cantandi, ita ad legendum concurrere debet ars legendi; sed ars legendi non potest esse habitus imaginatiuae, sed intellectus; ergo non sufficit actus imaginatiuae ad dirigendam linguam, sed ulterius requiritur actus intellectus, & voluntatis, qui licet non percipiantur, negari tamen non potest quin adsint, sicut adsunt actus imaginatiuae, licet non percipiantur, propter illorum tenuitatem: quod autem ars dirigens linguam debeat esse habitus intellectualis, probat ille, quia solus intellectus percipit vim quam habent signa musica ad significandam elationem, vel depressionem vocis &c.

Respondetur ex dictis in

solutione praecedentis, quod si quando ad continuationem intentionis praehabita actus interior requiratur, hoc non est ex generali doctrina necessaria ad continuandam intentionem, sed aliunde, ob exigentiam quam habet potentia determinata ab intentione illius alterius virtutis; nam videmus quod ad hoc ut continetur virtualis intentio in audiente Missam ex praeccepto, nullus requiritur actus interior intellectus, vel imaginatiuae ad dirigendum auditum, sed sufficit quod fuerit primo applicatus virtute illius primae intentionis ad talem auditionem, etiam si postea, & intellectus, & phantasia omnino naturali distractione distraherentur. Adde quod licet habitus musicae, & legendi, sint habitus intellectuales, cum solum per intellectum percipi possint notae elationis, & depressionis linguae, & litterarum diversa combinatio, tamen negari non potest, quin in ipsis organis corporeis non producat, quidam ut ita dicam usus, seu quaedam facilitas, sicut in manu

manu pulsantis citharam in qua nullus habitus produci-
tur, sed solum quædam faci-
litas, vt communiter docent
Philosophi, ratione cuius vsus
seu facilitatis illa organa mo-
ueri possunt ad proprias fun-
ctiones, sine actuali directio-
ne intellectus, & phantasia;
quis enim dicet quod citha-
redus toto tempore quo ci-
tharam pulsat semper actum
intellectus, & phantasiae ci-
tharizationem dirigentem
habeat, & si talis actus cesset,
quod statim citharizatione ces-
set? Vnde videmus quod pro-
pter merum vsum, contra pro-
priam voluntatem, quis loco
illius: laus tibi Domine &c. à
septuagesima: profert allelu-
ia; & quando in fine Psalmo-
rum non debet dici Gloria
Patri, & Filio, &c. ex præce-
denti vsu in illa verba trascur-
rit, quandiu per alium vsum,
oppositum contingat, &c.

Sed dices si vera esset no-
stra sententia sequeretur va-
lidam esse intentionem, seu
voluntatem in causa ad Sacra-
menta conficienda, si enim
nullus requiritur actus intel-
lectus, & imaginatiuæ dirigē-

tis linguam ad proferendum
verba consecrationis, sed suf-
ficit quod vi illius prioris in-
tentionis potentia executiua
fuerit applicata, sequitur pa-
rum referre quod potentia
executiua actionem suam pro-
sequatur in vigilia cum natu-
rali tamen detractione, & in
somnia, sicut enim potest ma-
nus citharizantis suam profe-
qui citharizationem in som-
nis, saltem per breue tempus,
ita & lingua poterit prosequi
inceptam Missæ lectionem
in somnia; hoc autem dici ne-
quit; ergo &c.

Respondetur ex dictis quæ-
stione præcedenti quod actio
Sacramentalis debet esse hu-
mana, & fieri ab homine vt
homo est, ad quod requiritur
presentia vsus rationis, Chri-
stus namque requisit quod
actiones Sacramentales essent
hominis habentis vsum ratio-
nis, non vrentis ratione, ad-
hoc autem quod actio sit hu-
mana, non est necesse quod
sit formaliter libera, cum
multoties fiat inaduertenter,
& absque libertate, saltem
quoad aliquam ipsarum par-
tem, alias Sacramenta fierent

nulla, absque negligentia, etiam humana, cum absque hac, contingat passim distractio, & inconsideratio naturalis eius quod facimus, saltem quoad aliquam, ut dicebamus, illius partem. At vero in somnis nulla est libertas nec formalis, nec virtualis, sed solum denominatiue, & in

causa, propterea verba in somnis prolata non sunt humana, quia libertate carent tum formali, tum virtuali, distractio vero naturalis supposita intentione, & applicatione potentiae executivae, ab illa tollit libertatem formalem relinquit virtuales, somnus, & ebrietas utramque tollit.

QVAESTIO IX.

Vtrum intentio conditionata efficiendi Sacramentum ad eius valorem sufficiat, ubi etiam an debeat esse circa materiam determinatam, & quid dicendum sit, quando concurrunt duae intentiones ad inuicem contrariae.

Concedunt omnes de hac materia scribentes intentionem conditionatam conditione de praesenti, vel de praeterito ad valorem Sacramenti sufficere, dummodo conditio subsistat, quod colligitur ex cap. 2. de Baptismo, ubi

praecipitur, eos sub conditione baptizari debere, de quibus dubium est, non esse baptizatos, & ratio est, quia posita materia, & forma Sacramenti cum debita ministri intentione Sacramentum poni debet, nec potest manere sus-

pensum; sed intentio de præterito, vel præsentī Sacramentum non suspendit, cæteris positis; ergò &c. & hæc doctrina valet siuè conditionis subsistentia sit nota, siuè sit ignota; solum differentia est, quod quando conditionis subsistentia est nota, relinquit Sacramenti receptionem certam, quando vero ignota est, incertam relinquit, ut cum quis baptizatur sub conditione, si non est baptizatus. Nota tamen quod licet Sacramentum collatum sub conditione de præsentī, vel præterito non reddat Sacramentum inuidum, sed validum relinquat, non tamen licitum est talem conditionem Sacramentis apponere, nisi necessitas adsit; ratio est quia Sacramentum administrans sub tali conditione de præsentī, vel præterito, periculo exponitur nullum faciendi Sacramentum, si fortè conditio non subsistat; tunc autem necessitas adesse existimatur, quando post factam prudentem diligentiam, adhuc manere dubium, an quis, verbigratia, sit baptizatus, nec ne, sit, vel non sit capax

absolutionis, protulerit, vel non protulerit verba consecrationis, materia sit, vel non sit apta, &c. tunc enim talis posita necessitate, nulla Sacramento irrogatur irreuerentia, illud nullitatis periculo exponendo; idque habet verum, siuè conditio sit tantummente concepta, siuè exterius manifestata. Hoc tanquã certum supposito, quod quærimus in hac quæstione est, an intentio efficiendi Sacramentum sub conditione de futuro contingenti, ad valorem Sacramenti sufficiat, ut quando baptismus, vel absolutio, sub conditione futuræ restitutionis impenditur, dixi, quando intentio efficiendi Sacramentum est sub conditione de futuro contingenti, quia quando conditio est sub conditione de futuro necessario, ut cū quis absoluitur à peccatis si sol cras orietur, quia tunc talis conditio præsumitur addi, non ad suspendendum actum. sed ad declarandam certitudinis intentionem, quasi diceret, ita certo *te absoluo*, sicut certus est crastinus solis ortus, quod si adderetur ut vera

conditio, ita suspenderet Sacramentum sicut suspendit conditio de futuro contingenti, & tunc esset eadem vtriusque conditionis ratio. His positis.

Prima sententia est, quam defendit quidam modernus Theologus, quem refert Lugo de Pœnitentia disput. 13. sect. 4. num. 108. quod speculatiue probabile sit, Sacramentum sub conditione de futuro collatum validum esse, non tamen practicè, propter communem DD. auctoritatem. Cuius potissimum fundamentum postea soluemus.

Nostri sententia sequenti conclusione explicatur. Sacramentum sub intentione conditionis de futuro contingenti collatum, omnino nullum est Matrimonio excepto. Hæc conclusio est omnium de hac materia scribentium; pro quo videri possunt Suarez hic Coninchus hic, Vasquez, & alij quis refert, & sequitur Cardinalis de Lugo de Pœnitentia disput. 13. citata num. 109. ubi plures aliorum rationes adducit, & confutat, & tandem ponit communem.

Nos vnã dumtaxat ponemus hic rationem, quam putamus esse fundamentalem, & à priori.

Probatur ergò nostra conclusio sic. Intentio conficiendi Sacramentum vel debet ipsum Sacramentum præcedere vel saltem esse simul tempore, & in priori natura ipso Sacramento, sed intentio sub conditione de futuro non est huiusmodi; ergò non est sufficiens ad Sacramentum conficiendum. Maior patet, cum enim Sacramenti confessio ab intentione ministri dependat, ipsum Sacramentum saltem prius natura præcedere debet, prius enim est, quod Sacerdos Christi personam induat, & representet, antequam absoluat; si autem intentio saltem natura Sacramentum nõ præcederet, nec Sacerdos personam Christi representaret, nec requireretur intentio ad Sacramenti confessionem. Minor probatur, quia intentio sub conditione de futuro, non est absoluta intentio, quandiu conditio non purificatur; ergò antequam conditio purificetur, intentio ad Sacramentum

cum requisita non est, & tamen Sacramentum est, nempe materia, & forma; & per consequens poneretur Sacramentum antequam poneretur intentio, quod implicat; quando enim quis dicit. *Ego te absoluo, &c. si cras restitues*, vel iste verè absoluit tunc, vel non, si primum dicatur, non fuit absolutio sub conditione, & etiam si ille postea non restituat, remansit absolutus, & sic impertinens fuit talis conditio; si dicatur secundum, quod Sacramentum non ponatur, ideo est, quia licet adfuerit materia, & forma Sacramenti non tamen adfuit intentio, &c.

Hæc autem ratio non currit in Matrimonio, cum enim Sacramentum non ponatur nisi quando ponitur materia, & forma, & materia, & forma Matrimonij non ponatur, nisi quando conditio purificatur, (tunc enim solum sequitur absoluta corporum traditio) sequitur quod tunc solum Sacramentum ponatur; sed de hac re sermo redibit suo loco, qui plura voluerit videat citatos auctores.

Circa secundum quod in quæstionis titulo proposuimus, nimirum an intentio esse debeat circa materiam determinatam, aliqua diximus supra quæstione 7. præsentis disputationis, idcirco breuiter hoc expediemus; dico ergo rem esse certissimam ministri intentionem debere esse circa materiam determinatam, ut patenter ex formarum verbis colligitur: *Ego te baptizo, ego te absoluo, indulgeat sibi Deus, &c. Hoc est Corpus meum, Hic est Calix, &c.* ubi ille particule, *Te, Hoc, Hic, &c.* materiam determinatam significant. Hinc resoluitur illa communis quæstio; an error ministri circa materiam Sacramenti reddat Sacramentum nullum, verbigratia putabat Parochus baptizare puerum, & erat puella, putabat absolnere Petrum, & erat Paulus. Sylvester verb. Baptismus 3. quæst. 15. cum Hostiensis. videtur docere inualidum esse; vera tamen sententia tenet esse validum; unde gratia claritatis tradunt Theologi communem regulam, si error est circa substantiam Sacramentum

tum nullum est, si est circa qualitatem validum; quæ regula etiam Matrimonii Sacramento applicari debet; regula namque vniuersalis pro omnibus contractibus est, quod error circa substantiam, contractum annullat, secus circa accidentia; cum ergò Matrimonium sit quidam contractus, aliorum naturam contractum seruare debet; quæ regula non debet intelligi de errore circa substantiam materialiter, sed circa substantiam formaliter, iuxta naturam contractus: si namque aliquis emat vestem, & loco illius subrogaretur alia vestis æquè bona, & æquè utilis ad finem emptoris, contractus non dicitur factus cum errore circa substantiam, licet reuera vestis subrogata, sit alia substantialiter ab empta: in Matrimonio autem quilibet error circa uxorem quoad substantiam, contractum annullat; vnde etiam si loco vnus subrogetur alia æquè bona, & æquè utilis, Matrimonium nullum est, quia ad intentum matrimonii, & perpetuitatem contractus matrimonialis, maxi-

ma diuersitas oritur ex vxoris variatione, & ideo censentur contrahentes suam intentionem alligare ad hanc numero personam, non ad aliam, etiam æquè bonam, & c. quæ intentionis alligatio nõ censetur haberi in aliis Sacramentis; & sic, si quis habeat intentionem baptizandi puerum, & est puella, verè puella baptizatur; si quis intendat consecrare vnã Hostiam, quam habet præmanibus, & sunt duæ, vtraque est consecrata; si quis intendat consecrare 6. formulas, seu hostiolas, & plures apponantur, omnes manent consecratæ, quia cum ministri intentio, inquit Nugnus sit religiosa ad materiam præsentem ferri debet tempore consecrationis, neque inquit ille est necessarium quod hoc explicet minister, sed sufficit, quod habeat intentionem faciendi, quod vera facit Ecclesia, & quod non explicet oppositum: hinc colligit Diana tom. 1. tract. 17. resol. 19. quod si Sacerdos in scio Sacerdote aliquas particulas super corporale posuerit dummodo præsentis fue-

rint tempore consecrationis, manant consecratæ, quia cum Sacerdotis intentio religiosa esse debeat, & hæc extendatur ad totam materiam præsentem consecrationis tempore, omnes consecratæ manebunt, cum tunc ille particulae, seu hostiolarum præsentis sint; hoc tamen dicit omnino falsum, & improbabile Lugo hic disput. 8. sect. 7. num. 117. quod ego dicere non audeam, quia ratio Nugnez maximam habet apparentiam, præsertim si coniungantur ea quæ dicit infra quæst. 74. art. 2. difficultate ultima cum ijs quæ docet hic quæst. 64. art. 8. in solutione 5. Vnde non bene reprehenditur Diana à Lugo, quod non rectè mentem illius auctoris expendit, &c. cum reuera illa sit Nugni expressa opinio, non opposita Lugo.

Hinc inferitur ministrum mortaliter peccare qui sequendo opinionem speculatiuè probabilem applicat materiam incertam relinquendo certam; ita communiter scribes; dixi applicat incertam relinquendo certam; quia quan-

do non est materia certa, incerta adhiberi potest, vt cum quis absoluit penitentem moribundum, qui non nisi doloris signa potest exhibere; cuius rei ratio à priori est, quia adhibendo materiam incertam, relicta certa exponitur periculo nullum efficiendi Sacramentum, & falsificandi formam; tum etiam quia faceret cõtra communem usum Ecclesiæ in materia graui, &c.

Circa tertiam difficultatē in quæstionis titulo positam, nimirum quando concurrunt duæ intentiones cõtrariæ, quænam illarum præualeat, dico illam præualere quæ explicitè, vel implicitè est reuocatiua alterius, siue sit prior, siue posterior; tunc autem vna intentio est explicitè, vel implicitè alterius reuocatiua quando habet quandam maiorem vniuersalitatem, quæ in hoc consistit, vt bene aduertit Cardinalis de Lugo supra sect. 8. num. 123. quod quandam contineat reflexionem formalem, vel virtuales supra aliam, ad reuocandam illam & non e contra, verbigra-

tia si hodie intendas sacrum pro Petro absolutè, & omnibus modis applicare, & cras huius intentionis oblitus, applices pro Paulo, sacrum Petro non Paulo erit applicatū, quia prior intentio censetur habere vim reuocatoriam posterioris, sensus enim illius fuit applicare sacrum Petro, non obstante quacunque alia applicatione, ex huius obliuione facta. Quod si cras habeas intentionē reuocatoriam hodiernæ intentionis; vt si dicas applico sacrum Paulo, non obstante quacunque alia intentione prius facta, etiam si prioris non recorderis illa prior reuocata manebit. Similiter si quis testamentum condat cum clausula reuocatoria testamenti cuiuscunque, posterius testamentum non erit validum, nisi fiat cum clausula reuocatoria præcedentis. Item si quis faciat votum non vouendi nisi consulto confessore, votum erit nullum nisi hoc secundum votum habeat virtualement reuocationem prioris intentionis, vt si diceret, non obstante quacunque alia contraria intentione; &

sic intentio magis vniuersalis est reuocatoria alterius. Quod si ambæ intentiones æquales videantur vltimæ standum est, pro illa enim semper præsumitur, nisi de opposito constet. Vide Augustinum Barbosam de clausulis clausula 43. vbi asserit limitationes, & ampliacionis clausulæ derogatoriæ, præsertim in materia testamentorum.

Hinc colligitur, quod si quis intendat consecrare Eucharistiam, sed nolit offerre sacrificium, quia ex errore putat in Missa non fieri verum sacrificium, reuera consecrat, quia prior illa intentio est fortior, & vniuersalior secunda. Item si quis velit conferre baptismum à Christo Domino institutum, non tamen velit conferre baptismum, quem Ecclesia Romana confert, verè baptizat, quia absolutè baptizare vult, & omnino dare verum baptismum à Christo Domino institutum, non vult autem dare quem dat Ecclesia Romana, quia putat illum non esse à Christo institutum, quod si sciret illum esse à Christo institutum, adhuc

adhuc dare vellet.

Sed quid si iste putaret baptismum à Christo Domino institutum esse illum eundem quem Ecclesia Romana confert, & absolute nollet conferre quem Ecclesia Romana confert, tunc dicendum est baptismum nullum esse, hæc enim secunda intentio esset destructiva prioris.

Sed petes an in hoc casu, sicuti etiam ex hypothese quod alius quispiam minister ex insigni malitia non adhiberet requisitam intentionem pro substantia Sacramenti, Deus pro sua clementia suppleret intentionis defectum, vel per se ipsum conficiendo Sacramentum, vel conferendo effectum Sacramenti sine Sacramento, præsertim cum suscipiens accedat bona fide, serio, & cum sufficiente dispositione ad fructum Sacramenti suscipiendum.

Prima sententia circa hanc rem est, quod licet Deus non suppleat Sacramentum, supplet tamen quoad effectum gratiæ. ita Bartholomeus ab Angelis Dominicanus in exâ.

de Sacramentis in communi, dial. 1. S. 31. vbi sic loquitur. *Vbi minister in baptismo, vel penitentia, vel alio Sacramento falleret non habendo intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sed tantum irrideret hominem, & hæc sua malitia non esset nota: Deus, qui facienti quod est in se non deficit in necessarijs, nec alligavit virtutem suam Sacramentis, sua infinita bonitate suppleret, non quoad characterem, sed quoad gratiam.* Qui citat D. Thomam in 4. dist. 24. quæstio 1. quæstiuncula 3. potuisset etiam citari hic art. 8. ad secundam, citat etiam Viguerium pro qua Filiucius tom. 1. tract. 1. cap. 5. num. 80. citat Alensium, Durandum, & Gabrielem, eandem sententiam sequitur Syl. verbo baptismus 6. num. 3. Angelus eodem verbo 7. num. 12. Zanardus in directorio parte prima de Sacramento Baptismi ca. 4. in fine. & Valentia hic disp. 3. q. 5. pun. 3. dicit: *Probabiliter arbitrantur Theologi Deum in infantibus supplere defectum ministri, quando hic malitiose sub*

trahit intentionem, & in adultis eundem defectum ministri suppleri per deuotionem, & fidem ipsius suscipientis. Deo etiam peculiariter ad id cooperante, si quid forte in deuotione deficit quamquam illud de infantibus non secundum legem ordinariam, sed secundum priuilegium quoddam accipi debet. Hæc ille.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum sine debita ministri intentione collatum non solum nullum est, sed neque Deus supplet defectum illius quoad effectum gratiæ. Hæc conclusio quoad primam partem est de fide ut patet ex dictis quæst. 7. præsentis disputationis, vnde est sensus omnium Catholicorum; quoad secundam partem vero, nimirum quod Deus non suppleat illud Sacramentum quoad effectum gratiæ, est etiam communis, pro qua videri possunt expositores D. Thomæ hoc loco, præsertim Suarez, Vasquez, Cabrera, & alij communiter, an autem nostra sententia sit ita certa quod op-

posita sit aliqua censura salutem improbabilitatis digna, ex sequentibus colligere poterit lector, non enim meum est aliorum sententias improbabilitatis, vel alia nota inuere.

Probatur ergo primo nostra sententia ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. vbi loquens de animo Sacerdotis agendi serio, & faciendi quod facit Ecclesia, & de dolore requisito, &c. subdit: *Si aliquid horum deficiat confitentem non esse verè absolutum coram Deo*; ex quibus videtur aperte colligi, quod Deus non suppleat Sacramenti defectum etiam quoad gratiam, cum tunc non absoluitur coram Deo. Probatur secundò, quia admissa illa sententia tollitur necessitas baptismi in ratione medij, contra illud Christi Domini Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Tertio, quia in tali casu si Deus conferret effectum Sacramenti sine Sacramento, vel hoc faceret ex lege ordinaria, & hoc non, quia non aliud nisi Sacra-

Sacramenta sunt media ordinaria iustificandorum hominum, vel ex privilegio, & neque hoc, quia nullum fundamentum huius privilegij reperitur in Sacra Scriptura, vel in aliquo Concilio; ergo non debet de facili adstrui; nec

D. Thomas unquam fuit illius sententiæ, sed solum citat, nominibus suppræmissis, auctores qui talem tenent sententiam, eodem modo explicari potest Alensis, & alij, uno, vel altero excepto.



DISPUTATIO VIII

DE SVBIECTO,

SEV SVSCIPIENTE

SACRAMENTVM.

Explicatis hijs quæ ad Sacramentorum ministrum pertinent, ali qua dicenda sunt in præsentî disputatione de eorundem Sacramentorum subiecto, est autem Sacramentorum subiectum quilibet homo viator non solus prædestinatus, (pro- ut hæreticali; ore dicebat Io- annes Vvicleph, & Ioannes Hus,) vt colligitur ex illo Christi Domini ad Apostolos quos per vniuersum mundum mittebat: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & ex illo: *quorum remisistis peccata remittuntur eis, &c.* cum dicitur quod quilibet homo viator sit Sacramentorum capax, sensus est indefinitus, nõ omnium, nulla namque ætas,

nullus sexus, nullauè condi- tio est, quæ personam viatri- cem reddat incapacem Sa- cramentorum omnium; fæ- rina namque licet excluda- tur ab ordine, non tamen ex- cluditur à Baptismo, à Pæni- tentia, ab Eucharistia, à Ma- trimonio, nisi aliunde impe- diatur. Est autem homo via- tor qui iam ex vtero matris natus est, non enim via incho- atur donec homo ex vtero ma- tris natus est; tunc enim (non prius) incipit esse homo via- tor, in Ecclesiæ foro, seù hu- mano; quandiu enim in vtero matris manet, licet coram Deo viator sit, qua tenus est persona à matre distincta, pro- priæ originalis culpæ capax, propriæque sanctificationis, si

Deus

Deus illam conferre vellet, non tamen quoad nos homines, qui sensibus utimur, nisi quando nostra luce uti incipit, nobisque sensibilibiter apparet, ideo quandiù in utero matris manet, Sacramenti nõ est capax; quia *Sacramentum*

est signum visibile, & per ministrum Ecclesie visibilis ministratur. An autem, & quomodo puer in ventre matris aliquo modo apparens baptizari possit, suo loco dicetur modo sit.

QVAESTIO I.

An ad validitatem Sacramenti sit necessaria ex parte adulti positiua intentio illud recipiendi.

Relicta, circa hanc, rem Glosam in cap. *Maiores* de Baptismo quæ vult Baptismi Sacramentum validum esse, licet qui baptizatur corde positiuè dissentiat, dum tamen ore se consentire dicat; hac inquam relicta sententia cum ab omnibus relinquatur, duæ celebres restant quæ modo subiiciuntur.

Prima sententia docet; solum requiri ad validitatem Sacramenti, verbigratia Baptismi quod ille qui baptizatur non habeat voluntatem con-

trariam, etiam si non habeat, vel nunquam habuerit voluntatem baptismi recipiendi. Hanc sententiam docet Caietanus infra quæstione 68. art. 7. Ledesma in 4. l. p. q. 9. art. 7. M. Penna 3. p. quæst. 64. & quæst. 68. art. 7. Glos. in cap. solet, verbo implorandum de consecrat. dist. 4. & videtur esse D. Thomæ 4. dist. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3. vbi docet: *quod in adultis solum requiritur voluntas suscipiendi baptismum ut tollatur obex*, quibus verbis ostende-

re videtur quod si non adfit voluntas contraria suscipiendi baptismum, quæ poterat esse prohibens, non erit opus positua voluntas illud suscipiendi. Sed certè quoad D. Thomam nulla est difficultas, cum planissimis verbis oppositum doceat, vt postea videbimus, vnde vt notauit Nugnus infra quæst. 68. art. 7. vel D. Thomas mutauit sententiam, vel melius dicendum est, quod per D. Thomam illa voluntas quæ est sufficiens ad tollendum obicem; aliquo modo positua esse debeat.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Ad validitatem Sacramenti baptismi, & aliorum quorum esse est fieri, necessaria est ex parte recipientis intentio, seù consensus formalis, vel virtualis, seù interpretatiuus, secundum diuersitatem Sacramentorum, vt ex solutionibus argumentorum, patebit de quolibet. Dixi in conclusione ad validitatem Sacramentorum, quæ in fieri consistunt, vt excluderetur Eucharistiæ Sacramentum ad cuius vali-

ditatem nulla, vt pater, recipientis intentio requiritur, an autem ad fructum, ex infra dicendis patebit. Hanc conclusionem habet D. Thomas infra quæst. 68. art. 7. vbi habet. *Per baptismum aliquis moritur veteri vite peccati, & incipit quandam vita nouitatem, secundum illud Rom. 6. consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, vt quando Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vite ambulemus. Et ideo sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vite requiritur secundum Augustinum in habente usum liberi arbitrij, voluntas qua cum veteris vite paniteat, ita requiritur voluntas qua intendat vita nouitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas siue intentio suscipiendi Sacramentum.* Hæc D. Thomas, & quidem optimè nam luce clarius est quod ad incipiendam nouam vitam, noua per se loquendo, requiritur intentio. Vnde merito hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 4. q. 1.

Duran-

Durandus quæst. 7. D. Bona-
uentura art. 2. quæst. 1. & alij
omnes. Vnde videtur defini-
ta ab Innoc. 3. in cap. *Maio-
res* de baptismo dum dicit:
*quod si quis dormiens aut amens
baptizetur, nullum est Sacra-
mentum, nisi prius habuerit a-
nimam, aut propositum illud re-
cipiendi.*

Nec iuuat oppositum de-
fendentes Innocentij men-
tem solum esse definire, nul-
lum esse Sacramentum si talis
baptizatus contrariam habu-
erit intentionem, quod vide-
tur colligi ex illis eiusdem
Innocentij verbis; *Qui vero
non consentit, sed penitus con-
tradicit, nec rem, nec charac-
terem suscipit.* Nam in illis
verbis supponit Innocentius
non consentientem, non reci-
pere verum Sacramentum,
quod argumentando à mino-
ri ad maius probat, quia qui
penitus contradicit, nec reci-
pit Sacramentum, quia prius
inquit, est contradicere quam
non consentire; quæ ratio nul-
lam prorsus vim haberet, nisi
præsupponeret, quod non
consentiens, verum non reci-
pit Sacramentum.

Idem definitum videtur in
cap. cum paruulis de conse-
crat. dist. 4. & in Concilio
Arausicano primo cap. 12. vbi
dicitur. *Obmutescens bap-
tizari potest si voluntatis præte-
rita testimonium aliorum ver-
bis habetur;* & in Concilio Car-
tag. 3. cap. 34. vbi dicitur.
*Aegrotantes si per se respondere
non possunt, cum voluntatis eo-
rum, hi qui sunt, dixerint te-
stimonium, baptizentur.* Et
videtur etiam colligi ex Sacra
Scriptura: Matt. ultimo. *Do-
cete omnes gentes, baptizantes
&c.* vbi Christus Dominus
vult doctrinam præcedere,
debere baptismum. Et ex illo:
*qui crediderit, & baptizatus
suerit saluus erit,* vbi vtrum-
que, nempe, & fides, & bap-
tismus nostræ reliquit volun-
tati, & per consequens sicut
ad fidem, nostra requiritur vo-
luntas, ita ad Baptismum.
Propterea dicebat D. August
in Io. 14. *Qui fecit te, sine te,
non saluabit te, sine te;* ratio-
nabile namque est, vt adultus
non iustificetur nisi dependē-
ter à propria voluntate;

Probatur primo nostræ
conclusio ratione. Sacramē-

ti susceptio respectu adulti (respectu namque paruulorum supplet Ecclesia vt est communis Catholicorum sensus) debet esse humana , & voluntaria , sed æquit esse humana , & voluntaria , nisi adsit intentio saltem virtualis , & interpretatiua ; ergò hæc intentio ad Sacramenti susceptionem requiritur . Maior patet , quia nullus fieri potest Christianus , Dei , & Ecclesiæ præceptis subditus , nisi volens ; alioqui homo ad fidem , & legem Christi Domini obligaretur non volens ; & quod sine proprio consensu transferatur quis ad aliam religionem (præsertim cum valde rigorosa sit , & quæ contra sensualitatem sunt proponens) contra id quod dictare viderur , & ius naturale , & nostræ religionis professio ; est enim adultus suarum Dominus actionum , & sic sine proprio consensu , nec spiritualiter regenerari , nec ad aliam religionem quis transferri debet , Minor ex se satis liquet , vbi enim nulla est voluntas , nulla humana actio esse potest actio namque in tantum hu-

mana est , in quantum est libera , & in tantum libera est , in quantum sub libera intentione , & electione cadit .

Probatnr secundo discurrendo breuiter per singula Sacramenta . Nam Sacramentum Pœnitentiæ cum sit institutum per modum iudicij , in quo pœnitens est accusator , & testis , petens sententiam à Sacerdote tanquam à iudice legitimo , sine eiusdem pœnitentis intentione esse non poterit : quomodo potest pœnitens à Sacerdote petere , & expectare iudicium , & sententiam sine voluntate , & intentione saltem virtuali ? Similiter Sacramentum Baptismi , Confirmationis , & Ordinis , cum imprimant characterem , perpetuam afferunt obligationem , & grauem , quæ nemo subire censendus est , sine propria voluntate ; si namque hæc non adsit , vnusquisque censetur suam conseruare velle libertatem . Item extrema vñctio internam affert sanctitatem , quam Deus nulli nisi volenti confert . Matrimonium pariter specialem habet rationem , contractus namque huma-

humanus est, de cuius ratione est, quod contrahentium asserat voluntates, cum enim vtrinque pariat obligationem & hæc sine libertate, & voluntate non subeatur, sequitur quod sine voluntate non coalescat: Soluuntur argumenta.

Primum argumentum est, quia Sacramentum baptismi paruulis collatum valet, sine paruulorum consensu; ergò etiam adultis sine eorum consensu conferri potest. Antecedens est de fide. Consequentia probatur, quia Sacramentum Baptismi paruulis, & adultis collatum, est eiusdem speciei; ergò debet eisdem partibus constare, sed in paruulis non constat intentione suscipientis; ergò neque in adultis.

Respondetur concedendo antecedens, & negatur consequentiam, respectu namque paruulorum, supplet Christus, & Ecclesia, respectu vero adultorum, proprium requirit Christus, consensum. Ad probationem dicitur, quod licet baptismus paruulorum, & adultorum sint eiusdem

speciei, aliquid tamen requirit in adulto, quod non requirit in paruulo, vt patet.

Secundum argumentum est, quia Sacramentum baptismi conferri potest in somnis, & in amentia, & in frenesi. Vnde D. August. lib. 4. confessionum cap. 4. de quodam suo amico refert factum esse saluum per baptismum in frenesi collatum: quod idem docent scribentes in supra citatum cap. *Maiores*; pro quo videri potest Barbosa in collect. illius loci. Sed homo in somnis, in amentia, in frenesi non habet voluntatem, nec formalem, nec virtualem; ergò &c. propterea supra nos docuimus in Sacramentorum ministro, vsum requiri rationis, quia per somnum &c. intentio formalis, & virtualis interrumpuntur; ergò &c. si enim semel verum est hominem posse baptizari in somnis, & quod in somnis non permaneat intentio formalis, & virtualis, patenter sequitur posse Sacramentum ministrari, sine intentione formali, vel virtuali.

Respondetur concedendo

maiolem, dummodo ille ante somnum, amentiam, frenesim; voluntatem suscipiendi baptismum habuerit. Ad minorem dicitur, quod licet homo in somnis voluntatem formalem, nec virtuales habeat, sufficit tamen quod præcesserit, & retractata non fuerit, quod idem est ac dicere quod ad Sacramentum verbigratia Baptismi suscipiendum, voluntas sufficiat habitualis, quæ ex actuali nondum retractata relinquatur. Si vero loquamur de voluntate requisita ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ, & extremæ vnctionis in frenesi, verbigratia (quando tamen in infirmo frenetico nullum est irreuerentiæ periculum ex talium Sacramentorum administratione) sufficit habitualis, non actuales supponens, sed virtuales, seu interpretatiuam; pro quo nota voluntatem interpretatiuam esse duplicem vt notant N. Salm. tract. 17. tom. 1. num. 12. disput. 5. num. 35. & 36. Alia est pro modum actus primi, quæ ad habituales reuocatur, & tunc est cum quis ex

habituali dispositione, vel inclinatione cordatè iudicat hoc, vel illud facturum, si recordaretur, aut si talis, vel talis conditio poneretur; quando autem non recordatur, vel conditio non ponitur non licet interpretari quod de facto id velit, aut imputare ei quasi voluisset, & hæc voluntas interpretatiua, sicut non est sufficiens ad bonitatem, vel malitiam moralem actuum, vt prædicti Patres adnotarunt, ita neque sufficiens erit ad Sacramenta recipienda, cum enim hæc sit per modum actus primi, non secundi, sufficiens esse nequibit, ad hoc vt homo censeatur velle Sacramentum recipere. Alia est voluntas interpretatiua per modum actus secundi, quæ ad virtuales reducitur, & tunc est, quando prudenter interpretatur aliquem de facto velle a liquid circa quod non directè habet actum, sed habuit aliquem actum in quo iste virtualiter continetur, & nunquam fuit positivè retractatus: vt enim in exemplo extremæ vnctionis, & Eucharistiæ persistamus, eo ipso quod

quod quis fuit Christianus, & voluit in Ecclesia Catholica viuere, & mori, quæ voluntas præsumitur ab Ecclesia de omnibus fidelibus, censetur habuisse voluntatem virtua-lem recipiendi illa duo Sa-cramenta, vt faciunt alij fi-deles, & sic, in virtute illius voluntatis interpretatiuè in articulo mortis ministrantur, etiam si numquã positiuè illa petierint. Videatur Diana de casibus occurrentibus tem-pore mortis resol. 46. vbi plu- res pro hac re refert, & sequi- tur. Similiter resol. 84. & alibi.

Sed an hæc voluntas inter-pretatiua sufficiat pro Sacra-mento Pænitentiaæ digladian- tur scribentes, Molfesius nam- que, Homobonus, & alij plu- res quos refert Diana de ab- solutione moribondi resol. 8. p. 3. & Lugo de Pænitentia disput. 17. sect. 3. dicunt suf- ficere; vnde volunt non solum absolui posse moribundum qui peccatum in genere con- fessus fuit, verum etiam eum qui nec confessus est, nec con- fessionem petijt, nec signa pænitentiaæ in tali articulo de-

dit, dummodo prius christia- no modo vixerit, &c. alij pro- babilius negant de quo suo loco.

Sed dices si voluntas inter-pretatiua sufficiens est ad sus- cipiendum validè, & cum fructa Sacramentum extremae vnctionis, & Eucharistiaæ eti- am sufficiens erit ad recipi- endum Sacramentum Baptis- mi, & per consequens, qui nihil vnquam de Baptismo co- gitauit habuit tamen genera- lem voluntatem procurandi salutem, & bene viuendi, po- terit postea, si sensibus desti- tuatur baptizari, etiam si ni- hil vnquam de christiana fide cogitauerit.

Respondet P. Coninchus hic quæst. 64. art. 8. dub. 5. num. 103. concedendo argu- mentum, vult enim ille quod illa voluntas quæ est suffici- ens ad Sacramentum Eucha- ristiaæ cum fructu suscipien- dum, & ad suscipiendum Sa- cramentum extremae vnctio- nis, sufficiat etiam ad bap- tismum, & ad alia Sacramenta, Pænitentia, & Matrimonio ex- ceptis; dicit ergò, quod qui- cunque vult fieri christianus,

aut

aut etiam habet attritionem de propriis peccatis quatenus is meretur pœnas inferni, aut iexcluditur a gaudiis cœlestibus, censeretur implicite petere baptismum, etiam si de eo nihil vnquam audierit, quia talis dolor includit virtuale propositum seruandi omnia præcepta ad talem finem necessaria, quorum vnum est præceptum baptismi.

Sed Lugo admittit Coninchi doctrinam quoad illum, qui volebat fieri Christianus, quia in tali voluntate suscipiendi vitam Christianam, includitur sufficiens propositum suscipiendi Baptismi; non vero admittit quoad illum, qui nihil, nec de Baptismo, nec de vita audiuit Christiana, & elicit actum attritionis super naturalis, licet enim in tali actu attritionis contineatur

virtuale, seu interpretatiuum propositum seruandi omnia præcepta, & per consequens seruandi etiam præceptum baptismi, tamen ad hoc Sacramentum suscipiendum, magis specialis requiritur intentio; cum enim nouam subeat obligationem, nouam religionem, nouiter regeneretur, & fiat per tale Sacramentum prima, & solemnis fidei, & Christi professio, specialis intentio, & non generalis sufficiet, at vero fidelis dum habet illam intentionem generalem recipiendi Sacramenta in mortis articulo, quæ ab aliis suscipi solent, nouam non subit obligationem, sed solum intendit facere quod alij fideles faciunt in ordine ad propriam saluationem, &c. quæ omnia patent ex supra dictis &c.



QVAESTIO II.

An licitum sit recipere Sacramenta à malo ministro etiam publico si sit paratus, & ab Ecclesiâ toleratus.

Pro huius, & sequentium difficultatum intelligentia, attende; illum dici ministrum ab Ecclesia toleratum qui quamvis iniquus, & peccator sit, adhuc tamen non est ab Ecclesia præcisus per excommunicationem, aut per aliam censuram, non est ab Sacramentorum administratione suspensus; è contra vero minister non tolleratus est ille qui est ab Ecclesia prohibitus suspensus, præcisus, seu etiam degradatus, ut ergo minister non tolleratus iudicetur, non sufficit quod sit excommunicatus, irregularis suspensus, aut degradatus, sed necesse est, ut sit nominatim excommunicatus, aut publicus clerici percussor, ita ut nulla tergiversatione possit occultari. ic enim determinavit Mar-

tinus V. in Concilio Constantiensi, quæ constitutio licet inter illius Concilij acta non reperiatur, recipitur tamen ab omnibus Theologis communiter, illam referunt D. Antonius 3. p. summæ tit. 15. lib. 25. cap. 13. Adrianns de Baptismo quæst. 3. Caietanus in summa verbo excommunicatio. Et licet aliqui Doctores velint sufficere adhuc ut minister censi debeat non tolleratus, quod per iudicis sententiam sit nominatim excommunicatus, probabilius tamen, & magis receptum est, id non sufficere; sed insuper requiri ut sit denunciatus, hoc est manifestus per publicam in Ecclesia manifestationem, aut per affixionem excommunicationis in loco publico, vel per aliquid æquivalens, quod magis

magis conforme videtur dictæ Martini constitutioni, cum enim illa constitutio sit favorabilis, & fauores sint ampliandi, & non restringendi iuxta regulam iuris in 6. non est illa constitutio extendenda ad excommunicatos nominatim non denunciatos, alias magna oriretur perturbatio, multisque scrupulis venerentur fideles, cum non facile discernere possent, quis nominatim excommunicatus confendus esset, quam per plexitatem facili negotio vitamus, si prædicto modo Martini constitutionem, intelligamus. Vnde quantumuis aliquis sit excommunicatus, criminofus hæreticus, apostata, semper censi debet ab Ecclesia toleratus, quandiu per specialem sententiam nominatim, publicè non denunciatur; quæ omnia debent semper in memoria armariolo diligenter conservari. His positis.

Prima sententia fuit aliquorum antiquorum, quod nullo modo liceret Sacramenta recipere à Ministro publico peccatore, siue etiam occulto, etiam si paratus, sit &

toleratus ab Ecclesia, in qua sententia videtur esse D. Gregorius relatus in capit. *Si qui sunt.* dist. 81. vbi dicitur: *Non esse licitum audire Diuina officia à Clerico fornicario, ergò multo minus licebit accipere Sacramenta.*

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Licitum est Sacramenta recipere à ministro peccatore tolerato, quando est paratus illa administrare. Hanc conclusionem defendunt Theologi omnes cum D. Thoma in hac quæst. 64. art. 6. ad secundum, vbi dicit; *Ille qui ad Sacramentum accedit suscipit Sacramentum à ministro Ecclesie non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesie, & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesie, quæ eum tanquam ministrum exhibet.* Hæc ille vbi habes fundamentalem nostræ conclusionis rationem.

Probatur primo ex capit. fin. 15. quæst. 8. vbi Nicolaus Papa dicit; *Interim dum*
mini-

minister reicitur Episcoporum iudicio, licet ab eo Sacramenta suscipere, mali enim ministri solum se ipsos ledunt, veluti candela accensa, qua sibi detrimentum parat, alijs vero lumen administrat. Idem habet Lucius 3. in capit. Vestra de cohabit. clericor. & mulierum.

Probatur secundo ratione Ledesmae summa de Sacramentis in genere dub. 11. cōclusionē 10. quam sequitur Valentia hic. Cabrera, & alij quos refert, & sequitur Diana de Sacramentis resol. 59. & tractatu de scandalo resol. 4. quia cuique licitum est uti alterius iniquitate in propriam utilitatem, & commodum quando ille paratus est ad peccandum; ergo licitum erit Sacramenta recipere à malo ministro, etiam excommunicato, dummodo toleratus sit ab Ecclesia, & sit paratus administrare. Antecedens probatur tum ratione, tum exemplo, ratione quidem, quia si ob aliquam rationem non esset licitum uti alterius iniquitate quando ille paratus est peccare, maxime quia

præberetur scandali occasio; sed quando quis est iam paratus peccare nulla præberetur scandali occasio; ergo &c. nam licet ille peccet mortaliter, verbigratia, Sacramentū in peccato mortali administrando, tamen illud idem peccatum, inquit Ledesma, iam prius veluti in virtute commisserat, cum iam paratus esset Sacramentum ministrare. Adhoc facit ratio D. Thomæ, quia qui recipit Sacramentum à ministro parato non communicat peccato ministri, sed non cooperatur peccato illius, quia non utitur illo ut persona particulari pure affecta, sed ut ministro publico Ecclesiæ ab eadem Ecclesia tolerato. Adde quod in prædicto casu fidelis petens Sacramentum à malo ministro petit rem licitam, quamque idem minister licitè, si velit, potest ipsam præstare, petit rem sibi utilem, & bonam, etiam secundum se ipsi ministro, etiam excommunicato; & si habet illa auctio malitiam adiunctam, ministri culpa est, secundum se tamen omnino caret culpa.

Probatur etiam illud antecedens exemplis: primum fit, quod cum alijs docet Diana resol. 7. de Scandalo quod nimirum in die ieiunij licitum est inuitare ad cœnam quem scio paratum esse frangere ieiunium: cuius rei ratio est, quia illa inuitatio non est causa peccati transgressionis ieiunij, iam enim supponitur esse commissum, nec est conditio sine qua ieiunium non violeretur externè, quia iam alibi cœnaturus supponitur, sed est solum oblatio materiæ quam ille eligit ex suppositione quod est cœnaturus.

Secundum exemplum fit quod licet ab vsurario parato mutuum petere, quia peccatum fœneratoris ex pura malitia est, non ex vi petentis mutuum; petens namque mutuum, rem bonam petit, quam ille sine peccato præstare potest, si velit, nec vsurarius in peccatum ruit ex vi petitionis alterius, sed ob insignem eiusdem vsurarij malitiam. Diana vbi supra resol. 8.

Tertium exemplum est, quia licet petere iuramentum ab eo quem scio fallum iura-

turum, dummodo aliqua necessitas, vel vtilitas adsit illud petendi, vt docet Suarez tom. 2. de Religione lib. 3. de iuramento cap. 15. num. 10. & alii quos refert, & sequitur Diana vbi supra resol. 9. ergò &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum defumunt ex cap. citat. D. Gregorii Magni & ex cap. *Nullus* & ex cap. *Præter*, dist. 32. & cap. *Vestra*, & alibi, vbi prohibetur ne Missa audjatur, & ne Sacramenta suscipiantur à publico concubinario. Respondetur sicut Soto hic, & aliis scribentibus illas prohibitiones esse reuocatas per constitutionem Martini V. nec est audiendus Martinus Nauarrus in summa cap. 25. num. 80. quod iterum illa capita fuerint revalidata per Concilium Tridentinum sess. 15. cap. 14. de reformatione, quatenus renouat pœnas olim contra publicos concubinos latis, nam ille antiquæ prohibitiones erant suspensiones quædam; & censuræ genus, reuocatum per Concilium Constantiense, non reu-

reualidatum à Tridentino, cum solum de pœnis loquatur Concilium, non de censuris; & sic eadem prorsus est ratio modo de publicis concubinariis, ac de aliis publicis peccatoribus toleratis.

Secundum argumentum est, quia ministrans Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter; ergò postulās Sacramentum à ministro malo, peccat mortaliter. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia si ego non postularem Sacramentū ille non peccaret mortaliter; ergò mea postulatione sum causa peccati mortalis, & per consequens pecco mortaliter. Nec valet dicere, quod ego peram Sacramentum à ministro iam parato, & per consequens non sum causa peccati, cum iam commiserit illud: Nam contra est, quia ille licet paratus sit non ideo actualiter peccat, sed ad summum habitualiter in peccato perseverat; vnde potius ille dici deberet habitualiter paratus, quam actualiter; facere autem quod ille qui est habitualiter paratus fiat actuali-

ter paratus: facere quod ille qui est habitualiter peccator fiat actualiter peccator, certè est ad peccatum inducere, & per consequens peccare; quis enim dicet quod facere quod aliquis hic, & nunc peccet in indiuiduo, & actualiter, & immediate illi peccandi materiam subministrare, non sit peccatum?

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad probationem bene respondetur ibidem. Ad improbationem dico, quod siue sit habitualiter paratus, siue actualiter, ego non sum causa quod fiat actualiter peccans, nec ego offero materiam peccandi, quæ de se sit peccati materia, sed vt dicebamus, ex ministri malitia, materia secundum se bona, fit peccati materia: nec ego præbendo talem materiam sum causa moralis peccati ministri, quia ego, vt suppono non volo illius peccatum, sed permitto; hoc autem non est per se malum, alioqui Deus qui hominum, & Angelorum malorum peccata permittit, male faceret, quod nequam est

dicere; similiter in republica permittuntur meretrices, hæbreotum vsuræ &c. pero ergò à ministro rem bonam quamque bene præstare potest, peto namque Sacramentum, quod licite potest ab illo exceri, si velit, malitiam ipsius permittendo.

Tertium argumentum est, quia si liceret recipere Sacramentum ab excommunicato tolerato, & parato, liceret etiam emere Sacramentum baptisimi, ab eo qui paratus est vendere; hoc est falsum, ergò & id ex quo sequitur. Sequela patet, quia in utroque casu vt suppono, minister est paratus, & toleratus; ergò quod licet in primo, licebit etiam in secundo.

Respondetur negando sequelam, aliud enim est emere rem spiritualem, aliud petere Sacramentum; primum enim symoniacum est, non secundum, est enim symonia, tum in venditione, tum in emptione, vt patet, cum sit *contractatio rei spiritualis pro temporalis*, licebit quidem non emere Sacramentum, sed offerre pecuniam Sacerdoti vo-

lenti puerum infantem sine prætio baptizare, licitum est offerre Sacerdoti pecuniam, vt sibi Sacramentum Eucharistiæ, Pænitentiæ, &c. administret, quando aliter administrare non vult; non enim teneris tanto Sacramentorum bono priuari ob alterius iniquitatem, nec concurris ad eius peccatum, sed tuam redimis vexationem; ita Lessius lib. 2. cap. 35. num. 38. & 39. Suarez de symonia capit. 12. num. 13 & a. ii magis communiter.

Quartum argumensum est quia nullo modo est licitum ab alio petere, quod sine peccato præstare non potest; sed excommunicatus non potest Sacramenta sine peccato administrare; ergò nullo modo licitum est, ea ab excommunicato petere. Nec valet dicere quod excommunicatus possit sine peccato Sacramenta administrare, quia potest absolutionem ab excommunicatione impetrare; Nam contra hoc est, quia contingere potest, quod excommunicatus nullum habeat à quo absoluator, præsertim quando
excom-

excommunicatio superiori reseruata est, & ille est absens, nec potest facile adiri. Ad hoc argumentum Vasquez opus. de charitate quæst. 23. ar. 8. dub. 4. num. 42. Basil. Pontius, de Matrim. lib. 5. cap. 18. § 9. num. 65. Granada hic contro. 3. tract. 5. disput. vltima num. 6. & alij, respondent in hoc casu Sacramentum non esse petendum, quia tunc Sacramentum petitur ab eo qui si petitioni acquiescat, non potest benè, vel malè Sacramentum administrare, cum non sit in sua potestate ab excommunicatione absolui, sed solum malè, propter excommunicationem, quæ administrationem impedit Sacramenti; & sic illa petitio tunc temporis scandali adiuui rationem habet, cum petat id, quod non nisi malè fieri potest (intellige extra casum necessitatis svt. quæstione sequenti dicetur) &c.

Sed melius respondetur cū Sanchez lib. 7. de Matrim. disput. 9. num. 8. Hurtado 2.2. disput. 173. sect. 18. §. 249. & alij, Sacramentum etiam tunc temporis peti posse, quod

clare colligitur ex decreto Concilij Constantiensis quod concedit excommunicatis, (dummodo cum vera, vel saltem existimata contritione id fiat) vt possint absque peccato Sacramentum ministrare, ex priuilegio sibi concessio in recipientium fauore; cum enim detur in tali concessione pænitentibus facultas, vt ab excommunicato tolerato petere possint Sacramenta, datur ex consequenti facultas ministro ad illud ministrandū, alias illa facultas vana, & inutilis esset. Vnde non licet Sacerdoti excommunicato etiā tolerato efficere adionem aliquam sacram, nec administrare Sacramentum, neque communicare cum alijs, nisi inuiteretur à non excommunicato; huic enim directè priuilegium concessum est, indirectè Sacerdoti excommunicato. Quapropter non excommunicatus sine nulla causa Sacramenta petere potest ab excommunicato, dummodo prudenter existimet illum non esse in peccato mortali, aut se Deo per contritionem reconciliare posse; & ratio est, quia illa
excom-

excommunicatio non afficit non excommunicatum, neque obligat illum vt abſtineat à non petendo Sacramento ab excommunicato, nec ipſe excommunicatus ex vi præciſe excommunicationis peccat Sacramentum adminiſtrando, nec irregularitatem incurrit Sacramenta adminiſtrando cenſuratus, ſi ab non excommunicato petatur, ſecus ſi ſua ſponte ſe ingerat.

Ex quibus inferunt aliqui cum Suarez, & benè, quod etiam ſi miniſter excommunicatus toleratus non eſſet paratus, adhuc liceret petere ab eo Sacramentum, cum enim nullum ſit peccatum miniſtro excommunicato Sacramentum miniſtrare, quando à non excommunicato petitur, parum refert quod ſit, vel non ſit paratus, cum ad nullum inducatur peccatum.

Similiter notat idem Suarez non licere petere Sacra-

mentum à miniſtro parato, quando eſt adminiſtraturus in peccato mortali, quando commodè poſſum ab alio, qui dignè adminiſtrabit petere Sacramentum, hoc enim dicitur, & reuerentia erga Sacramentum, & charitas erga miniſtrum. Dixi commodè, quia vt notauit Cabrera hic art. 6. ſtante rationabili cauſa poteſt quis Sacramentum petere à quocunq; miniſtro dummodo paratus ſit, vnde benè inferit, quod quando virtute alicuius iub ilei aut priuilegij, conceditur facultas eligendi confeſſarium, & plures ſedent ad audiendas confeſſiones, quorum vnus, verbigratia Petrus eſt concubiniarius, quamuis eligi poſſit alius confeſſarius vir probus, poteſt ſine peccato eligi Petrus, ſi ſit cæteris doctior, quia melius me adiuuabit, doctrina, conſilio, &c.

QVÆSTIO III.

*An licitum sit Sacramenta petere à proprio Sa-
cerdote, Episcopo, aut Parocho excommu-
nicato tolerato, non parato extra
casum extremae nec
sitatis:*

IN primis est in hac re cer-
tum non esse licitum Sa-
cramenta petere à ministro
etiam Parocho quantumvis
parato extra casum necessi-
tatis, quando non tolleratur
ab Ecclesia, qui enim licitum
ministrem ab Ecclesia non
tolerari, non videtur illo ut Ec-
clesiæ ministro, sicuti quando
est toleratus, ut quæst. præ-
cedenti cum D. Thoma dice-
bamus; sed ut persona priua-
ta mala, atque ad eum directè,
vel indirectè illius peccato com-
municat.

Est etiam secundo certum
in casu extremae necessitatis
licitum esse petere, in quo eti-
am inducere Sacerdotem eti-
am hæreticum, apostatum,
degradatum, &c. non para-

tum, nec ab Ecclesia tolera-
tum, ut mihi Sacramentum
conferat: quod clarè deduci-
tur ex Concilio Tridentino
sess. 14. cap. 17. ubi pro mor-
tis articulo nullum excipit Sa-
cerdotem, sed omnes vult pos-
se tunc temporis quoscuque
penitentes à quibuscunque
casibus, & censuris absoluerè.
Et hoc idem dicendum est de
quolibet alio Sacramento, si
necessitas urgeat, ut de Sacra-
mento Baptismi, si non possit
qui possit baptizare, nisi Sa-
cerdos hæreticus, degrada-
tus, &c. vel etiam si alius ad-
esset, verba tamen formæ igno-
raret; idem dico de Sacramen-
to extremae unctionis; in casu
quo adultus, nec posset con-
fiteri, nec communicare, pos-
set

set petere extremam vnctionem ab hæretico, degradato, &c. tunc enim temporis, censeretur esse in extrema necessitate, quia si non recipiat Sacramentum fortè in æternum peribit, quia fortassis solum habet attritionem, cum qua sola absque Sacramento, non contingit salus, cum Sacramento vero contingit, vt supra dicebamus, probantes omnia Sacramenta conferre primam gratiam, saltem per accidens. his vt certis suppositis, quærimus num extra casum extremæ necessitatis licitum sit petere Sacramenta à proprio Sacerdote excommunicato non parato, tolerato tamen.

Prima sententia est aliquorum qui volunt non licere, nisi quando paratus est, sicut non licet petere à Sacerdote non proprio nisi quando paratus est.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione; licitum est per se loquendo recipere, imò & inducere proprium Sacerdotem etiam excommunicatum, & non paratum, ab Ecclesia tamen toleratum,

vt Sacramenta administret.

Hæc conclusio est communis Thomistarum, Caietani, Soti, & aliorum hic quæstione 64. art. 6. & clare deducitur ex Doctrina D. Thomæ illo art. ad secundum, quatenus absolute docet licere petere Sacramenta à ministro tolerato &c. nota tamè quod tempore D. Thomæ nullus excommunicatus erat toleratus, tunc enim temporis vigebarius antiquum quo prohibebatur petere, vel accipere Sacramenta ab excommunicato quod ius fuit postea, vt quæst præcedenti aduertimus, in Concilio Constantiensi moderatum, propterea non mirum quod D. Thomas in illa solutione ad secundum dicat excommunicatum non esse ab Ecclesia toleratum.

Probatour nostra conclusio ratione; quia vnusquisque licitè petit, & acquirit quod sibi ex iustitia debetur, sed quando minister ex iustitia ministrare tenetur, Sacramenti ministratio titulo iustitiæ illam petenti est debita; ergò nullo modo peccat quis, Sacramentum petendo à proprio

prio Sacerdote &c. Maior est certa, vnusquisque namque ius suum exigere potest, in qua exactione per se loquendo iniquitas nulla esse potest. Minor etiam est certa, obligatio enim ministri iustitiam, seu iustitiæ ius in altero ponit, cum enim iustitia sit ad alterum, sequitur quod si quis obligatur ministrare ex iustitia, ille cui minister obligatur, ius iustitiæ habet aduersus ministrum, ex iustitia obligatum. Consequentia benè sequitur, ius enim iustitiæ per se loquendo in neutra parte iniquitatem afferre potest; alioqui iustitiæ ius non esset, cum iustitia iniquitatis vinculum esse nequeat &c.

Confirmatur ratione, præcedenti quæstione tacta, quia vnusquisque licitè petere potest præsertim quando aliunde habet ius, quod alter si velit licitè præstare potest, sed Parochus verbigratia, licitè præstare potest Sacramentum subdito; ergò subditus licitè

Sacramentum per se loquendo petere potest. Dixi per se loquendo, quia vt bene aduertit Suarez, & alij scribentes hic, per accidens contingere potest, non posse subditum licitè Sacramentum à Parocho proprio petere, etiam si paratus sit, quando nimirum subditus æquè benè alium adire potest, verbigratia confessarium: tunc enim & ob reuerentiam Sacramento debitam, sancta namque sanctè debent pertractari; & ob motiuum, & obligationem charitatis, quæ obligat, vt curem, malum, præsertim spirituale, proximi mei vitare, quando sine meo incommodo id facere possum; peccabit ergò tunc temporis subditus contra charitatem, non contra iustitiam, cum, quod sibi iure debetur petat; si tamen subditus aliquod detrimentum subeat alium adundo confessarium, aut maiori bono priuaretur, ad hoc non teneretur, vt etiam quæstione præcedenti aduertimus.

QVAESTIO IV:

*Virum idem Sacramentum secundum speciem
semper, & in omnibus habeat equa-
lem effectum.*

AD effectum Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ Sacramenta dicuntur mortuorum, recipiendum sufficit attritio etiam cognita, tam ex parte mediij quam præcepti; loquimur de Baptismo quando adultis conferitur, respectu namque paruulorum nulla, vt patet, requiritur dispositio. In aliis vero Sacramētis necessaria est perfecta contritio, excepta Eucharistia, pro qua dignè recipienda requiritur confessio in eo qui sibi conscius est peccati mortalis, hæc certa sunt, & fusè in s locis explicabuntur; quod modo quærimus est, an dispositio sit vnica mensura gratiæ suscipiendæ.

Prima sententia est Sacramentum habere multoties in æqualem effectum, etiam si non sit diuersa dispositio ex

parte subiecti; quam sententiam sequitur Paludanus in 4. dist. 4. quæst. 1. quam Scoto, Gabrieli, & Caietano tribuit Lugo hic disput. 9. sect. 2. num. 11.

Secunda sententia præcedenti opposita est, quod Sacramenta eiusdem rationis, etiam cum inæquali dispositione semper æqualem conferunt effectum, pro qua sententia nullus refertur auctor.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum eiusdem speciei in subiecto æqualiter disposito habet eundem effectum, & diuersum in inæqualiter disposito, ita quod sacramentum conferat maiorem, vel minorem gratiam homini magis, vel minus disposito. Hæc conclusio videtur definita in

Tri-

Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi loquens de ijs qui per baptismum iustificantur dicit: *Iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Probatur conclusio primo à priori, quia omnis causa habens latitudinem gradualem effectus, & causalitatis, producit eundem effectum magis, vel minus intensum secundum maiorem, vel minorem subiecti dispositionem, sed gratia quæ est Sacramentorum effectus, suam habet latitudinē, vel gradualem, vel radicationalis, eiusdem entitatis gratiæ, & ipsa Sacramenta habent causalitatis gratiæ latitudinem; ergò causabunt maiorem, vel minorem gratiam secundum maiorem, vel minorem dispositionem subiecti recipientis. Maior patet, in naturalibus; causa namque melius applicata subiecto melius disposito, meliorem causat effectum, ut videre est in calore, frigore, &c. Minor probatur, quoad

utranquē partem, quoad gratiam in omnium sententiā, certum est habere latitudinē dictam, alioqui esset in omnibus æqualis, quod patet esse falsum; quoad Sacramenta etiam patet; sunt enim instrumenta gratiæ causatiua, vel physica secundum nostrā sententiam, vel saltem moralia in aliorum sententiā, & utroque modo habent latitudinem causalitatis; si dicamus esse instrumenta physica facilius saluamus eorum latitudinem causalitatis; causa namque physica qualitatis habentis latitudinem gradualem, latitudinem similiter gradualem habere debet; si vero dicamus cum aliis esse Sacramenta solum instrumenta moralia gratiæ, adhuc dicere possumus habere vim maiorem, vel minorem ad mouendum Diuinam voluntatem in ordine ad maiorem, vel minorem gratiam causandam, secundum maiorem, vel minorem subiecti dispositionem.

Probatur secundo à posteriori; cum namque Deus Sacramenta instituerit pro sanctificandis hominibus, con-

gruum fuit, vt maiorem gratiam in magis disposito causerent, ad hoc vt magis homines conarentur ad maiorem, ac maiorem Sacramentorum dispositionem, ad maiorem, ac maiorem deuotionem, &c. alioqui frustra essent homines solliciti de ampliori, ac ampliori deuotione, preparatione, dispositione, quod est contra communem Ecclesiæ vsus, & sensum.

Igitur si quis accedat ad Sacramentum cum contritione vt 4. & alius cum contritione vt 2. primus gratiam vt 8. habebit, quatuor ex opere operantis correspondentes contritioni, & quatuor ex opere operato correspondentes Sacramento. Secundus vero quatuor gratiæ gradus accipiet, duo correspondebunt operi operantis, & duo operi operato. Sed quid, si vnus accedat ad Sacramentum baptismi, vel penitentia cum attritione intensa, alter vero accedat ad eadem Sacramenta cum contritione remissa, quis horum maiorem gratiam recipiet? Respondeo cum Nugnez supra quæstione 62.

art. 1. difficultate 4. quod ille qui habet minimam contritionem; & huius ratio est, quia quantumuis attritio in sua crescat perfectione, nunquam peruenire poterit ad perfectionem minimæ contritionis, minima namque perfectio contritionis in Deum etiam sine Sacramento, conuertit, quod perfectissima non facit attritio. Si quis vero accedat ad Sacramenta viuorum habita attritione peccati mortalis, putans esse contritionem, tunc temporis minimam recipiet gratiam quâ potest Sacramentum conferre, cum enim illa dispositio non sit per se sufficiens, sed tantum per accidens, ratione propriæ illius Sacramenti naturæ, habebit solum talis dispositio rationem remouentis prohibens, & per consequens minimam producet Sacramentum, tunc temporis, gratiam. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia homines ad easdem prædestinantur sedes quas Angeli essent occupatori, si non peccassent; sed Angeli habuissent

aqua.

æqualem gratiam; ergò & homines.

Respondetur, quod homines sunt quidem occupaturi easdem sedes, quas occuparent Angeli sinon peccassent; nõ tamen inde sequitur, quod sint æquales in gratia, & in gloria; sicut nec ipsi Angeli, est enim valde probabile, quod & Angeli, & primus homo gratiam fuerint consecuti secundum propriam cuiusque dispositionum, quæ potuit esse maior in vno, quam in alio; tum quia, sicut ex illa sedium occupatione non sequitur, quod tot debeant esse prædestinati, quot fuerunt Angeli rebelles; ita nõ sequitur quod prædestinati debeant esse in gratia, & gloria æquales. etiam si rebelles Angeli in ea æquales fuissent, est enim valde probabile quod Angeli rebelles, damnatos homines numero superent, & damnati beatos &c.

Secundum argumentum est, quia potest vnus homo alteri primam gratiam saltem ex congruo promereri; ergò etiam maius augmentum il-

lius; ergò dum quis penitentia Sacramentum recipit, ampliore recipere potest gratiam, si quispiam pro ille enixè eam postulet à Deo; idem dic de paruulo dum baptizatur; possunt enim adstantes à Deo suis petitionibus maius gratiæ augmentum baptizato paruulo obtinere.

Respondetur, quod cum gratia non aliter concedatur nisi ad dispositionis mensuram; non aliter vnus pro alio ampliore gratiæ intensiorem obtinebit à Deo, quam ab ipso meliorem obtinendo dispositionem: quod cum paruulorum respectu id esse nequeat, sequitur paruulos omnes æqualem semper recipere gratiam.

Sed quæret aliquis quænam sit melior dispositio pro ampliori Sacramentorum fructu suscipiendo? Respondetur, quod pro Sacramentis mortuorum melior dispositio est contritio; an autem respectu baptismi sufficiat actus perfectus dilectionis, vel etiã imperfecta, nempe actus spei, suo loco dicetur; certum est, quod

quod pro Sacramento Pœnitentiæ non sufficit, cum plusquam certum sit, dolorem aliquem supernaturalem requiri, saltem ad hoc ut non recipiatur informæ, ut suo loco dicitur. Pro Sacramentis vero viuorum, ut cum ampliori fructu recipiantur, melior dispositio est, ut quis accedat cum affectu religioso ad Sacramentum propter Deum summe dilectum; si quis ergo ad sacramentum, verbigratia Eucharistiæ accedat, actu illud con deuotione, & affectu considerando, & insuper actum habeat dilectionis erga Deum, quanto hæc duo magis fuerint intensa, ampliorem recipiet gratiam. Secunda dispositio inferior prima est, cum quis ad Eucharistiam accedit cum formali actu dilectionis, & cum sola virtuali dilectione, & affectu erga sacramentum.

Tertia dispositio est, quando quis accedit ad sacramentum cum formali affectu, & deuotione erga illud, & cum sola virtuali Dei dilectione; & hæc dispositio est magis ac-

comodata humanæ fragilitati, & ne defectus in sacramenti receptione committatur. Quarta, quando quis accedit cum solo virtuali dilectionis actu, & sola virtuali deuotione, & affectu; quæ dispositio omnino sufficiens est ad fructum sacramenti recipiendū, licet per se loquendo ampliorem recipiat gratiam, qui illa formaliter habet, etiam si minus intensa. Quinta dispositio etiam sufficiens est, quando quis habet affectum ad sacramentum, vel formaliter, vel virtualiter; dilectionem vero Dei habet solum habitualiter; ut cum quis cum sola attritione iustificatus est in pœnitentiæ sacramento, & statim absque alio dilectionis erga Deum actu, ad sacramentum accedit communionem. Ultima dispositio est, quando quis habet dilectionem Dei habitualiter, vel virtualiter, affectum vero erga sacramentum solum habitualiter; ut cum quis in gratia existens ex motiuo yanagloriæ ad sacramentum, verbigratia Eucharistiæ accedit, tunc

tunc etiam temporis aliquem sacramenti fructum accipit, sed valde minimum, vt suo loco dicetur. Igitur ad sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ digne suscipiendum præter voluntatem, seu intentionem, modo supra explicato, suscipiendi sacramentum, requiritur, & sufficit dispositio fidei, quia sine fide impossibile est placere Deo, spei, timoris, & attritionis; non tamen status gratiæ, cum sint sacramenta mortuorum; ad reliqua vero, quinque sufficit, quod sit homo in gratia; vt autem ampliorem Sacramenti effectum recipiat dilectio, & deuotio modo explicato requiruntur. Vnde si quis sumat Hostiam consecratam nesciens esse consecratam, accipit quidam materialiter Sacramentum, non tamen rem Sacramenti, cum humano modo non recipiat, sed ad instar animalis, hostiam corrodentis. Sed quid si aliquis acciperet vnam, vel plures hostias consecratas causa famis, vel mul-

tum vini consecraret, causa extinguendæ sitis; an nimirum tunc temporis Sacramenti fructum reciperet; aliqui negatiuè respondent, quod est intelligendum, si ea sola causa id fiat, secus si non ea sola causa, hoc enim intendit, aliud non excludit; imò saltem virtualiter, & interpretatiuè, intendit Sacramenti effectum, eo ipso quod cum sufficienti intentione illud recipiat.

Agit D. Thomas quæstione 65. de numero Sacramentorum, & in articulo primo concludit esse septem, vt Catholica tenet Ecclesia, & patet de singulis disputando. In secundo articulo ponit Sacramentorum ordinem, vt primo loco ponatur baptismus, &c. In 3. art. probat Sacramentum Eucharistiæ esse omnium potissimum, & excellentissimum, quia ibi est essentialiter, & realiter ipse Christus præsens, & quia omnia alia ad Eucharistiam ordinantur, & in ea omnia consumantur. In art. 4. & ultimo quærit quænam Sacramenta

menta sint de necessitate salutis, & docet baptismum esse omnibus necessarium, pœnitentiam relapsis, vel in re, vel in voto. Ordinem

esse toti Ecclesiæ necessarium, reliqua esse necessaria ad bene esse. De quibus magis patebit dum de singulis in particulari agetur.



DISPVATIO IX.

ET VLTIMA.

DE ECCLESIAE

SACRAMENTALIBVS.

Explicatis ijs, quæ necessaria visa sunt ad perfectum intellectum Sacramentorum in communi, restat vt etiam aliqua dicamus de Sacramentalibus de quibus noster Valdensis integrum edidit tomum. Est ergò Sacramentale idem, quod *cæremonia sacra, vel Sacramentalis*, cæremonia autem sacra quantum ad præsens attinet, tripliciter accipi potest, primo prout significat omnem cultum Dei externum qui certo, ac determinato fiat ritu, ob maiorem Dei reuerentiam; vnde secundum hanc significationem, nomen *cæremonia* deriuatur, vt notauit Belarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 29. à

Cærer quod erat oppidum, propè Romam, vbi conueniebant antiquitus Romani ad oblationes, & sacrificia Dijs offerenda; vnde complectitur secundum illam acceptationem tum Sacramenta, tum sacrificia. Secundo accipitur *cæremonia* minus latè, prout est quidam cultus, vel actio religiosa à Sacramento, & sacrificio distincta, ad ipsum tamen Sacramentum ordinata, vel remotè, vt sunt cæremoniæ quæ fiunt à religiosis in oratione, vel proximè vt sunt cæremoniæ, quæ fiunt in baptismo, & in Missa. Tertio accipitur cæremonia prout est quidam actus externus religionis, ordinatus quidem ad colendum Deum, ad ipsi

inferuendum, sed cum am-
 pliori animi puritate, ac san-
 ctitate, ideoque aliquam pu-
 ritatem, vel sanctitatem effi-
 cit, Ecclesia sic instituentem,
 vt postea videbitur. Asig-
 nantur autem à Glos. in 6.
 proemio, in verbo *benedictio-*
nem nouem Sacramentalia,
 seù ceremoniæ sacræ, quæ ex
 Ecclesiæ institutione vim ha-
 bent producendi aliquam ani-
 mi sanctitatem, peccata veni-
 alia remittendo, nimirum
 Oratio Dominica, pia, & re-
 ligiosa peccatorum percussio, ge-
 neralis peccatorum confessio
 elemosinæ largitio, Pontifi-
 cia, seù Episcopalis præcatio,
 qua Episcopus solemniter
 signo Crucis adhibito, bona
 populo, & felicitia præcatur,
 quam vocant benedictionem,
 ieiunium religiosè susceptum,
 Venerabilis Eucharistiæ per-
 ceptio, unctio sacra, & aqua
 lustralis, quæ benedicta vo-
 catur; alij assignant solum
 6. nempe Orationem Domi-
 nicam, Aquam benedictam,
 Efuseulogiorum olim in vsu,
 Generalem Confessionem,

Elemosinam, Episcopi, vel
 Abbatis consecrati benedic-
 tionem, quæ hoc versu conti-
 nentur, orans, unctus, edens,
 confessus, dans, benedicens.
 Ad quæ postea reuocant pec-
 toris tonsionem, unctioem
 in regem, exercismos, iusuf-
 flationes, primam tonsuram
 benedictiones, consecratio-
 nes variarum rerum, & perso-
 narum, vt Ecclesiæ, calicum,
 &c. in se etiam herbæ, lumina,
 vinum Sancti Ioannis, Agnus
 Dei, signum Crucis, & ipsum
 nomen Iesu ab aliquibus as-
 signatur, sed nos hic non
 loquimur de omnibus Sacra-
 mentalibus, sed solum de illis
 quæ sacramenta imitantur
 producendo aliquam in ani-
 ma sanctitatem, delendo ni-
 mirum peccata venialia ex
 speciali Eccl. siæ institutione,
 quod solis Sacramentalibus
 à nobis assignatis communi-
 ter à DD. conceditur. Vide-
 atur Hostiensis in c. omnis de
 penit. & remission. & alij
 canonistæ ibidem; vt autem
 rem hanc breuiter, & funda-
 mentaliter explicemus sit.

QVÆSTIO I.

An in Ecclesia sit potestas instituendi signa sensibilia, quæ ex opere operato peccata venialia habeant remittere,

Negant hoc pleno ore nostri temporis hæretici, negant hoc etiam aliqui Catholici inter quos est Pater Suarez infra de pænitentia quæst. 87. disput. 12. sect. 2. ad quem locum se remittit hic quæst. 65. disput. 15. sect. 4. ubi multis rationibus probare nititur non dari in Ecclesia talem potestatem, cuius rationes postea adducemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Datur in Ecclesia potestas instituendi aliqua signa sensibilia, quæ Sacramentalia vocantur, quæ ex opere operato peccata venialia expiate valeant. Hanc conclusionem docent omnes illi, qui tenent Sacramentalia delere peccata venialia ex opere operato, &

sunt Magister Cano lib. 12. de locis capit. 13. Ledesma quæst. 28. art. 3. Soto in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 4. & dist. 15. quæst. 2. art. 3. maior in 4. dist. 13. Victoria in summa 4. num. 29. de pænitentia. Angles de pænitentia art. 5. ubi adducit Scotum. Petrus Soto in lectione 18. quæst. 1. art. 3. Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 5. art. 3. dub. 3. Paludanus ibidem quæst. 1. art. 2. conclusione 4. D. Antoninus 1. par. quæst. 2. Nugnus hic dubio vnico. Azorius lib. 4. inst. moral. cap. 11. quæst. 4. Belarminus, Toletus, Henriquez, Facundez, & alij quos refert, & sequitur Diana de Sacramentis resol. 61. Est etiam hæc sententia expressa D. Thomæ infra quæst. 87. art. 3. cum doceat, vt sequen-

ei quaestione videbimus, Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato.

Probatur conclusio ratione à priori. Peccata venialia sunt frequentissima; ergò debet dari remedium vt ita dicam frequentissimum; hoc non fuit institutum à Christo; ergò debuit dari facultas Ecclesiae ad illud instituendum. Primum antecedens patet, *septies namque in die* (vt dicit Scriptura) *cadit iustus*. Consequentia etiam nota est, malo namque frequentissimo medicina dari debet frequentissima, minorem subsumptam concedunt aduersarij, Christus namque solum Sacramenta instituit, quorum vsus nec debuit, nec potest esse ita frequens. Consequentia bene sequi videtur; cum enim debuerit dari aliquod remedium facile, & frequens pro peccatis venialibus, & hoc ab Ecclesia, sine Christi facultate, non potuerit institui, conueniens valde fuit, quod talis facultas à Christo Domino Ecclesiae tribueretur. Sed dices peccata venialia poterant sufficienter remitti ex o-

pere operantis; ergò frustra fuit data facultas Ecclesiae per quam remedia institueret facilia ad illa remittenda ex opere operato. Nam contra est, quia etiam peccata mortalia ex opere operantis, nempe per actum dilectionis Dei super omnia, & per actum contritionis perfectae expiari poterant; & tamen voluit Christus Sacramentum penitentiae instituere, per quod peccata mortalia hominis baptizati ex opere operato expiantur; ergò etiam si peccata venialia ex opere operantis expiari possent, conueniens valde fuit, quod Sacramentalia instituerentur, per quae eadem venialia ex opere operato deleri possent.

Confirmatur, quia si semel hæc potestas instituendi Sacramentalia per quae peccata venialia ex opere operato deleantur Ecclesiae concedatur, negari non potest, quin in maximam Ecclesiae excellentiam non cedat; ergò sine firmissimo fundamento talis potestas Ecclesiae denegari non debet; maxima namque pietas est Sanctae Matris Ecclesiae

ecclisæ potestatem non impug-
nare, sed illam toto nisu de-
fendere, & si dubia esset, in
Ecclesisæ fauorem inclinare
deberemus &c.

Probatur secundo nostra
conclusio, quia Ecclesia de
facto dum indulgentias con-
cedit non solum ex opere ope-
rato pœnas peccatis debitas
remittit, verum etiam culpas
veniales; ergo signum est ha-
bere potestatem non solum
remittendi pœnas peccatis de-
bitas ex opere operato, ve-
rum etiam instituendi Sacra-
mentalibus ad peccata venialia
ex opere operato remittenda.
Quod Ecclesia dum indul-
gentias largitur relaxet ex o-
pere operato pœnas peccatis
debitas, patet; indulgentia
namque plenaria quæ pecca-
torum pœnam remittit reci-
tanti verbigratia Beata Virgi-
nis Rosarium, vel Coronam,
non illud facit ex opere ope-
rantis, verbigratia in virtute
Rosarii, cum illa omnis pœnæ
remissio tali recitationi non
sit debita; sed ex opere opera-
to, ut nimirum, & efficacia sa-
tisfactionis Christi, & Sancto-
rum per Pontificem applica-

ta. Quod habeat etiam pec-
cata venialia quoad culpam
relaxare; probatur, primo ex
paritate rationis, si enim Chri-
stus Dominus dedit faculta-
tem Ecclesisæ remittendi pœ-
nas etiam peccatis venialibus
debitas, quare etiam non de-
buit dare facultatem remittē-
di culpas veniales, eodem
modo ac pœnas, nempe ex o-
pere operato? secundo pro-
batur ex modo loquendi Pon-
tificum dum indulgentias præ-
sertim plenarias concedunt:
nimirum *facienti tale, vel tale
opus, visitandi talem, vel ta-
lem Ecclesiam concedimus in-
dulgentiam plenariam, & re-
missionem omnium peccatorum*;
peto namque quid sibi vult
Ecclesia dum dicit se remit-
tere peccata? si dicas sensum
Ecclesisæ esse se remittere pœ-
nas peccatis debitas: contra
est primò, quia iste loque-
i modus valde esset improprius
secundò, quia Ecclesisæ mens,
& intentio, ut in plurimum,
frustraretur, cum enim pauci
sint, qui sine veniali aliquo,
opus præscriptum præstent,
numquam plenaria indulgentia
concederetur; cum enim
pœna

pena peccato debita non relaxetur, quandiu culpa non tollitur, sequitur, quod cum homines plerumque opera præscripta exequantur, aliquo vel aliquibus grauati venialibus, si Ecclesia venialia non dimittit, plenariam indulgentiam frustra concedit; ne ergò hoc dicatur, dicamus cum Gabriele in supplemento 4. sent. dist. 45. & alijs, quod dum Ecclesia præscribit aliquod opus pro indulgentia, verbigratia, plenaria concedenda, illud veluti Sacramentale constituit ad remittenda venialia, quorum homo non habet actualem affectum; quibus remissis, pena, peccatis omnibus debita totaliter relaxatur: an autem aliquis actus interior requirat vltra executionem illius operis ex infra dicendis patebit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia in re graui, & supernaturali non est asserendum, nisi quod ex Sacra Scriptura, vel ex traditione, & vsu Ecclesie, vel ex vrgenti ratione deducta, vel ex alijs principijs reuelatis, inferri potest. Atqui

ex nullo horum capite colligi potest Ecclesiam habere potestatem instituendi signa sensibilia, quæ ex opere operato peccata relaxent venialia; ergò id non est asserendum. Maiorem supponit Suarez. Minorem probat, quia illa potestas ex scriptura non colligitur, si namque ex aliquo scripturæ loco colligeretur maxime ex illo Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* vel etiam ex illo Matt. 16. & 18. *Quacunque solueritis super terram erunt soluta, & in Cælis, sed ex istis locis talis potestas non colligitur; ergò &c* Minor probatur, quia loca illa de potestate intelliguntur dimittendi peccata per penitentiae Sacramentum, vt colligitur ex Tridentino; & si ad alia extenduntur certè erit ad potestatem ligandi, & soluendi per censuras, & ad potestatem penes remittendi per indulgentias. Neque etiam id habetur ex aliqua traditione, cum vsus sit in contrarium, nam actenus Ecclesia nullum instituit Sacramentale ordinatum ex opere operato ad remitt.

mittenda venialia, quod longo probat sermone, de quo quaestione sequenti.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad primam probationem ex Sacra Scriptura dico, quod ex illis locis à P. Suarez citatis evidētius colligitur nostrae conclusionis assertio, quam oppositum illius, quod defendit Suarez; quia licet illa loca intelligantur de potestate remittendi peccata per penitentiae Sacramentum, tamen sicut ab omnibus Doctoribus Catholicis taliter extenduntur, ut etiam intelligantur de potestate data Ecclesiae concedendi indulgentias, & ligandi, & solvendi per censuras, & alia praeccepta quae ad bonum Ecclesiae regimen habent pertinere, ita etiam convenienter extenduntur à Doctoribus à nobis relatis, ad potestatem remittendi peccata ex opere operato, per sacramentalia. Ad secundum patet, nam semper Sanctae Matris Ecclesiae usus fuit, talibus uti Sacramentalibus ad peccata venialia dimittenda, ut patet ex eorum benedictionibus

& institutionibus, & cum propria, & absoluta peccatorum remissio; per Sacramentalia, opus sonet operatum; secundum hoc usus Ecclesiae intelligi debet. Sed dices cum Suarez, Oratio Dominica, Confessio generalis, & confessio peccatoris, nullam recipiunt specialem ab Ecclesia benedictionem; ergo &c. Nam respondetur, quod quando aliqua actio est ex se religiosa, non indiget benedictione, cum ob suam intrinsecam, ut ita dicam sanctitatem, sit benedicta, sed solum indiget institutione, quam, ut patet, ex sensu, & usu Ecclesiae talem iam habent illa dicta, ab eadem Ecclesia, institutionem; quae institutio ex communi consensu Theologorum habetur cum illa inter Sacramentalia ab omnibus numerentur.

Secundum argumentum est, quia si in ecclesia talis daretur potestas, signa instituenti sensibilia, ad remittendum venialia peccata ex opere operato, sequeretur Summum Pontificem apud quem tota ecclesiae potestas residet intensue, posse propria virtute,

& aucto-

& auctoritate peccata relaxare venialia se ipso, absque medio instrumento; hoc autem est falsum; ergo & id ex quo sequitur. Minor patet, quia id est solius Dei: solus namque Deus ex propria auctoritate, & potestate peccata quaecunque relaxare potest. Maiorem probat Suarez ex D. Thoma supra quest. 64. art. 2. ubi ex eo probat solum Deum posse Sacramenta instituere, quia ipse solus potest Sacramenti effectum, qui est gratia conferre. Tum etiam quia si Ecclesia talem haberet potestatem, posset illam alicui delegare, ut de facto delegat facultatem concedendi indulgentias, Episcopis, Cardinalibus &c. Tum denique, quia peccata non remittuntur nisi in virtute passionis Christi; ergo instrumentorum assignatio ad talem ponendam remissionem solius erit Christi.

Respondetur negando ma-

iore: sicut enim dicimus Ecclesiam habere facultatem à Christo instituendi Sacramentalia, per quæ peccata venialia ex opere operato relaxentur, ita Summus Pontifex eo solum modo talem habet potestatem: eo ergo modo, Ecclesia, vel Pontifex uti potest potestate sibi tradita ad remittenda venialia, quo sibi fuit à Christo tradita, & si aliter tentare vellet, peccata venialia dimittere, nihil faceret, per quæ patet ad alia quæ ab illo auctore subduntur; iam enim supra diximus potuisse Christum concedere Ecclesiæ potestatem instituendi Sacramenta, non tamen de facto id fecit cum sint signa perfectissima, quippe cum sanctificatiua, & collatiua gratiæ, tamen cum Sacramentalium institutio sit minoris valde excellentiæ, congruum valde fuit ut ea Ecclesiæ concederetur.

QVAESTIO II.

An Sacramentalia deleant peccata venialia ex opere operantis, an vero ex opere operato.

Prima sententia est, quod Sacramentalia non deleant peccata venialia ex opere operato, sed ex opere operantis dumtaxat; sunt autem varii modi explicandi hanc sententiam. Nam Abulensis 4. Reg. 2. quæst. 39. dicit, quod Sacramentalia nihil peculiare habent supra omnes actus virtutum ad delenda venialia, & quod Doctores illos particulares assignarunt actus veluti in exemplum; vel quia ad illos, alij omnes actus, quibus venialia deleri possunt, queunt reuocari: videatur ille. Alij volunt quod ille actus per quem venialia relaxantur est distinctus ab usu Sacramentalium, & est quidam actus feruoris, vel deuotionis; & sic secundum hanc sententiam Sacramentalia, peccata deleunt venialia, in-

quantum deuotionem, vel feruoris actum, in anima excitant. Addit Lugo de penitentia disput. 9. sect. 4. cum Suarez, sufficere quæcunque motum bonum excitatum ex impetratione Ecclesiæ. Ecclesia nãque deputando hanc Sacramentalia impetrat à Deo, non tamen infallibiliter, quod aliquis bonus motus excitetur, ratione cuius peccata venialia deleantur, & sic ex opere operantis, & mediata, non ex opere operato, & immediate, ex ipso Sacramentalium usu.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione; Sacramentalia peccata deleunt venialia, immediate, ex ipso usu, & applicatione illorum. Hæc est sententia Thomistarum, vt præcedenti vidimus quæstione, post D. Thomam

hac parte quæst. 87. art. 3. qui locus, quia pro propria sententia adducitur ab aduersarijs, debet hic adduci, & breuiter ponderari. Ad remissionem venialis (verba sunt Angelici) non requiritur noua gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia quo aliquis detestatur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cum aliquis feruenter mouetur in Deum; & ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Vno modo in quantum in eis infunditur gratia; quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est, & hoc modo per Eucharistiam, & extremam unctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, & hoc modo confessio generalis, iunctio pectoris, & Oratio Dominica, operantur ad remissionem venialium peccatorum, nam in Oratione Dominica peccamus: dimitte nobis debita

nostra. Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res Diuinas; & hoc modo benedictio Episcopalis, asperio Aqua benedicta, qualibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. hæc D. Thomas. Vbi ut vides ponit quatuor modos quibus peccata venialia remitti possunt; primus per quemcunque actum bonum qui sit, vel formalis, vel saltem virtualis peccati venialis retractatio; licet enim peccatum veniale charitati non opponatur, opponitur tamen eius feruori; feruet autem charitas; non solum in exercitio propriorum, verum etiam aliarum virtutum ancillantium, actuum; & sic tum per charitatis actus, tum per actus aliarum virtutum, peccata delentur venialia. Secundo delentur venialia, inquit D. Thomas, per gratiæ infusionem quæ fit per quodlibet Sacramentum siue fit formalis detestatio; siue virtualis, siue neutra sit, ut contingit

tingit in receptione Sacramentorum viuorum, in quorum receptionibus talis actus non requiritur; & ratio est, quia congruum est, ut quoties gratia infunditur noua, & homo ad strictiorem acceptatur Dei amicitiam, aliqua peccata venialia remittantur, illa nimirum, de quibus non est actualis affectio. Tertio, quando est aliquis motus detestationis peccatorum, ut in Confessione generali; Oratione Dominica, & functione pectoris. Quarto, quando est aliquis motus reuerentiæ in Deum, & res Diuinas, ut Benedictio Episcopalis &c. quorum verborum sensus est, quod Sacramentalia remittunt peccata venialia, in quantum eorum usus est quædam pænitentia virtualis, quædam virtualis retractatio; igitur Sacramentalia ex mente D. Thomæ ipso usu, & applicatione, siue alias afferant retractationis motum, siue non, sunt quædam pænitentia virtualis, quæ habet ex opere operato peccata venialia delere, sicut Sacramentum pænitentia mortalitatis; vnde,

dummodo quis non habeat actualem affectum ad veniale deleri poterit, etiam si non habeat alium motum pænitentia, cum ipsum Sacramentale sit virtualis quædam pænitentia; vel etiam dici potest mentem D. Thomæ esse quod semper requiratur aliquis actus, vel retractationis, vel reuerentiæ erga Deum; vel res Diuinas, qui actus non sit aliquid distinctum ab ipsomet usu, & applicatione Sacramentalium, qui actus sit quædam pænitentia virtualis, &c.

Probatum conclusio discurrendo breuiter per singula Sacramentalia. Nam Orationi Dominicæ virtutem delendi venialia, absolute, immediate, & per consequens ex opere operato tribuit D. Augustinus multis in locis, videlicet Epist. 108. ad Seleucium lib. 50. homiliarum homilia vltima lib. de pænitentia medicina cap. 2. & in Enchiridio cap. 21. cuius verba referuntur in cap. de Quotidianis; de Pænitentia dist. 3. sunt autem sequentia: *Delet omnino hæc Oratio minima, & quotidiana peccata delet, &*

illa à quibus vita fidelium sceleratè etiã gesta, sed sp̄nitēdo in melius mutata discedit: Vbi vt vides D. Augustinus distinguit inter peccata venialia, & mortalia, quod mortalia delentur per Orationem Dominicam si adsit p̄nitentia, venialia vero absolutè, & sine p̄nitentia delentur, quod nihil clarius. Tonsionis peccatoris meminit idem Augustinus Epistola prædicta: fit mentio de P̄nitentia dist. 1. cap. tres sunt autem. Confessionis generalis fit mētio apud Scholasticos omnes antiquos D. Thomam, Albertum Bonan. &c. in 4. dist. 21. Hostiensē in cap. omnis de P̄nitentia, Glos. loco in præcedentibus citato. De Elemosina facit frequenter mentionem D. Augustinus in Enchiridio cap. 72 & 73, tract. 12. in 10. vbi idem dicit de remissione iniuriarū, & generatim de Misericordiæ operibus, & ieiunio. & de P̄nitentia dist. 1. cap. Medicina. & cap. Medicamentum, & cap. Quamobrem, ex D. Amb. Hiero. & Chrysost. & cap. Sane cauendum, de P̄nit. dist. 3. ex D. Augustino.

De Benedictione Pontificia, vel Episcopali, & Abbatiali mentionem faciunt Scholastici loco citato, & colligunt ex cap. *Dictum est*, & cap. *Maledicam*, cap. *Intra*, cap. *Benedictio*, 1. quæst. 1. de Sacramentatione habetur integer titulus in iure canonico. De venerabili Eucharistia habetur cap. *Cum omne*, de consecratione dist. 2. vnde Eucharistia est Sacramentum, & vt Sacramentum susceptum, peccata habet venialia remittere, vt est pia, & religiosa illius susceptio, est Sacramentuale, ab Ecclesia cap. illo institutum ad venialia peccata delenda ordinatum. Ad Eucharistiam reuocatur Panis Benedictus, qui olim valde erat in vlu. De ieiunio pie, & religiose suscepto habetur cap. *Sane cauendum*, de p̄nitentia dist. 3. De Aqua Benedicta, sc̄u lustrali extrat epist. Alexandri primi quæ refertur de P̄nitentia, dist. 3. cap. *Aquam*. vbi aperte dicit, aquam benedici, & sacrari in sanctificationem fidelium; de qua re videatur Missale Romanum in eiusdem aquæ benedictione, vbi ille, &

alij effectus aquæ lustrali tribuuntur. Addit D. Thomas & alij orationem factam in Ecclesia consecrata, quod est valde probabile, licet nihil expressum in sacris canonibus reperitur.

Sed dices, omnia Sacramentalia assignata dici remittere venialia in quantum habent excitare illorum displicentiam. Nam contra hoc est, quia si Sacramentalia solum eo modo peccata dimitteret venialia, nihil peculiare haberent Sacramentalia, ratione cuius illis venialium remissio tribueretur, quam habeant res aliæ, quæ suapte natura magis aptæ sunt, ad excitandum peccati venialis displicentiam; ut sunt imagines representantes acerbissimam Christi Domini passionem, penas inferni, iudicium finale, &c. quæ etiam ab Ecclesia ad hunc effectum proponuntur; quod tamen nullus usque modo ausus est dicere. Tum etiam, quia eodem modo dicere possemus Sacramentalia, etiam mortalia peccata remittere, cum etiam possint excitare perfectum illorum do-

lorem, perfectam displicentiam, scilicet contritionem.

Ex quibus sic formamus rationem à priori pro nostra conclusione. Sacramentalia sunt peculiariter instituta ad finem remissionis venialium; ergò ex vi propriæ institutionis habent vim ad talem remissionem efficiendam. Antecedens patet ex discursu de singulis facto. Consequentia probatur alioqui invalida, & infirma esset talis Sacramentalium institutio.

Confirmatur, & explicatur præcedens ratio, quia aqua benedicta, & idem de alijs dicendum est, habet ex sua institutione vim ad delenda venialia; sed hoc non facit excitando aliquem actum per quem venialia deleantur; ergò hoc præstat immediate per se ipsam, & sic ex opere operato. Maior patet ex dictis. Minor probatur, quia si aqua benedicta habet solum ex vi suæ institutionis virtutem ad excitandum aliquem actum, vel hoc haberet per modum obiecti, seu obiectivè, vel affectivè, seu per modum principii; neutrum dici potest; et ergò,

gò &c. Non per modum obiecti, quia vt dicebamus, multa alia obiecta ex se sunt efficaciora ad excitandam, & mouendam detestationem venialium, imò & mortalium, quàm aqua benedicta, quibus tamen non tribuitur virtus remittendi venialia, vt sunt imago Crucifixi &c. Tum quia obiectiuè præcisè loquendo nõ magis habet excitare aqua benedicta, quam non benedicta, præsertim quando per ignorantiam quis accipit non benedictam; pro benedicta. Non per modum principij, quia vel esset principium physicum illius motus, tanquam instrumentum Dei, vel esset principium morale, non physicum, quia sicut Ecclesia non potest instituire principium physicum productiuum gratiæ, ita neque potest instituire principium physicum productiuum actus penitentia, dilectionis, deuotionis, feruoris &c. alioqui posset etiam dici, quod produceret gratiã, quod remitteret peccata mortalia; cum per sumptionem aquæ benedictæ possint excitari actus per quos gratia

producat, & mortalia deleantur. Neque potest dici, quod aqua benedicta, verbi gratia, causet illos motus per modũ principij moralis, quia eadem inconuenientia, quæ prius sequerentur, nimirum quod Ecclesia posset instituire principia moralia ad dictos effectus producendos, quod idem esset ac dicere, Ecclesiam posse instituire Sacramenta quæ sint principia, non quidem physica, sed moralia gratiæ, remissionis venialium & mortalium, cum sint principia moralia illorum actuum per quos & gratia producat, & peccata deleantur. Maneat ergo Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, non quia solum obiectiuè illos motus excitent, nec quia sint principia illorum motuum effectiua, siuè physicè, siuè moraliter, sed quia Ecclesia per potestatem sibi à Christo Domino relictam, illis applicat valorem Sanguinis Christi, per quem venialia deleantur; qui effectus cum sit independens ab omni opere operantis, ex opere dicitur operato, vnde

ad talem effectum præstandū præter voluntariam ipsius Sacramentalis susceptionem in ordine ad dictum finem delendi venialis, nullus alius actus requiritur, cum ipse Sacramentalis usus, ut supra dicebamus sit quædam pænitentia, ut ita dicam, virtualis. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia veniale peccatum de lege communi, & consueta non tollitur absque pænitentia actu, quo nos peccasse dolemus, nam oportet, ut peccatum deleatur, quod voluntatem, qua peccato spontè ad hæsimus mutemus, sed Sacramentalia seipsa sine pænitentia actu voluntatem nostram mutare non possunt; ergo se ipsis venialia peccata delere non poterunt. Maior patet minor probatur, quia Sacramentalia cum peccato veniali contrarietatem non habent ergo se ipsis mutare voluntatem nostram non possunt. Tū quia sepe numero contingit, quod quis sacra aspergatur aqua nihil profus de venialibus peccatis cogit, ergo &

Respondetur distinguendo maiorem, peccatum veniale non tollitur absque pænitentia actu formali, negatur, virtuali, vel eminentiali, vel æquivalenti, conceditur; venialis ergo culpa non tollitur nisi hominis voluntas à peccato cui adhæserat auocetur, hoc autem fit per ipsa Sacramentalia, cum enim Sacramentalia adhibentur prout sunt remedia leuiorum culpæ, eo ipso peccata venialia tacitè, implicitè, & virtualiter detestantur, & odio habentur; virtualiter enim, eo ipso quo talibus Sacramentalibus utimur; ut sunt remedia leuiorum culpæ, nolimus ea amplius in nobis esse venialia, quod absque alio actu, ut ex se patet, sufficit, ut deleatur. Unde qui Sacramentalibus utitur, sed non tanquam remediis ab Ecclesia institutis contra leues culpas, peccatorum venialium remissionem non obtinet; ex quo patet tale beneficium remissionis venialium non conferri si aspergatur dormiens, vel qui putat aquam esse communem: nec præstat hunc effectum si asper-

pergantur defuncti, cum non sit instituta pro illis, sed pro uiuatoribus, licet multum ex impetratione Ecclesie illis ualeat, ad pœnæ remissionem, ex quo etiam colliges Sacramentalia non delere omnia uenialia infallibiliter, sed secundum maiorem, uel minorem affectum, deuotionem, & reuerentiam qua quis uiuitur Sacramentalibus ab Ecclesia institutis ad effectum remissionis uenialium.

Sed dices ex data doctrina sequi, Sacramentalia non remittere peccata uenialia ex opere operato, sed ex opere operantis: quod probatur, quia ad hoc ut Sacramentalia, uenialia deleant requiritur, ut utamur illis ut remedia sunt ab Ecclesia instituta; ergo nõ delent vi, & conditione sua, sed per actum nostrum, quo ipsa nobis applicamus. Nam responderetur quod Sacramentalium usus, prout Sacramentalia sunt remedia quædam ad expianda peccata, non distinguitur in hac parte ab ipsorum sacramentalium opere, unde ille usus requiritur tanquam idonea quædam præ-

paratio ut à uenialibus noxis mundemur; proprium namque est causæ instrumentalis, & efficientis, ut debitam supponant præparationem in materia, ut forma inducatur, ut etiam in Sacramentis uideretur est, quæ gratiam in anima non efficiunt, nisi qui ea suscipit, debite accedat præparatus; aliter tamen, & aliter, nam in Sacramentis mortuorum saltem attritio prærequiritur, in aliis uero, nisi adsit obex, ipse Sacramenti usus humanus, & religiosus est sufficiens, ut ex se liquet.

Secundum argumentum est, quia si Sacramentalia peccata relaxarent uenialia, nulla esset differentia inter Sacramenta, & Sacramentalia; constat namque quod Sacramenta peccata delent uenialia, de baptismo iam satis patet, cum tollat omnem maculam, tum grauem, tum leuem, de pœnitentia etiam clarum est, licet enim non sint materia necessaria, sunt tamen leues culpæ materia sufficiens; alia etiam Sacramenta peccata delent uenialia ut extrema unctio, & uniuersaliter omnia; cum enim

nim omnia gratiam producant vel primam vt Sacramenta mortuorum, vel secundam seu intensiorem illius, vt Sacramenta viuorum, & ad gratiæ productionem aliqua peccata deleri debeant, sequitur quod omnia Sacramenta peccata deleant venialia, & sic nulla erit distinctio inter Sacramenta, & Sacramentalia.

Respondetur primo falsum esse quod omnia Sacramenta ex vi sua, seu ex propria institutione delere habeant peccata venialia, licet enim penitentia, & Baptismus illa habeant delere, & idem dicendum est de Sacramento extremæ vñctionis, tamen si loquamur de Matrimonio falsum est esse institutum ad delenda venialia ex opere operato, alioqui si quis Matrimonium reciperet absque venialium complacentia, omnium venialium veniam consequeretur, quod videtur falsum: de Eucharistia etiam satis patet, nam est instituta vt sit animarum cibus, quo spiritualiter aluntur, & confortantur fideles in via spirituali, non vt ve-

nialia deleat. Vnde D. Thomas infra quæst. 79. art. 4. docet quod Eucharistia, remittit peccata venialia quantum ad actum charitatis, qui in hoc Sacramento excitatur per quem peccata venialia soluantur; & in solutione ad primum habet: peccata venialia & si non contrarietur charitati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad feruorem actus qui excitatur per hoc Sacramentum, ratione cuius peccata venialia tolluntur. vbi vt vides clarissimè, & manifestissimè docet D. Thomas Sacramentum Eucharistiæ (& idem dicendum est de aliis Sacramentis viuorum, excepta extrema vñctio quæ ordinatur ad tollendas reliquias peccatorum) remittere quidem peccata venialia, sed non ex vi ipsius præcisè qua Sacramentum est, benè qua Sacramentale est, seu ex Ecclesiæ institutione, vt patet ex canone cum omne crimen, de consecrat. dist. 2. Secundum enim quod Sacramentum, in tantum peccata venialia delet in quantum excitat in anima recipientis, actum charitatis, vel

alium quemlibet, qui sit formalis, vel virtualis venialium deestatio; licet ergo omnia Sacramenta causent gratiam, vel augmentum illius non, propterea est necesse quod ex vi illius venialia dimittantur, cum venialia, & cum gratia, & cum charitate esse valeant. Sed quidquid de hoc, pro modo, fit, quia de hoc quæst. 79. art. illo 4. citato, agetur.

Respondetur secundo transeat quod Sacramenta ex opere operato peccata aliqua deleant venialia, vnumquodque, ea quæ sibi maximè aduersantur; vt Matrimonium quæ habent mutuam impedire amorem mariti, & vxoris Eucharistia, quæ magis directè charitati apponuntur &c. hinc tamè non sequitur quod Sacramenta à Sacramentalibus non distinguantur, quia Sacramenta per se habent gratiam producere, Sacramentalia vero non nisi peccata venialia relaxare, & nullam sanctitatem ex opere operato producere, quod si ex ipso vsu Sacramentalium, gratia producit, ex opere operantis

est, quatenus ille actus est bonus, & meritorius, non ex opere operato.

Sed quia aqua benedicta præter virtutem quam habet ex opere operato, vt probauimus ad delenda venialia, alias etiam habet virtutes nēpe ad fugandos demones, ad sedandas tempestates, &c. ideo quæret aliquis, an etiam isti effectus sint ex opere operato vel ex opere operantis; & idē quæri potest de aliis Sacramentalibus, de exorcismis, benedictionibus, insufflationibus, consecrationibus, &c. quæ ad Sacramentalia à Belarmino lib. 2. de Sacramentis cap. 29. reuocantur. Et respondeo habere illos effectus ex opere operato, quod colligitur ex illo Marci ultimo. *In nomine meo demonia eicient, serpentes tollent, &c.* quæ verba de effectibus Sacramentalium explicat Alexander Papa epist. 1. vbi ait. *His ergo & alijs instructi documentis vota singulorum Domini Sacerdotes respicite, & in virtute Spiritus sancti Diuinis præcibus per ministerium vobis collatum perficere certa-*

re, elementa vero tam ea que prædiximus, quam cætera diuini aptate vñibus, & humanis necessaria infirmitatibus facilitate, infirmos curate, que ad vos pertinent diligenter perficite. ipse enim Saluator tribuendi vobis exemplum Discipulis suis ait: In nomine meo demonia eicient; egros sanate, super infirmos etiam manus imponite, & bene habebunt; ex quibus verbis colligitur Christum Dominum quoddam pactum cum Ecclesia statuisse, vt illi effectus valeant produci per signa ab Ecclesia designata, & per consecrationem, vel benedictionem deputata. Nota tamen prædictos effectus aliquando non impendi iusto Dei iudicio, occultaquæ Dei prouidentia, quia tale pactum non est de absoluta infallibilitate illorum effectuum, sed solum in quantum oportuerit ad bonum Ecclesiæ, & fidelium. Hinc deducetur solutio cuiusdam difficultatis, quam proponit N. P. F. Franciscus à S. M. in Historia Generali nostræ Religionis tom. I. lib. I. cap. 36. nimirum quæ ratione N. Seraphica Mater

Sancta Teresia à Iesu maiorem vim tribuat aquæ benedictæ ad fugandos demones quam Cruci Christi Domini, Verba nostræ Seraphicæ in vita quam ipsa ex obedientia conscripsit capit. 31. sunt sequentia. Sapius experimento didici quod nihil est à quo magis fugiant demones quam ab aqua benedicta, etiam à Cruce fugiunt sed statim reuertuntur; magna esse debet virtus aquæ benedictæ, & certe mihi magnam affert consolationem dum illam sumo; alia plura in laudè aquæ benedictæ prosequitur. et cum de hac re esset interrogata per epistolam à Domino Laurentio de Cepeda eius fratre, sic illi respondit. De eo quod petit de aqua benedicta nihil aliud scio nisi experientiam quam habeo, Illud dixi aliquibus litteratis, & non contradicunt, sufficit quod hoc Ecclesia teneat. hæc illa.

Nam si loquamur de Cruce Christi Domini secundum quod representat Christum Dominum Crucifixum, certe longe valde superat aquam benedictam, & quoad venerationem, cum patriæ adoratio-

ne colatur, non aqua benedicta, & quoad virtutem, cum à Cruce, ad alia, supernaturalis virtus deriuet, ideoque S. Athanasius in lib. de Incarnat. & salutari aduertu Domini dicit: *Signo Crucis omnia malefica compescuntur, & venefica inefficacia fiunt, & infra. Veniat qui istorum ditorum experimentum capere velit, & in ipsis prestigijs demonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magia vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomēque Christi inuocet, & videbit quomodo eius rei metu daemones fugiant, & vaticinia conualescant, magia, & veneficia iaceant.*

Pro quo obserua tribus modis signum Crucis operari in demonibus terrēdis; primo in apprehensione ipsorum demonum, videns enim demon Crucis signum, recordatur se ab illo signo fuisse deuictum ac proinde horret illud, & fugit, ad eum modum quo canes baculum fugiunt à quo fuerunt percussi. Secundo operatur signum Crucis in demonum fuga, ex ipsa hominis deuotione se signantis, ad

eum modum, quo facit vocalis oratio; cum enim signum Crucis sit quādam Christi Domini meritorum Inuocatio eo signa expressa (possunt namque Christi merita inuocari corde, ore, & signis, seu nutibus) virtutem habet ad ex terrendos demones, sicut habet inuocatio cordis, & oris; & hoc est ex opere operantis, cum talis effectus potius infide, & deuotione operantis fundetur quam in signo ipso, nobiliori tamen modo quam aqua faciat benedicta; non enim aqua benedicta est id per quod victi fuerunt demones. nec est adeo deuotionis, & fidei clarum exercitium.

Tertio operatur signum Crucis in demonum fuga, vt notauit Belarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 31. ex Dei institutione, & ex opere operato, nam sepe, inquit Iudæi, vel Ethnici sine vera fide, aut deuotione signo Crucis adiuti sunt. vt patet de Iuliano Apostata apud Nazianzenum oratione prima in Iulianum, & de Ioseph. Hebreo apud Epiphanium hares. 30. & de alio Hebreo apud Greg. lib.

3. dialog. capit. 3. Vnde D. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 79. habet. *Nec mirum quod hæc signa valent cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen Excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis huiusmodi potestatis, Deus ipse prohibet occultis modis cum id iustum atque utile iudicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc ubique illa perspexerint.* hæc ille. Vnde cum certum sit aquam benedictam non habere virtutem fugandi demones ex Dei institutione, ut habet signum Crucis ut vult Belatminus, & videtur elare velle D. August. sequitur manifestè quod etiã quoad hoc signum Crucis longe valde superet in tali virtute aquam benedictam.

Quod si loquamur de signo Crucis non secundum id quod habet à Christo ex opere operato, seu secundum quod est quoddam sacramen-

rale ex Christi Domini institutione, sed secundum id quod præcitè extra talem Christi institutionem habet, cum nullus sit canon per quem fuerit tale signum ab Ecclesia in Sacramentale eiusdem Ecclesiæ institutum, nec vllus Sanctus Pater, nec vllus Scholasticus in numero Sacramentalium Ecclesiæ posuerit, dicendum erit secundum hanc præcisam rationem, aquam benedictam Crucis signum præcedere, licet secundum alias rationes absolutè, & simpliciter signum Crucis aquam benedictam excedat, vnde volens Deus ostendere quanta reuerentia debeant Ecclesiæ cæremoniæ haberi, voluit Nostram Seraphicam Teresiam experiri maiorem aquæ benedictæ virtutem in demonum fuga, quam in ipso Crucis signo. Et hæc de Sacramentis in Genere dicta sufficiant utinam cadant in laudem Omnipotentis Dei, Beatiss. Virg. S. Iosephi, SS. Parentum Eliæ ac Elisei, & S. M. N. Teresiæ, S. Gabrielis Archang. li S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, & totius Curie Cælestis. Amen.



TRACTATUS SECUNDVS DE SACRAMENTO BAPTISMI.



BAPTISMVS
Grecè , Lati-
nè tinctio, vel
Immersio, vel
ablutio inter-
pretatur , &
licet ex vi nominis ad omnem
extendatur lotionem , tamen
cum de Sacramento loqui-
mur ad solam ablutionem ,
quæ in anima fit , applicatur;

nomina namque melius intel-
liguntur, de potiori , & nobi-
liori significato , vt notavit
Angelicus Doctor in 2. sent.
dist. 23. art. 1. Sicut namque
aqua exterius corpora pur-
gat, ita latenter , eiusdem
aquæ ministerio , per Spiritus
Sancti virtute purificatur , &
animus , quia per baptismi
Sacramentum homo in meli-

lius immutatur, & longe aliud quam erat efficitur; prius enim peccator deformitate factus erat, postea vero pulcher dealbatione virtutum euadit. Ob hanc rationem Baptismi Sacramentum varijs decoratur nominibus à Sanctis PP. D. namque Basilius libro primo similitudine 9. *Sigillum ac tesseram Christiani militis* vocat. Tertullianus lib. 3. contra Euno: *Lauacrum oblationemque fidei* dicit. D. Dionysius Areopagita cap. 2. de Ecclesiastica

Hierarchia. Clemens Alex lib primo pædagogi cap. 6. Nazianzenus Oratione de Baptismo, & alij passim vocant Baptismum *Illuminationem, gratiam, donum, mysterium, & expurgationem*. Est triplex fluminis, siuè aquæ, fluminis, siuè contritionis, & sanguinis, siuè Martyrii, in hoc tractatu potissimè agemus de Baptismo Fluminis, seù de Baptismo Sacramento, licet ratione doctrinæ aliqua etiam dicentur de alijs duobus. sit ergo.



DISPVATIO

DISPVATIO I.

DE PARTIBVS ESSENTIALIBVS

SACRAMENTI

BAPTISMI.

Partes essentielles cuiuscunque rei aliæ sūt metaphysicæ, vt genus, & differentia, aliæ physicæ, vt materia, & forma, & per verasque Baptismi Sacramentum sicut & aliæ res definiuntur, per partes quidem metaphysicas hoc modo *Baptismus est Sacramentum abluionis*; vbi Sacramentum est genus, abluionis, loco ponitur differentia, cum enim non habeamus vnicum nomē ad explicandum Baptismi differentiam, ponitur subiectum proximum, seū materia proxima Baptismi loco differentia in obliquo, vt notetur quod differentia non est ipsum obliquum, sed ordo, &

habitus ad illud, vt patet ex dictis in principio præcedentis Tractatus. Per partes autem physicas definiuntur Baptismus vt cum D. Thoma hic quæst. 66. art. primo & definiunt plerique Theologi: *Est abluio corporis exterioris sub præscripta verborum forma*, vbi abluio quæ est Baptismi materia proxima loco generis ponitur, & forma, seū *sub præscripta verborum forma* loco differentia: ita enim definiuntur res per partes physicas. Ex quibus patet inutiles esse hæreticorum definitiones Malenæthonis præsertim, & Caluini. Malenæthon quidem sic definit Baptismum, *Baptismus est signum quo Deus nobiscum agit,*

agit, & recipit nos in gratiam, hæc enim definitio, vt patet, omnibus conuenit Sacramētis: Caluini similiter, qui sic definit: *Baptismus est signum initiatiuum, quo & in Ecclesia coaptamur societatem, vt Christo insit inter filios Dei censemur.* nam hæc definitio, verbo prædicationis, per ipsum Caluinum conuenit, quod est falsissimum. Cum definiant Theologi Baptismum per ablu-tionem, & hæc tum actiue, tum passiuè accipi possit; in-quiret aliquis num Sacramen-tum Baptismi consistat in ab-lutione actiue, vel passiuè ac-cepta, vel in vtraque simul, & dico consistere in ablu-tione prout & actiue, & passiuè ac-cipitur, nempe & prout est ac-

tionem recipientis, & prout est re-ceptio, siue contactus aquæ ad ipsum baptizati corpus, de ratione namque baptismi est, quod actionem includat mi-nistri, & quod suscipiatur ab aliquo, & sic, & actionem di-cit ministri, & passionem, seu susceptionem recipientis. Sed quia de metaphysicis parti-bus Sacramenti baptismi nul-la est nobis colluctatio parti-cularis, nec cum hæreticis, nec cum catholicis ideo ijs ce-lestis ad partes physicas ex-plicandas descendimus, ni-mirum materiam, & formam, & quia materia est duplex pro-xima, & remota, prius de hac disputabimus, disputatu-ri postea de illa. Sit ergò.

QVAESTIO I.

Quenam sit materia remota Sacramenti Baptismi.

Materia remota in quo-cunque Sacramento in vltimo, & actione consistente,

est res illa quæ ad Sacramen-tum conficiendum assumitur, proxima vero est ipsa mate-

riæ remotæ applicatio; vt in Sacramento Confirmationis, materia remota est Chrisma, proxima vero est Chrismatio, seu consignatio; ita in Sacramento Baptismi materia remota est aqua, proxima est ipsa aquæ ablutio; de materia ergo remota disquirimus nū sit aqua, & quid nomine aquæ veniat.

Prima sententia seu potius error hæreticorum nostri temporis est materiam remotam Sacramenti baptismi non esse solam aquam naturalem, vt aquam maris, fluminis, fontium, paludarum, &c. verum etiam *quidquid balneum dici potest*. ita Lutherus tom. 1. Beza epist. 2. ad Thomam Tiliū & alij; vnde volunt sufficere ceruissiam, vinum, lac, & quemlibet alium liquorem.

Nostra sententia sequenti conclusione explicatur. Sola aqua verè, & propriè naturalis est materia remota Sacramenti Baptismi. Hæc conclusio est de fide declarata in Concilio Lateranensi, & habetur *e. firmiter de Summa Trinitate*, & in Tridentino sess. 7. can. 2. de Baptismo vbi dicitur:

Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorsit; anathema sit.

Conclusio à priori probari non potest, cum hoc ex sola instituentis voluntate habeatur; à posteriori tamen per quatuor congruentias probatur à D. Thomā art. 3. quæst. 66. Prima congruentia est: quia cum Sacramentum Baptismi sit quædam regeneratio spiritualis per aquam fieri debebat, quæ est radix generationis viuientis, semina enim inquit Angelicus ex quibus viuentia omnia generantur scilicet plantæ, & animalia humida sunt, & ad aquam pertinent, propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam rerum omnium principium. Secunda congruentia est, quia effectus Baptismi, effectibus aquæ assimulantur; aqua namque sua humiditate lauat, & tergit, & Sacramentum baptismi lauat, & tergit peccatorum sordēs. Aqua sua frigiditate

ditate caloris temperat superfluitates, & Baptismi Sacramentum fornicis mitigat concupiscentiam. Aqua sua diaphaneitate est luminis susceptiua, & per baptismum fidei lumen suscipimus: Tertia congruentia est: quia per aquam optimè repræsentantur Christi mysteria quibus iustificamur, vt Christi mors, & sepultura per immersionem, resurrectio per emersionem &c. Quarta congruentia, est aquæ communitas, & abundantia, quæ optimè baptismi deseruit necessitati. Soluuntur hæreticorum argumenta.

Primum argumentum est: quia Matth. 3. D. Ioannes Baptista dicebat, *se quidem baptizare in aqua, venturum tamen Christum Dominum, qui erat baptizaturus in spiritu sancto, & igne;* ergò aqua non est materia necessaria Sacramenti baptismi; propterea Iacobitaræ baptizabant olim ferro cædenti, formando in frontibus baptizandorum Crucis signū. Respondetur primo illum locum Ioannis intelligi secundum aliquos, de missione Spiritus Sancti in die Penteco-

stes, iuxta illud Acto. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua vos autem baptizamini Spiritu Sancto non post multos hos dies, & sensus est replemini, & purgabimini copiose igne Spiritus Sancti.* Respondetur secundo: secundum alios illum locum intelligi de vero Baptismo, & per Spiritum Sanctum & ignem, Baptismi effectus significari, charitatem videlicet quæ instar ignis cor accendit & peccati scoriam decoquit, & hæc videtur germana, & litteralis illius loci intelligentia volebat enim D. Ioannes significare per illa verba maximam excellentiam Baptismi Christi supra suum, nam baptismus Ioannis gratiam non conferebat sanctificationē, bene autem Baptismus Christi.

Secundum argumentum est: quia Sacramentum baptismi fuit in illa aqua figuratum quæ fluxit ex latere Christi, sed illa non fuit vera aqua sed phlegma; in corporibus namque mixtis quale erat tunc temporis Corpus mortuum Christi pura, & elementaris aqua non reperitur; ergò &c

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: aqua namque quæ fluxit ex latere Christi Domini mortui vera, & elementaris aqua fuit, ut testatur ipse Euangelista Ioannes, dicendo se ita vidisse, & eius testimonium, verum esse. Deinde dico quod dato, & non concessio quod illa aqua non fuisset vera, & elementaris adhuc in illa figurari poterat Sacramentum baptismi; non enim necesse est, quod res significans eiusdem sit naturæ, & rationis cum re significata, sicut obiectio supponit, nam Agnus Paschalis figura fuit Sacramenti Eucharistiæ, & manna similiter, & tamen non sunt eiusdem naturæ, & rationis, ut patet.

Tertium argumentum desumunt ex quadam narratione Nycephori lib. 3. cap. 37. de quodam Iudeo in necessitate constituto, qui aqua deficiente in arena fuit baptizatus loco aquæ, & à morbo convalescit quo laborabat; ergo loco aquæ uti licebit alia quacunque re ad baptismum conferendum. Respondetur cum Baronio tom. 2, ad Annum.

Christi Domini 181. non satis constare de illa Nycephori historia. Deinde dico, quod esto sit vera, non inde sequitur in casu necessitatis posse uti re aliqua alia loco aquæ ad baptismum conferendum; nam ibi non habetur baptismum fuisse ratum habitum ab Episcopo loci illius; quin potius sano facto Iudeo illo, fuit postea baptizatus, & si sanatus fuit, hoc baptismi voto tribuendum est &c. Ex dictis infertur primo quod licet nix, glacies, & grando, quandiu manent ita concreta, ut non possint fluere, non sunt sufficiens materia remota Sacramenti baptismi; si vero in aquam resoluantur sunt materia sufficiens; duas habet partes hæc illatio prima quod nix, glacies, & grando quandiu manent concreta non sunt materia sufficiens baptismi; & hæc pars patet, quia licet illa sint vera, & propria aqua naturalis non tamen est apta ablutioni, quæ est materia proxima, materia autem remota illa sola esse potest, quæ potest coniungi cum proxima, ut patet. Secunda pars est,

est, quod si illa tria in aquam resoluantur erunt materia sufficiens, quia tunc temporis erit aqua apta ablutioni. Sed dices, quia vinum congelatum est materia secundum aliquos sufficiens consecratio. Calicis Eucharistici, imo, & aqua vnde secundum illos qui volunt aquam conuerti in sanguinem immediatè, si quis nõ haberet aquam resolutam quã poneret in Calice cum vino, & poneret parum aquæ congelatæ conuerteretur simul cū vino immediate in sanguinẽ; ergo si aqua est sufficiens materia Eucharistiæ dum congelata est, & vinum similiter, ita pariformiter aqua congelata sufficiens materia erit Sacramenti baptismi. Responderetur namque differentiam esse, quod cum Sacramentum baptismi, in vsu, & actione consistat nempe in ablutione eius materia remota debet esse illa quæ tali actioni, nempe ablutioni, queat deseruire, cū autem aqua congelata non possit deseruire illi actioni, sequitur quod apta materia esse nequeat. Secus occurrit in Sacramento Eucharistiæ, non

enim in vsu, & actione consistit, sed in esse permanenti, cum transacta consecratione perduret, vnde non est simile; de materia tamen huius argumenti suo loco sermo redibit.

Infertur secundo aquam ex sale resolutam esse sufficientem Sacramenti baptismi materiam, ita post Armillam, Tabienam, Henriquez, & Fernandez, tenet Diana resol. 5. de Sacramentis contra Angelum, Syluestrum, & Coninchum, apud eundem auctorem; & ratio est, quia sal ex vera aqua salta efficitur, vt experimento constat, & docet Aristoteles 2. Meteor. cap. 3.

Infertur tertio aquam ex vite, vel aliqua arbore distillatam non esse aptam Sacramenti baptismi materiam; similiter aquam distillatam ex herbis, vt ex rosis, lactucis, &c. ita Coninchus, Fernandez, Filliuccius, Zanardus, & alij, apud Dianam resolutione citata, contra Ioannem de la cruz, & ratio est quia ille humor non est aqua, licet propter similitudinem aqua nuncupetur, sed est substantialiter

rer succus quidam, aquæ valde similis. In casu tamen necessitatis quando alia aqua vera, & certa haberi non posset, posset minister illa vti aqua sub intentione conditionata, si talis materia sit sufficiens, melius namque est dubium adhibere remediū quā nullum, vbi graue periculum & necessitas vrget, & tale remedium nocere nequit, vt in præsentī. Idem dicendum est de salua, lotio, lacrymis, & sudore, quod nimirum non sint materia apta Sacramenti Baptismi, quia non sunt vera aqua, sed humorum resolutio, vel distillatio, &c. Nonnulla difficultas est de brodio, vel iusculo, de ceruisia, & lixiuio de quibus dico cum Granado hic capit. 4. tract. 1. disp. 3. dub. 1. & alijs, quod si sint valdè tenuia, ita quod naturam aquæ retineant, sufficiūt; secus si non retineant; idem dicendum de vino lymphato, & luto. Adde esse sufficientem aquam elemētarem quæ ex vaporibus densatis causatur in testaceo tegumento ol-

læ bulientis, item quæ hyemali tempore ex parietibus, lapidibusquē fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt, & quæ ex parietibus lapidibusquē stillat aqua est, aere humidū in aquam conuerso, ita Fernández apud Dianam loco citato. Aduerte tamen secundum Bonau. & alios relatos à Diana p. 9. tract. 6. resol. 33. esse peccatum mortale vti aqua impura, vel non consecrata, cum alia haberi potest, licet Granado, & Quintana putent non esse mortale vti non benedicta.

Infertur quarto ad verum conficiendum baptismum sufficere vnā, vel alteram aquæ guttam, ita contra Zabrannum, Valentiam, & alios. Docet Henriquez, Vasquez, Cemitolius, & Filiuccius apud Dianam resolut. 5. citata de Sacramentis. Vnde resoluunt verum fuisse baptismum quē contulit quædam mulier, quæ moribundum infantem baptizauit signo Crucis in fronte impresso, digito aqua madefacto.

QVAESTIO II:

*Quænam sit proxima Sacramenti Baptismi
materia, & qualis esse
debeant*

QUoad primum in quæ-
stionis titulo propositū
conueniunt omnes ablutionē
esse proximam Sacramenti ba-
ptismi materiam, vt clare col-
ligitur ex verbis Christi Do-
mini Matth. ultimo. *Bapti-
zantes eos in nomine Patris,*
&c. Baptizare namque non
dicit aquam nudam, sed aquæ
vsum circa id quod abluitur:
consistit autem essentialiter
ablutio in motu locali, siuè in
motu quo aqua circa corpus
ipsum tangendo mouetur, si-
ue quo ipsum corpus moue-
tur circa aquam tangendo ip-
sam, vtrius enim modo cor-
pus abluitur, siuè enim cor-
pus circa aquam moueatur,
siuè aqua moueatur circa cor-
pus, idem corpus abluī dicitur.
Ex quibus colligitur ad
baptismi validitatem suffice-

re siuè immersionem, siuè in-
fusionem, siuè asperisionem,
tamen propriæ Ecclesiæ vsus
vbique seruandus est, qui si
varietur, licet secundum ve-
riorem sententiam sit pecca-
tum mortale, tamen est etiam
probabilis aliquorum senten-
tia quod si id fiat sine contē-
ptu, & scandalo solum sit pec-
catum veniale.

Conueniunt etiam Theo-
logi trinam ablutionem siuè
per immersionem, siuè per
effusionem, siuè per asperio-
nem, ad baptismi valorem,
non requiri, sed sufficere
vnam, quod ex vsu Ecclesiæ
constat quæ ob varias occur-
rentes rationes aliquando vsa
est tria, aliquando vna tan-
tum mentione, vt constat ex
Greg. lib. 1. Epist. 41. ex Cō-
cilio Toletano 4. can. 4. & ali-
bi. Et

bi. Et quoad hoc propriæ Ecclesiæ ritus seruandus est. Solum aduerte, quod quando quis trina utitur, verbigratia immersione debet ita verba proferre, vt illa non absoluat priusquam tertiam absoluerit immersionem, alioqui si post primam, vel secundam verba perficiat statim perficiet baptismum.

Circa secundum quod in titulo proposuimus nimirum qualis debeat esse ablutio, alique sunt difficultates enodandæ; prima est; an aliquis possit ea ablutione baptizari qua occidatur, de qua re duæ sunt extremæ sententiæ.

Prima sententia est Scoti in 4. dist. 5. quæst. 3. Paludani dist. 6. quæst. 1. art. 3. Marsilii quæst. 4. art. 4. Soti dist. 3. quæst. vnica art. 8. Syluest. V. Baptismus 4. quæst. 10. & aliorum quod nullo modo liceat; volunt enim quod si quis infantem statim moriturum in fontem, vel in puteum proiciat, cum intentione ipsum baptizandi, & simul suffocandi non solum mortaliter peccet, & fiat irregularis, verum etiã quod non fiat baptismus.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione potest quis valide baptizari ea ablutione qua occidatur. Hanc sententiã sequuntur Rosella V. Baptismus 4. num. 1. Suarez hic disput. 20. sect. 3. Vasquez disp. 145. capit. 3. Valentia disput. 4. quæst. 1. puactio 2. Coninch quæst. 66. art. 7. dub. 1. Nugnus quæst. 66. art. 8. concl. 5. & alii cõmuniter.

Probatum breuiter: quia ad conficiendum baptismi Sacramentum sufficit, & requiritur debita materia, forma, & intentio ministri; sed hæc omnia in casu nostro reperiuntur; ergo verum conficitur Baptismi Sacramentum. Maior est certa: minor in qua est difficultas probatur; est enim tunc temporis ministri intentio, vt suppono, est vera prolatio formæ, vt etiam suppono, est vera materia remota, nempe vera aqua naturalis, aqua nimirum putei, in quem baptizandus proicitur, est etiam vera materia proxima, nempe vera ablutio, quod probatur, & explicatur de hac enim solum potest esse diffi-

difficultas; quia ita proiciens verè illidit corpus aquæ, ita vt aqua per corpus moueatur dum corpus per eam intrat, & taliter quod si corpus esset sordidum verè ablueretur; ergò est tunc vera ablutio; vt enim in principio huius quæstionis dicebatur, materia proxima baptismi est illa ablutio de cuius essentia est quod in locali motu consistat, quo, vel aqua mouetur circa corpus, ipsum tangendo, vel corpus mouetur circa aquam ipsam tangendo; sed in illa projectione in puteum vtrunque contingit, ergò vera intercedit, ablutio ad verum baptismi Sacramentum efficiendum.

Confirmatur primo: quia si Parochus dum immergit infantem vt ipsum baptizet, relinquat ipsum sine culpa cadere in aquam, & moriatur, baptizatus manet; ergò etiam si ipsum in fontem, vel in puteum proiciat. Antecedens admittunt omnes, consequentia probatur; quia ideo per aduersarios in casu consequentia non fit baptismus, quia ablutio ad Sacramentum baptismi requisita, debet esse im-

mersio, cui emerfio subsequatur; sed hoc non valet in casu antecedentis; ergò neque valere debet in casu consequentis; si enim semel potest dari baptismus validus cum immersione sine emerfione, semper dari poterit dummodo cetera adsint.

Confirmatur secundo: quia si quis baptizet infantem in aqua nimis calida, vel nimis frigida, ita quod moriatur infans, reuera baptismus conficitur, & hoc non ob aliam rationem nisi quia ad validitatem baptismi sufficit materia, forma, cum debita ministri intentione, quæ tunc temporis, vt supponitur, adest; sed etiam hæc omnia adsunt in nostro casu; ergò non minus in nostro, quam in alio casu, baptismi Sacramentum conficitur.

Nec valet dicere Sacramentum baptismi non confici quacunque ablutione, sed solum communi, & vsuali, summersio autem absque emerfione, seu absque extractione ipsi succedente non est ablutio communis, & vsualis, sed potius suffocatio; ergò.

Nam contra est: quia de ratione ablutionis etiam communis, & vsuali non est quod immersione sequatur emersio sed potest fieri vera, & vsualis immersio sine emersione vt cum pastor sordida pecora in aquis immergit, vt ea lauet absque intentione ea educendi, sed permittit ea per se enatare, & quod per se enatent est per accidens ab utiōni, & si aliqua immergantur, vt postea educantur, quia per se emergere nequeunt, vt cum pannum, linum, lanā in aquis immergimus, non ideo non lauantur, sed tunc maximè, &c. quia emersio, vel extractio de ablutionis ratione non sunt.

Sed contra nostram conclusionem est primum aduersariorum argumentum: quia baptismus non fit nisi immersione, effusione, & aspersione, sed in dato casu nullum horum contingit; ergo non est baptismus. Minor probatur quoad primam partem in qua est difficultas: primo quia immersio dicit relationem ad emersionem; sed in casu dato nulla sequitur emersio; ergo

neque immersio. Secundo; quia Christus Dominus talem instituit ablutionem per quā fieret potius relatio ad vitam, non per quam vitā ipsa tolleretur, atqui hic non sic contingit cum illa proiectio sit extractio, & suffocatio; ergo &c. Tertio quia per baptismum conformamur non solum morti, & sepulturæ Christi Domini; verum etiam resurrectioni; sed nisi immersioni sequatur emersio, licet fiat conformatio sepulturæ, & morti Christi Domini, non tamen fit resurrectioni; ergo &c. Quarto, quia ad hoc vt verum fiat baptismi Sacramentum debet talis poni ablutio per quam baptizans baptizatum contingat, sed in tali proiectione, talis contractus non contingit; ergo &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad primam probationem dico; quod immersio, & emersio non sunt relatiua, sed absoluta, & vnum sine alio esse potest, vt patet cum piscis in aqua natus extra aquam saltat ad quam amplius reuerti non potest, tunc

enim

enim temporis datur emersio sine immersione cum nunquã ille piscis fuerit immersus; ergò si potest dari emersio sine immersione, quare etiam dare non poterit immersio sine emersione? Ad secundam probationem dico, quod Christus Dominus talem instituit ablutionem quæ ad vitam ordinetur spiritualem, non tamen est necesse quod ad vitam ordinetur corporalem, alias qui puerum cum aqua baptizaret nimis frigida qua moriatur, baptismum non conficeret quod nemo dicit. Ad tertiam probationem dico, quod per baptismum configuramur, & morti, & sepulturæ, & resurrectioni Christi Domini, quia per baptismum, & morimur peccatis, & vita resurgimus spirituali, non quia post immersionem sequi debeat emersio &c. Ad quartam probationem similiter dico ibi sufficientem intercedere contactum, cum & proiciens prius contigerit, & ipse idem verba proferat Sacramentalia, secus fieret si quis videns puerum ab alio in puteum proici verba proferret Sacramenta-

lia. Vnde nullo modo placet sententia Leandri de Sacram. to. 1. tract. 2. disput. 2. quæst. 30. quod in tali casu verum conficeretur baptismi Sacramentum, sicut, quando puer elabatur de manibus Sacerdotis baptizantis, & ipse baptizans verba formæ profert, nã diuersus est valde iste secundus casus à primo vt patet, in hoc enim secundo verè Sacerdos baptizat, secus in primo, cum à proiciente baptizari dicitur, & ab alio forma proferatur. Valeret tamen baptismus si quis aquæ è tecto defluente puerum submitteret, & verba formæ proferret, tunc enim temporis ab eodem ministro puer abluí diceretur vt patet.

Secunda difficultas est, an si puer statim sit moriturus, ita quod acceleratio mortis non sit notabilis, si aliquis talem baptismum ministret, peccet mortaliter, & irregularitatem incurrat; non procedit hæc difficultas quando puer subit periculum mortis ex ipso baptismo, patet enim quod tunc Sacramentum non est ministrandum, non enim

sunt facienda mala vt inde
eueniant bona, vt recte nota-
uit Nugnus hic quæst. 66. ar.
8. cõnclus. 4. quamuis iste
casus videatur moraliter dif-
ficilis, cum valde difficile sit
quod puer mortis periculum
subeat per exiguam aquæ as-
persionem.

Neque etiam procedit dif-
ficultas quando puer est pro-
xime moriturus, & cognoscit
minister quod per baptismi ad-
ministracionem mors sit acce-
leranda, licet casus sit valde
difficilis, vt modo dicebamus,
cum vix credi possit quod per
exiguam aquæ tepesactæ, ver-
bigratia effusionem, mors sit
acceleranda, tamen casu ad-
missio, satis cõmune est, quod
baptismus debeat administra-
ri, quia vt post alios aduertit
Nugnus vbi supra tunc puer
censetur moraliter mortuus,
& sic non occiditur à bap-
tizante, sed eius bonum inten-
ditur, melius namque est illi
mori cum baptismo quam pa-
ulo amplius viuere perpetua
sequente damnatione; igitur
acceleratio mortis hominis a-
lias morituri cui ratione illius
aspersionis esponitur, adeo

exigua, & insensibilis est vt
ob salutem æternam contra
rationem non sit illam pone-
re, ac proinde sic baptizans
nec peccat mortaliter, nec sit
irregularis, sed bonum opus
facit; vnde ille puer rationa-
biliter leue illud nocumentū
in vita eligeret, ne sine bap-
tismo in æternum periret, ita
Diana p. 10. tract. 16. resol.
20. post Vasquez Layman,
Palauum, Hurtadum, Auer-
sam, & Caspensiem.

Procedit ergo præsens dif-
ficultas in casu difficultatis
præcedentis, nimirum projec-
tionis pueri in puteum quan-
do aliter baptizari non pos-
set, & vitæ periculum instaret,
an nimirum sic puerum bap-
tizans peccaret mortaliter, &
fieret irregularis.

Prima sententia est, quod
in tali casu minister, & peccet
mortaliter, & irregularitatem
incurrat, ita Castus Palacus
tract. 19. puncto 4. num. 12.
Hurtadus hic disput. 1. difficul-
tate 5. Vasquez, & Aegidius
apud illum.

Nostra sententia duplici
explicatur conclusione. Pri-
ma sit; si instante morte aqua
haberi

haberi non possit qua puer baptizetur, sine vilo peccato, & irregularitatis periculo proici potest in puteum vt baptizetur. Hanc sententiam defendit Mercerus quæst. 66. artic. 1. quæst. 3. Lessius hic art. 7. dub. 3. num. 33. & 34 & alij plures præsertim ex modernis videatur Diana p. 10, tract. 16. resol. 20.

Probatur primo nostra sententia, quia vt mox dicebamus si minister cognoscat, quod puer sit proxime moriturus debet omnino baptismi Sacramentum administrare, etiam si ex tali administratione mors sit acceleranda, quia ille puer rationabiliter eligeret illud leue nocumentum ne pereat in æternum, cum melius illi sit cum baptismo mori quam paulo amplius vivere, in æternum moriturus. Sed hoc etiã currit in casu nostræ conclusionis. Maior ferè ab omnibus conceditur. Minor probatur ex paritate rationis, in vtroque enim casu puer aquis mergitur, & non emergitur, in vtroque mors sequitur, in vtroque adest, vt suppono necessaria forma, & de-

bita ministri intentio, solum differentia est quod in primo casu non proicitur sicut in secundo, sed vt patet ex doctrina præcedētis difficultatis hoc nihil facit cum illa proiectione rationem non tollat veræ ablu-tionis; ergò &c.

Sed dices, differentiam esse quod in primo casu minister puerum immediate immergit in secundo vero de longe proicit. Nam contra est, quia si minister puerum fune in puteum dimitteret, & verba formæ proferret verè baptizaret; ergò etiam si proiciat; similiter, quid refert ad validitatem baptismi quod minister de prope, vel de longe, baptizandos aqua aspergat? certe nihil.

Probatur secundo conclusio: quia si ob aliquam rationem non liceret tunc baptizare infantem mox moriturum ipsum in puteum proicendo quando aliter baptizari non posset, maxime quia ea proiectione esset directæ innocentis accessio, quæ iure diuino, & naturali est prohibita, nec sunt facienda mala vt inde eveniant bona; sed hæc ratio est

est nulla; ergò &c. Maior est partis oppositæ fundamentū. Minor probatur; quia licet nunquam fas sit directè intendere mortem innocentis, tamen sepe fas est facere aliquam actionem necessariam ad alium finem honestum quē consequi intendimus etiam si ex ea sequatur innocentis interitus; ergò etiam id licitum erit in nostro casu, cū nō intendatur vt suppono pueri interitus, sed spiritualis salus. Antecedens probatur ex ijs, quæ docet Lessius de iustitia cap. 9 dub. 9. Miles namque ciuitatem oppugnans licite turrim suffodit, cum hoc ad victoriā est necessarium, etiam si certo sciat se eius casu obruendum: similiter licitè tormenta diriguntur ad euertendas hostiū munitiones, etiam si innocentes ibi reperti occidi debeant. Item licitum est mihi quando aliter mortē euadere nequeo occidere inuasorem, etiam si id fieri nequeat sine certo vitæ periculo innocentis, post quem occultatur inuasor. Et mulier grauida licitè sumit medicinam cum certo prolis periculo, etiam animatæ, quā

do alias necessario tam ipsa quam proles antequam in lucem edatur, & baptizetur, essent morituræ. Consequētia probatur: quia etiam si tunc, sicut & in modo dictis casibus physicè loquendo hic & nunc cum tali projectione sit coniuncta innocentis occisio, & talem exercens actionem sit talis causa interitus, loquendo tamen moraliter ille interitus per accidēs est coniunctus cum illa ablutione, quod patet, quia illa mors nullomodo est intenta directè, neque vt medium, neque vt finis; cupit enim tunc temporis minister illam mortem abesse, propterea non tenetur talem projectionem omittere; intendit ergò baptizans non pueri mortem, sed salutem, nec vult projectionem, vt est medium ad interitum, sed prout est medium ad salutem, cum qua per accidēs mors ipsa coniungitur.

Secunda conclusio. Licet præcedens sententia, vt patet ex dictis pro illa, videatur speculative probabilis, nihilominus tamen non est practicè sequenda. Primò, quia incertum

certum est, an ille puer sit iam iam moriturus, ut illa sententia supponit. Secundo quia hoc est difficilis probationis, apud iudicem de opposito facile præsumentem. Tertio, quia etiam si hoc probaretur, certè non acceptaretur, sed tanquam homicidii reus ille talis haberetur. Quarto, quia reuera videtur, quod illa proiectio per se tendat ad infantis occisionem, licet per accidens, & ex intentione proicientis, ad infantis terminetur ablutionem. Quintò, quia talis proiectio nimis inhumana videtur, ob idque minimè à peccato, & irregularitate excusabilis.

Tertia difficultas est, an ablutio baptismalis debeat esse immediata, an vero sufficiat mediata, ut si verbigratia infans sit in matris utero, vel in cista, vel vestes, dumtaxat aspergantur. Et respondetru secundum communem Theologorum sententiam ablutionem esse debere immediatam; cuius rei ratio est, quia baptismalis ablutio debet esse talis per quam homo dicatur ablutus, seu lotus, si

autem infantis ablutio solum fiat in cista, seu in vestibus, &c. non dicitur homo ablutus, sed cista, vel vestis, &c. ergò &c. Layman lib. 5. trac. 2. cap. 3. & alii communiter Sed dices: si quis aqua lustrali aspergatur in vestibus verè suum habet effectum; ergò multo magis si aqua aspergatur baptismali. Antecedens patet ex communi fidelium usu, qui dum aqua asperguntur lustrali non curant, quod aqua immediate tangantur, sed mediatè dumtaxat, nempe in vestibus. Consequentia patet, quia baptismus efficacior est aqua lustrali; ergò &c. Respondent aliqui ideo in aqua lustrali sufficere contrañum mediatum, quia non habet effectum ex opere operato, sed ex opere operantis, secus baptismus qui suum effectum ex opere, habet, operato. Sed hæc solutio impugnata manet ex dictis disputatione vltima præcedentis tractatus, vbi cum D. Thoma, & Thomistis sustinimus Sacramentalia suum habere effectum ex opere operato. Respondetur ergò aliter pri-

mo, dicendo antecedens non esse certum, forte enim sicut in baptismo, ita in aqua lustrali contactus requiritur immediatus. Secundo dico quod etiam si admittatur antecedens negari debet consequentia, cuius rei disparitas, est propria cuiusque institutio; aqua namque lustralis non ideo peccata venialia remittit quia abluat, sed quia Ecclesia ita eius usum instituit, sicuti pectoris tuncio quæ ut ex communi fidelium usu patet, supra pectus immediatè fieri non debet. At vero baptismus fuit à Christo Domino institutus, ut in tantum peccata deleteret, in quantum est hominis ablutio, ut patet.

Ex quibus infertur quod si quis baptizetur in capite tantum, vel in scapulis, vel in brachiis, erit vere baptizatus; quia tunc absolutè homo dicitur ablutus, lotus, &c. Si vero solus digitus ablueretur sub conditione esset baptismus repetendus, quia non est ita certum quod per ablu-tionem digiti, homo ablutus, & lotus dicatur, ita Nugnus supra conclusione 2. idem à

fortiori dicendum, si quis abluatur in unguibus, & capillis, quia licet secundum veteriorem philosophorum sententiam, & ungues, & capilli anima informantur rationali, nõ tamen est certum; imò valde dubium est an homo dicatur ablutus, & lotus, per ablu-tionem, & lotionem partium illarum. Aduerte tamen præceptum Ecclesiasticum esse, ut caput abluatur, nisi necessitas aliud exiget, ita habetur de consecratione dist. 4. can. *postquam*.

Hinc infertur puerum in utero matris existentem baptizari non posse, de quo ihfradum de subiecto baptismi loquemur. An autem matrem morituram, vel mortis ream liceat secare ut baptizetur infans, non constat inter scribentes, communior, & verior sententia est, quod non liceat etiam ipsa consentiẽre, quia illa sectio est directæ matris occisio; mortua autem statim secanda est; ut puer baptizetur si adhuc viuat. Vnum casum excipit Layman lib. 5. tract. 3. capit. 3. si nimirum mater sit morte digna & ñ

& si supplicium differatur in-
fans certè sit antè natiuita-
tem moriturus, quod valde

probabile videretur, licet eti-
am oppositum sua non careat
probabilitate.

QVAESTIO III.

Qua sit forma Sacramenti Baptismi.

Circa formam Sacramen-
ti Baptismi, varij fuere
psicorum errores hæretico-
rum, quidam enim hac forma
baptizabant. *In nomine igno-
ti Patris omnium, & veritate
omnium Matre, & in eo qui
descendit in Iesu.* Hi erant
Marcitæ sic dicti, quia erant
cuiusdam Marci Discipuli, qui
Marcus inter alios quos do-
cuit errores vnus erat quod
Deus non erat Pater Domini
nostri Iesu Christi, Cerdonè,
& Marcionem in hac parte
secutus. Alij eiusdem Marci
sectatores baptizabant profe-
rendo quædam nomina He-
braica supra eos quos initia-
bant, & hoc terribiliter, vt pa-
uorem incuterent. Pauliani,
& Cataphriges nomen trini-
tatis non exprimebant dicen-
do, *Ego te baptizo Amen. No-*

stri temporis hæretici licet
velint formam qua Ecclesia
vtitur catholica optimam es-
se, volunt tamen non esse ne-
cessariam, sed verba ad sum-
mum solum esse par em inte-
gralem, vt Hunnius, Beza, &
alii.

Nihilominus veritas Ca-
tholica sequenti explicatur
conclusionè. Hæc, vel alia
illi, quoad significationem,
æquivalens forma verborum
est absolute necessaria ad Sa-
cramentum Baptismi confi-
ciendum: *Ego te Baptizo in
nomine Patris, & Filij, &
Spiritus Sancti.* Hæc propo-
sitiõ est de fide definita in
Concilio Lateranensi, & re-
fertur capit. firmiter de Sum-
ma Trinita. & in Concilio
Florentino in Decreto Euge-
nii, & in Tridentino sess. 7. de

Baptismo, & est communis Ecclesiæ usus, & sensus, & manifesta Sanctorum Patrum doctrina, pro quo videantur Suarez, Vasquez, & alii expositores hic, Cardinalis Belarminus de Sacramento Baptismi.

Sed ut magis catholica veritas eluceat, aliquæ sunt difficultates breuiter elucidandæ.

Prima difficultas est; an particula *Baptizo* sit de essentia baptismi. Fuit sententia cuiusdam Claremontensis Episcopi, ut constat ex eius epistola ad Mauritium Episcopum Parisiensem, & ad Stephanum Abbatem Sancti Eucientii quæ extat tom. 3. Bibliothecæ Patrum, quod effusio aquæ super puerum necessitatis tempore cum hisce dumtaxat nominibus: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: sufficeret ad sanctificandum illum, & per consequens volebat illud verbû *Baptizo* esse solum de integritate, & solemnitate baptismi non de essentia; & tuam fundabat ille sententiam in eo, quod apud Sanctum Matth.

c. 28. solum legitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c. baptizare autem idem est ac lauare; ergo ad valorem baptismi sufficit puerum lauare dicendo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nihilominus veritas Catholica est quod illud verbum *baptizo*, vel aliud æquiualens sit de essentia Sacramenti baptismi. Hæc conclusio definita est ab Alex. 3. & refertur extra de baptismo capit. primo ubi dicitur. *Si quis puerum ter in aqua immerferit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus.* Vnde hanc conclusionem post D. Thomam hic art. 5. ad secundum tradunt omnes Theologi. Nec argumentum illius Episcopi aliquid euincit; primo quia est ab auctoritate negatiua desumptum, secundo quia licet illud verbum *baptizo* non sit formaliter expressum in forma à Christo Domino tradita, est tamen virtualiter expressum, & contentum in illa particula *papti-*

zantes, vt est communis intellectus Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sensus.

Secunda difficultas est, an de essentia formæ baptismi sit vt persona ministri aliquo modo exprimat.

Prima sententia est Soti 4. dist. 3. quæst. vltima art. 5. Vasquez disput. 142. num. 27. Cabrera hic. art. 5. quod nõ requiratur nec formalis, nec virtualis, nec implicita expressio personæ baptizantis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione, Licet non requiratur ad substantiam, & valorem baptismi expressio explicita personæ baptizantis, requiritur tamen implicita, & virtualis: prima pars patebit ex solutionibus argumentorum sententiæ oppositæ. Secunda pars probatur; quia quotiescunque ad valorem Sacramenti requiritur causam ministerialem exprimi in eius forma, tunc si talis non fiat expressio, Sacramentum non fiet; sed vt patet ex Concilio Florentino, requiritur expressio causæ ministerialis; ergo &c. Minor in qua est difficultas probatur,

quia Florentinum in Decreto vniõnis assignat duplicem causam baptismi, nempe principalem, & ministerialem, sed per Concilium, & vt docet fides causa principalis nempe Sanctissima Trinitas ponitur expresse; ergo ministerialis, debet saltem implicite poni; tum etiam quia Sacramenti baptismi ex vi suæ institutionis debet importare applicationem materiæ, & prolationem formæ per ministrum, sed hæc esse nequeunt sine expressione ministri applicantis, & proferentis formam; ergo &c.

Primum argumentum pro sententia opposita est, quia forma baptismi qua vtuntur Græci, nimirum *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, est sufficiens vt declarat Eugenius in suo Decreto, & tamen ibi nulla fit personæ baptizantis expressio; ergo Sacramentum Baptismi validum est sine tali expressione.

Aliqui respondent ad hoc argumentum, negando antecedens, volunt enim formam Græcorum non esse baptize-

tur *seruus Christi* N. in nomine Patris, & Filij, &c. sed esse hanc, *Baptizatur Seruus Christi &c.* ita ex Hillucio, & alijs tenet Gesualdus tom. 1. tract. 1. cap. 5. & quia in hac secunda Græcorum forma verbum *baptizatur* est modi enūciatiui, & practicè significans, & quod significat efficiens, pronunciatum ab eo qui potest, & habet efficacem intentionem efficiendi hic, & nunc baptismum, sufficienter denotatur quod qui talia profert verba est illius Sacramenti causa ministerialis, & per consequens sufficienter persona baptizans per illa verba exprimitur, licet non ita clarè, ac in forma latina.

Sed quia communior Theologorum sententia est, quod forma Græcorum sit prima iam assignata nempe *baptizetur seruus Christi &c.* licet putem utranque formam sufficere, vt post Vasquez, tenet Lugo de Sacram. in Genere disput. 2. sect. 6. Estius de Sacramento Baptismi Leandrus de Sacram. tom. 1. tract. 6. disput. 6. quæst. 46. & alij cū Florentinum utranque admit-

tat, ideo dico etiam per illud verbum *baptizetur* sufficienter exprimi personam ministri, eo enim ipso quod baptizans dicat, *baptizetur seruus Christi*, & aquam admoveat, demonstrat se habere potestatem administrandi, & non ab alio quā a se, Sacramentum ministrari, vnde virtualiter intelligitur, à me, baptizetur seruus Christi.

Secundum argumentum est: quia baptismus, forma sequenti factus, validus est, nimirum: *Per istam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ablutionem, abluat te à peccatis tuis Deus*; Et tamen nulla in ea forma sit ministri expressio, cum illa particula *abluat* sit tantum optatiui modi & sensu deprecatiuo pronuncietur à Sacerdote, ad eum proportionalem modum quo pronuncietur forma Sacramenti extremæ unctionis.

Respondetur prædictam formam non videri sufficientem, si tantum optatiuo modo pronuncietur, quia tunc illa pronuntiatio potius est speculatiua quam practica, cum per illam vt à ministro exercitiam

citam res, & effectus Sacramenti non significetur, vt hic, & nunc fieri debet, quod est necesse; nec id quod additur de forma Sacramenti extreme vnctionis est ad rem, quia huius Sacramenti forma ex sui institutione est depræcætiua, quod alia non habent Sacramenta, vt de singulis disputando patebit.

Tertium argumentum: quia baptismi Sacramentum sub hac forma collatum *Baptizat te Christus in nomine Patris, & Filij, &c.* est validum, vt multi volunt, & tamē in tali forma nulla fit ministri expressio; ergo ad substantiam baptismi talis expressio nēquidem virtualis, & tacita requiritur.

Respondetur prædictam formam duplicem habere posse sensum. Prior est quo significatur, Christum Dominum baptizare, taliter quod nē virtualiter quidem baptizantis ministerium includatur, & tunc omnino certum est talem formam non sufficere, cum nullo modo ministri actio importetur. Posterior sensus est quo significatur qui

dem Christum Dominum baptizare, sed includendo ministrum, seu per ministerium proferentis formam, & effundentis aquam supra baptizandum, & tunc illa forma sufficiens est, quia tunc, & persona baptizans sufficienter exprimitur, & ministerium eius.

Pro quo nota actionem ministri tribus modis exprimi posse. Primo sub ratione actionis quæ tunc de facto exercetur dum homo baptizatur, non tamen exprimendo illam vt exercitam; neque virtualiter, à ministro, neque eam negando. Secundo sub ratione actionis quæ tunc exercetur à ministro, & prout ab eo egreditur. Tertio sub ratione passionis, & quatenus de facto in subiecto recipitur. Conueniant omnes illam debere vno ex illis modis exprimi, vt ostendatur ministerialis, & instrumentalis ministri potestas, non tamen sufficit primus modus, vt aliqui volunt cum Soto dist. 3. quæst. vnica artic. 5. sed requiritur secundus, ex quo tertius deducitur. Igitur ad substantiã
bap-

baptismi requiritur expressio actionis ministri siuè per modum actionis, siuè per modum passionis, dummodo significetur talem actionem saltem implicite fieri ab ipso ministro, quod colligitur ex millies citato decreto Eugenij, dū dicit: *Si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrū, cum Sanctissimā Trinitatis in uocatione perficitur Sacramentum.*

Tertia difficultas est, an ad valorem baptismi requiratur expræssio personæ quæ baptizatur. Prima de hac difficultate sententia est, quod sufficiat personam quæ baptizatur exprimere in generali, & vage, ita Franciscus Lugo de Sacramentis lib. 2. cap. 3. num. 14. Nazarius tom. 8. opusculorum opusc. 3. cas. 3. & alii. Fundantur in forma Græcorum in qua ut ipsi dicūt persona baptizata non exprimitur, baptizant enim hac forma, *baptizetur, vel baptizatur seruus Christi in nomine Patris & Filij &c.*

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Ad valorem Sacramenti baptismi

necessario requiritur, quod persona baptizata exprimat, siuè dicatur *baptizote*, siuè *baptizo hunc*, siuè, *baptizo Petrum*, siuè iuxta Græcos *baptizetur seruus Christi Petrus*. Hæc conclusio est communis in scholis, vt testatur Dicastillius hic tract. 2. disp. 1. dub. 5. num. 83. Et ratio est vsus, & traditio Ecclesiæ, quæ semper ita intellexit verba illa Matth. vltimo; *baptizantes eos &c.* Christus namque Dominus non solum voluit vt baptizarentur homines non baptizati, verum etiam quod exprimerentur in ipsa baptismi forma, quod valde congruum est; nam si baptizati persona non exprimat nec actus ipse baptizandi sufficienter exprimi videtur, nec denotatur sufficienter actus in individuo, cum hic à persona baptizata determinetur, sed indifferens significatur ad hanc, & illam personam, ad personam quæ baptizatur, & ad quamlibet aliam; licet enim persona quæ baptizatur sit in individuo determinata, in forma tamen non exprimitur. Nec fundamen-

mentum aduersariorum illis prodest, quia in forma qua utuntur Græci, ut dictum miles Eugenij habet Decretum post illa verba, *baptizetur, vel baptizatur seruus Christi*, additur illa particula, *talis*, per quam significatur expressio personæ baptizatae: Nec ualet dicere cum Nazario quod dictio illa, *talis*, ab Eugenio præscripta solum ponatur ad maiorem expressionem, & perfectionem accidentalem, & ut esset similior formæ latinorū; nam sicut in forma latina talis expressio profus requiritur, ita in forma Græca, ut habet communis fidelium usus.

Ex quibus infertur primo non esse validum baptismum traditum secundum formam qua utuntur Chaldei, nimirū: *Baptizatus est, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*, vel *baptizata est in nomine Patris &c.* de quo fuit dubitatum hic Romæ Anno 1630 licet Nazarius ubi supra cap. 2 conetur illam sustinere; quia in tali forma actus baptizandi sufficienter non significatur, quatenus hic, & nunc fit in particulari, cum tamen sit

hoc necessarium, ut patet ex dictis, & tradunt omnes cum D. Thoma hic art. 5. cum enim Sacramentum baptismi in actu determinato, & particulari consistat circa hoc subiectum particulare, ut homo baptizatus intelligat se hic, & nunc sanctificari; debet hoc in forma significari. Tum quia Sacramentum baptismi non remittit peccata in communi, sed hic, & nunc in particulari, & determinate; ergo debet hoc in forma significari, alioqui nihil erit per quod talis particularizatio significetur. Tum etiam quia baptismus est quædam particularis regeneratio; ergo debet dari aliquid per quod genitum à generante distinguitur; ergo debet illud exprimi ut hoc dignosci possit, &c.

Nec argumenta P. Nazarii aliquid probant cum ab auctoritate negatiua procedant, ideo sisto.

Infertur secundo non esse validum baptismum traditum sub hac forma. *Ego te christizo, seù ego te Christianum facio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c.* qua uis

tur in Dalmatia, quia illa verba *Christizo*, vel *Christianum facio* non significant veram, & propriam aquæ abluionem, vt patet, videatur Lugo in respon. moral. lib. 1. dubio 3. per totum, qui rem optimè explicat:

Quarta difficultas, quid significetur dictione, nomine, in forma baptismi, & an requiratur ad baptismi valorem. Dico breuiter hanc particulam, *nomine*, in forma baptismi Dei essentiam significare, seù diuinitatem, maiestatem, potentiam, virtutem, fidem, seù confessionem, inuocationem voce factam, trium personarum Sanctissimæ Trinitatis. Et adeo est necessaria in forma baptismi hæc particula, vt eius loco substitui nō possit particula *in nominibus* prima pars huius dicti patet ex D. Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 22. vbi dicit: *In nomine non in nominibus hi enim tres unum sunt, & hi tres unus Deus est*. Videatur D. Tho. art. 6. & expositores omnes. Secunda pars dicti patet ex eodem Augustino mox citato D. Tho-

ma, & Catholicis omnibus, & ratio est, quia per formam baptismi profitemur non solum personarum Trinitatem, verum etiam vnitatem essentiae, quæ in illa particula *in nomine* denotatur non *in nominibus*.

Sed petes an si quis sequenti modo baptizaret. *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*, valide baptizaret; & respondeo sub distinctione, vel enim sic baptizans solum intendit vnã, & eandem rem repetere, & semper eandem numero essentiam significare, & tunc verum efficeret Baptismi Sacramentum, vel distinctionem intelligit essentiae, & tunc nullum ob dicta, erit Sacramentum.

Quinta difficultas: an expressa nominatio, seù inuocatio Trinitatis sit de essentia baptismi, & responderetur affirmatiue, ita D. Tho. art. 5. & 6. & eius interpretes, & est communis totius Ecclesie sensus. Et ratio à priori est sola diuina institutio, congruentia vero est, quia baptismus est Sacramentum fidei, primum autem,

autem, & maximum fidei mysterium est mysterium Sanctissimæ Trinitatis; ergo &c. unde, non valet baptismus sequentibus formis collatus: *Baptizote in Patre, vel cum Patre, vel per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vel baptizo te in fide Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel baptizo te in nomine Dei, vel Trinitatis, qui in forma debet exprimitur virtus essentia, tum distinctio personarum. De forma qua secundum aliquos utebantur Apostoli. Ego te baptizo in nomine Iesu Christi, diximus supra de Sacram. in Gen. Solent hic disputare Theologi an baptismus sub hac forma collatus: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque* sit validus. Huius disputationis occasionem dedit Cæteranus hic art. 5. quem secuti sunt alij plures, quod talis baptismus sit validus, licet non liceat talem formam ad praxim reducere; quæ doctrina etiam mihi valde probabilis videtur, quia ut constat ex iis quæ diximus de Sacramenti in Genere, ad Sacramentorum validitatem quantū*

est ex parte formæ sufficit ut verba significant si non ex proprietate verborum saltem ex usu, & accomodatione, sed verba, seu nomina *Genitoris, Geniti, & Spirati, seu procedentis ab utroque* ex communi Ecclesiæ usu distinctè significant tres personas Diuinas, nempe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ergo illa nomina sufficiunt.

Sed dices si valeret baptismus sub nominibus, *Genitoris Geniti, & Procedentis ab utroque*, valeret etiam sub nominibus *Paternitatis, Filiationis, & spirationis*, cum iste persona les relationes cum personis identificentur, hoc non admittitur; ergo neque illud.

Respondetur negando sequelam maioris, nam paternitas, Filiatio, & Spiratio sunt nomina abstracta quæ iuxta modum significandi non significant ipsas personas, qui Diuinæ personæ præter relationes, essentiam includunt; unde relationes solum sunt constitutiuæ, & distinctiuæ personarum non personæ ipsæ, quæ præter relationes essentiam includunt.

Sed dices iterum, saltem, sequetur validum esse baptismum sub nomine *Vnigenitis*, vel *innascibilis*, verbi, & doni, sed hoc dici nequit, nec admittit Caietanus, & alij; ergo &c.

Respondetur negando sequelam quoad nomina *Ingeniti*, & *innascibilis*, quia hæc nomina propriè personam Patris non exprimunt, ut Pater est, & ut habet rationem principii; ut ita dixerim Trinitatis, sed solum exprimunt specialem Patris conditionem, & proprietatem, propterea Patris notiones vocantur à Theologis; dicunt ergo illa nomina, carentiam omnis, & cuiuslibet originis passivæ in Patre, non personam ipsam Patris, quæ in forma baptismi exprimi debet. Quo ad nomen *Verbi*, dico illud esse sufficiens ad personam filii exprimendam, unde si quis baptizaret hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Verbi, & Spiritus Sancti*; verum conficeret Sacramentum. Nonnulla difficultas est circa nomen *doni*, an per illud sufficienter Spiritus Sancti persona exprimatur, & sic, si quis

baptizaret hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, vel Genitoris, Filij, Verbi, vel Geniti, & Spiritus Sancti, vel Procedentis ab utroque, vel doni*, an nimirum teneret baptismus, & dico quod non, quia nomen *doni*, licet Spiritui Sancto approprietur, tamen non ita expressè personam Spiritus Sancti habet exprimere, cum *donum* possit accipi, & essentialiter, & notionaliter, nec sit de ratione *doni* quod realiter à donante distinguatur, ut genitor, & genitus.

Aliæ particula quæ in baptismi formâ ponuntur, ut *Ego, &, in, & Amen*, non sunt essentielles, sed accidentales, unde sine illis verum conficeretur Sacramentum. Igitur in forma baptismi exprimi debet saltem implicite persona baptizans, actus baptizandi, alioqui forma cum materia connexionem non haberet, eamque non determinaret, cum ablutio ad multos alios fines fieri possit. Persona baptizandi, unitas Divinæ naturæ per nomen, in nomine, & Trinitas personarum.

DISPUTATIO

DISPVATIO II.

DE VNITATE, ET DIVISIONE

SACRAMENTI

BAPTISMI,

DEQVE EIVS INSTITVTIONE.

Baptismi Sacramentū
vnum esse secundum
speciem attomam,
nullus dubitat, nec adest du-
bitandi ratio: nam siue con-
sideretur ratione materiæ, si-
uè ratione formæ, siuè ratio-
ne significationis, siuè etiam
ratione effectus vnum est,

materia namque Baptismi vna
est in specie attoma, forma,
similiter, significatio, effec-
tus; an autem in sui generali
acceptione sit vnus, vel mul-
tiplex postea dicitur; & vt
ordine procedamus, & omnia
quæ ad hanc pertinent dispu-
tationem explicemus, sit

QVAESTIO I.

*An Sacramentum Baptismi in uno eodem
homine multiplicari numero
possit.*

Affirmarunt olim Marcionistæ, teste Epiphano hæresi 42. sic de illis loquente: *Non solum autem semel, sed etiam iterum atque tertio baptizant eos, qui lapsi sunt, atque peccarunt. Quin etiam apud eos alij pro mortuis, & ipsi qui sacris fidei inicianur baptizari solent. Quem errorem secuti sunt postea alij hæretici præsertim Anabaptistæ ob hoc sic dicti, &c.*

Nostra sententiâ sequenti explicatur conclusio. Baptismi Sacramentum nec licitè, nec validè in eodem homine numero multiplicari potest. Hæc conclusio est de fide definita primo à Leone Primo epist. 37. ad Leonem Episcopum Raveunatem, & Epist. 79. ad Niceram. Postea definita fuit in Concilio Carthaginensi, 1. can. 1. De-

inde in Concilio Florentino, in decreto Eugenii. Et tandè in Tridentino sess. 7. can. 9. & can. 11. de Baptismo.

Probatum primò ex illo Apostoli ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, Ex quo loco colligunt Sancti Patres Baptismi Sacramentum iterari non posse. Unde D. Leo. Epist. 37. citata habet. *Scimus inexpiable esse facinus, quoties cogitur quis lauacrum, quod regenerandi semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ unam predicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptisate Sacramentum. Et Epist. 79. habet. Hanc regulam omnibus Ecclesijs predicamus, ut lauacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo unus Dominus, una Fides,*

Fides, unum Baptisma, cuius ablutio nulla iteratione temeranda est. Et in Niceno Symbolo confitemur. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.

Probatur secundo. Quatuor congruentis a D. Thoma art. 9. allatis: prima est, quia Baptismus est spiritualis ex aqua, & Spiritu Sancto regeneratio, quæ generationi naturali ex Patre, & Matre assimilatur, iuxta illud Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c. ergo sicut non potest vnus, & idem homo nisi semel naturaliter nasci, ita non nisi semel potest homo spiritualiter renasci. Vnde D. Augustin. tract. 11. in Io. explicans illa Christi Domini verba ad Nicodemum, dicit. Sicut intellege natiuitatem spirituales, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis: quomodo enim eternus non potest reparari, sic nec baptisma. Secunda congruentia est: Baptismus est signum, & figura mortis Christi Domini, ob similitudinem quam habet hostia per baptis-

mus spiritualis mors, quæ peccatis, & veteri moritur vitæ, cum morte qua Christus Dominus corporali vitæ mortuus est, ergo sicut Christus Dominus solum semel mortuus est, mors enim vltra illi non dominabitur, ita & nos solum semel mori debemus.

Tertia D. Thomæ congruentia est, quia Baptismi Sacramentum imprimit characterem naturæ non indelebilem; ergo iterari non potest: hac ratione vitur Tridentinum, sess. 7. can. 9. & multo ante vsus fuit D. August. tract. 5. in Ioannem pulcherrimo discursu qui in ipso videri potest.

Quarta congruentia est: quia Baptismi Sacramentum institutum fuit potissimè in remedium peccati originalis; ergo sicut peccatum originale semel tantum contrahi potest, ita hoc Sacramentum semel iteratum suscipi debet; semel enim tali peccato deleto frustra ad ipsius delendum iterum baptisimi Sacramentum adhiberetur. Sed contra arguunt hæretici: quia Baptismus Christi

Domini; & baptisus Ioannis sunt idem; sed baptisus Ioannis repeti poterat; ergo etiam baptisus Christi. Maiorem probant Lutherani, & Calvinistæ; primo, quia ubi est eadem significatio, idem signum, & idem ministerium, ibi est idem Sacramentum; sed in baptismo Christi Domini, & in baptismo Ioannis est eadem significatio qua vterque remissionem signabat peccatorum, est idem signum quia vterque baptisus fiebat per aquæ abluionem, est idem ministerium vt patet; ergo & secundo probant, quia est idem baptisus quo Christus Dominus fuit baptizatus, quo baptizati fuerunt Apostoli, & quo baptizamur nos; sed Christus Dominus, & Apostoli baptismo Ioannis baptizati fuerunt; ergo & nos. Maiorem probant quia vnus tantum est noui testamenti baptisus & Sanctus Ioannes fuit noui testamenti minister, & quia idem debet esse baptisus capitæ, & membrorum; ergo &c. Minor, & consequentia tenent. Quod autem baptisus Ioannis iterari posset concedunt omnes.

Respondetur negando maiorem: constat enim baptisum Ioannis v. d. diuersum fuisse à baptismo Christi Domini, vn de Matth. 3. idem Ioannes de suo, & Christi Domini baptismo sic loquitur: *Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam: qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calcamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Vbi Sanctus Ioannes ex inferioritate suæ personæ colligit inferioritatem sui baptismi respectu baptismi Christi Domini.

Ad primam probationem dico: quod licet esset in vtroque baptismo eadem abluio materialiter, non tamen eadem formaliter, cum non esset idem signum, nec eadem significatio: baptisus namque Ioannis non remittebat, peccata ex opere operato, sed solum ex opere operantis, nec practicè gratiam præsentem signabat ex vi suæ applicationis: vnde non erat verum Sacramentum, nec eandem formalem cum baptismo Christi Domini habebat significationem

prop-

propterea Sacra Scriptura di-
uersimode loquitur de bap-
tismo Ioannis, & Christi Domi-
ni, de baptismo namque Io-
dicit fuisse institutum *in peni-
tentiam*; de baptismo vero
Christi Domini dicitur institu-
tum fuisse *in remissionem pec-
catorum*. Vnde ille erat *Bap-
tismus Penitentia, & remif-
sionis peccatorum, & sanctifi-
cationis*.

Ad secundam probationem
quoad Apostolos aliqui dicunt
fuisse quidem baptizatos bap-
tismo Ioannis, sed non bap-
tismo Christi Domini cum
nullibi hoc reperiatur scriptum;
vnde cum Christus Dominus
haberet potestatem excellen-
tiæ dimittendi peccata, & vir-
tutem suam non alligauerit
Sacramentis potuit cum Apo-
stolis dispensare, & sine bap-
tismo ex speciali privilegio
eos sanctificare. Sed commu-
nior, & verior Theologorum
solutio est Apostolos fuisse
baptismo Christi Domini bap-
tizatos, licet in Sacra Scrip-
tura expresse non reperiatur;
hoc tamen deducit Glossa ex
illo Ioannis 13. *Qui lotus est,
non indiget nisi ut pedes lauet;*

cum enim Christus Dominus
Apostolos in vltima Cæna in
Sacerdotes consecrauerit, &
dederit potestatem conficien-
di Corpus Christi; & post re-
surrectionem contulerit pote-
statem absoluendi à peccatis,
cum dixit Io. 20, *Quorum
remiseritis peccata, remittun-
tur eis, & etiam contulerit of-
ficium, & potestatem bap-
tizandi solemniter, vt patet
Marci vltimo. Euntes docete
omnes gentes, baptizantes eos,
&c.* Et hæc omnia baptismi
Sacramentum supponant; non
est verisimile quod Christus
Dominus non baptizatos ad
alios miserit baptizandos; ideo
credendum est verè fuisse ba-
ptizatos, licet vt dixi expres-
se non legatur; vnde non sine
fundamento communiter di-
citur, quod Christus Domi-
nus baptizauerit Sanctissimam
Virginem, & D. Petrum, qui
postea alios baptizauerit Apo-
stolos.

Quoad Christum Domi-
num dico, quod Christus Do-
minus voluit baptizari bap-
tismo Ioannis propter plures
causas quarum tres tangit
Glossa Marci primo. prima

propter humilitatem imple-
dit, ideo Mat. In 3. cum di-
ceret Ioannes. *Ego debui a te
baptizari, dixit et Iesus sine
modo, sic enim decet nos im-
plere omnem iudiciam, id est
perfectam humilitatem, quia
sicut perfecta iustitia reddit
vnicuique quod suum est, sic
humilitas omne bonum quod
habet non sibi attribuit, sed*

Deo reddit. Secunda ut ab-
probaret Ioannem tanquam
iustum, & à Deo missum. Ter-
tia ut tacitum suum mundissimum
carnis aquis vim regenerati-
uam daret. Quarta ut exem-
plum daret ijs qui futuri erāt
Filij Dei per fidem, ut sicut
Christus fuit baptizatus, sic
& ipsi baptizarentur.

QVAESTIO II.

*Quo casu possit Baptismi Sacramentum
sub conditione*

iterari.

Licet Sacramentum Bap-
tismi non possit abso-
lutè iterari, hoc tamen lici-
tum est aliquando sub condi-
tione, siuè exterius expressa,
siuè etiam interius tantum
concepta, ut videlicet. *Si
non es baptizatus, ego te bap-
tizo in nomine Patris, & Filij,
& Spiritus Sancti, ut traditur
in cap. de quibus 2. de bap-
tismo. Quod ergo quæritur in
præsenti quæstione est, quan-*

do id liceat: pro quo nota-
dubium esse duplex, aliud fa-
cti, & aliud iuris, dubium fa-
cti quantum ad præsens, tunc
est, quando dubitatur de bap-
tismi susceptione; dubium
vero iuris, quando dubitatur
an fuerit seruatum baptis-
mii, nempe an fuerit adhibita
debita materia, vel forma, &
intentio, &c. dubium festi est
duplex, primum negatiuum,
ut cum quis dubitat nullomo-
do

do se esse baptizatum, quia profus nullæ sunt rationes quibus possit etiam veresimiliter baptismus probari; & hoc proprie est dubium, aliud est positivum quando utrinque sunt probabiles coniecturæ, quibus baptismus probari possit. Eodem modo diuidi potest dubium iuris, tunc namque est dubium iuris negativum, quando constat quidem Petrum esse baptizatum, incertum tamen est, an baptismus fuerit validus: quia nullæ profus sunt rationes suspicandi baptizantem habuisse debitam intentionem, vel adhibuisse sufficientem materiam, & formam. Tunc autem dubium erit iuris negativum: quando constat quidem Petrum esse baptizatum, & incertum est an baptismus fuerit validus, sunt tamen utrinque rationes probabiles suspicandi, & pro validitate, & pro nullitate baptismi: quia usus est materia, vel forma de quibus utrinque sunt DD. opiniones de validitate, vel invaliditate talis baptismi sub tali forma, vel materia; ut si quis utatur forma Caietani. *Ego*

te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, vel si quis baptizet in capillis, in digito &c. quibus breviter prænotatis.

Dico primo: in omnibus dubijs dictis siue iuris, siue facti, quando sunt vere dubii, & baptizatus non est moraliter certus de suo baptismo, sed habet prudentem timorem, estque periculum reipsa moriendi sine sacramento baptismi, tunc iterari potest baptismus sub conditione. Hoc dictum tumentur omnes expositores, Suarez, Vasquez, Coninchus Nugaus, &c. & ratio est, quia nisi in talibus dubiis baptismi Sacramentum sub conditione repetatur subit ille qui talibus laboraret dubiis gravissimum periculum inualidè recipiendi omnia Sacramenta alia, nec saluari poterit sine contritione perfecta, vel perfecta dilectione. Tum quia nulla tunc irrogatur Sacramento irreuerentia ob urgentem necessitatem; talis namque necessitas illam tollit irreuerentiam, quæ alias sine illa adesset in tali repetitione.

Dico secundo quando illa

Kkk dubia

dubia non sunt verè talia, quia nulla prudens coniectura, nec suspicio adest, sed solum aliqui leues scrupuli, nullo modo etiam sub quacunque conditione, baptisimi Sacramentum repetendum est. Ita Doctores citati, & alii omnes de hac materia scribentes. Unde qui inter Christianos natus est, & à parentibus Christianis, & ab eis, vel ab aliis Christianis educatus, vsque ad ætatem in qua omnes solent baptizari, quamvis leuiter dubitet de suo baptismo, non est sub conditione baptizandus. Similiter non est baptizandus expositus inter Christianos, qui habet schedulam ad colū appensam de suo baptismo; se eius quando tale schedulæ testimonium non habet, tunc esset sub conditione baptizandus, vt post alios aduertit Hurtado hic disput. 1. difficultate 12. post alios.

Vnde non placet, quod docet Quintana tract. 1. singul. 3. quod omnes infantes, & adulti à Iudeis, Paganis, Sarracenis, aut hæreticis baptizati debeant iterum sub conditione baptizari, similiter non

placet, quod docet singulari 9. quod omnes infantes à parentibus, cognatis, obstetricibus, vel etiam ab aliis laicis siue viris, siue feminis, baptizati domi ob mortis periculum, vel ob aliam causam, debeant iterum sub conditione baptizari; similiter expositos etiam quando schedulæ testimonium ad colū appensum habet. Cum enim in his casibus prudens timor nõ adsit, sed potius adsit moralis certitudo de baptismo, non est talis baptismus iterandus; videatur Diana p. 5. tract. 13. resol. 86. & p. 9. tract. 6. resol. 35. qui cum aliis Quintanam impugnat, præsertim quoad eos qui cum schedula reperiuntur, & ab obstetricibus baptizantur, nisi sint sortilegæ, vel constet alias malè baptizasse.

Dico tertio, qui verè, & rationabiliter de suo dubitat baptismo, tenetur sub mortali petere baptismum, & Parochus tenetur illum administrare, ita post alios Quintana singulari 13. & 19. vbi etiã & bene docet Patrium tunc non esse adhibendum. Ratio

primis;

primi : quia adhuc baptismi praeceptum urget, cum in dubio praesumptio stet pro illo, & quia propria charitas ad hoc ipsum impellit, ut ponatur ille in statu salutis, & ut valide, & licite alia recipiat Sacramenta. Ratio secundi patet: quia vnusquisque habet ius petendi Sacramenta à proprio pastore, & pastor tenetur illa administrare, quando rationabiliter petuntur; in casu tamen necessitatis posset illa à quopiam petere, ut patet ex dictis supra de Sacramentis in Genere.

Sed petes: quid si dubitans de suo Sacramento esset Religiosus, an tunc deberet illud petere à proprio Parocho, an vero à proprio Prælato; & dico quod cum proprius Religio si pastor sit Prælatus à Prælato baptismi Sacramentum petendum est, Prælatus namque est proprius Religiosorum Parochus; unde patet non recte fecisse quemdam Religiosum, qui cum rationabiliter de suo dubitaret baptismi, cum esset intra ventrem matris baptizatus, & ut dicebatur in pede, in scio prælato petiit baptismum

à proprio Confessario.

Ex ijs inferitur primo cum Quintana singulari 20. quod Sacerdos, vel Episcopus qui probabiliter, & prudenter dubius est de sui baptismi valore, tenetur non solum baptismi Sacramentum sub conditione suscipere, verum etiã ordines omnes sub eadem conditione iterum recipere, vel saltem Episcopalem, & Sacerdotalem, in quibus inferiores ordines virtute saltem continentur. Et qui ordines à tali Episcopo susceperunt tenentur omnes, vel saltem Sacerdotalem sub eadem conditione iterum recipere; & qui sua fuit confessus peccata tali Sacerdote de sui baptismi valore dubitanti, debet iterum eadem peccata confiteri, alias exponitur periculo non accipiendi verum Sacramentum, & in mortali peccato permanenti; nec valet dicere, quod potuit penitens per contritionem iustificari, vel per aliam confessionem legitimo factam confessario, quia de contritione nullus potest esse certus; nec posterior confessio obligationem tollit supplendi de-

fectum præcedentis confessio-
nis, statim ac dignoscitur; si-
cut tenetur alios defectus sup-
plere; ut si quis aliquid mor-
tale fuit oblitus, tenetur po-
sterea illud iterum confiteri,
quando illud scitur; ita
&c.

Inferitur secundo non esse
omnino tutam Doctrinam Pa-
tris Dicastilli tract. 2. disput.
1. dub. 9. num. 116. quod qui
habet Sacramentum Baptismi
tantum probabile, eo quod
sint utrinque rationes proba-
biles de eius validitate, possit
aliqua recipere Sacramenta,
illa nimirum, quæ in aliorum
damnum non cadunt, ut Ma-
trimonium, Penitentiam,
Confirmationem, Eucharisti-
am, quia inquit potest proba-
biliter se gerere, ut baptizatū,
& sicut quantum ad reueren-
tiam Sacramento debitam nõ
est peccatum in eo baptismo
permanere, ita neque alia Sa-
cramenta recipere, non tamẽ
potest ille recipere Sacramen-
tum Ordinis propter damna
quæ inde proximo sequi pos-
sent.

Non inquam hæc Doctri-
na placet, primo quia est con-

tra communem Doctorum
sententiam, qui volunt Sa-
cramentum baptismi dubium,
repeti debere, nec distinguunt
de dubio negatiuo, vel possi-
tuo, seu probabili, quantum
ad obligationem baptismi re-
petendi, sed volunt omne
Sacramentum baptismi du-
bium, siue tale dubium, sit
probabile, siue non, dummo-
do sit vere, & rationabiliter ta-
le semper repeti debere, vide-
atur Coninchus, Hurtadus,
& alij omnes, qui id ut certū
supponunt. Secundo quia
negari non potest quin magna
irrogetur irreuerentia alijs
Sacramentis, dum sine neces-
sitate recipiuntur cum tali ba-
ptismo dubio probabili, cum
exponantur periculo, ut ita
dicam, nullitatis. Tertio quia
etiam sibi met gravem in-
fert iniuriam, & damnum, dū
cū tali periculo nullitatis bap-
tismi manet; & maneat in pe-
riculo æternæ damnationis; &
semper clamet obligatio ser-
uandi præcepti Sacramenti ba-
ptismi. Concedo quidem
quod si ille non haberet com-
moditatem suscipiendi bap-
tismi, quia verbigratia deesset
aqua,

aqua, & esset in periculo mortis, tunc posset cum tali probabilitate alia Sacramenta recipere, quæ tunc temporis essent sibi necessaria.

In artic. 10. agit D. Thomas de ritibus qui ab Ecclesia fieri solent quando baptisimus solemniter confertur, & probat convenienter illos ritus ab Ecclesia fieri, primo, quia multum deseruiunt ad excitandam fidelium deuotionem, & reuerentiam erga Sacramentum; secundo quia inserviunt ad fidelium instructionem; simplices enim per signa sensibilia, ut per picturas oportet erudiri; tertio, quia per illas orationes, benedictiones &c. vis prohibetur demonis ab impediendo Sacramenti effectu. Baptizandus namque ungitur oleo in pectore, & in scapulis ut fiat spiritualis athleta, sicut munitus, & per Dei gratiam roboratus. Sed prius antefores Ecclesiæ suscipitur, an velit esse Christianæ professionis, seu an velit esse fidelis; fit fidei professio, & post simboli confessionem in alterius commendatur dominium, &

patrino traditur, & diabolo abrenuntiat, & pompis eius; ex sufflatur ut ab eo sæua potestas recedat; postea signatur signaculo Sanctæ Crucis, tam in corde, quam in fronte, ut in eo videns diabolus signaculum, sciat ex eo tempore eum sibi esse alienum; tum super eum præces, & orationes dicuntur, & in os baptizati sal datur, ut procul tipicum fætor curetur iniquitatis, & non amplius à peccatorum vermibus putrescat, sed semper illesus seruetur ad maiorem gratiam recipiendam. Deinde iterum exorcizatur, ut diabolus suam cognoscens nequitiam, super se iustum Dei iudicium timeat imminere, ut sic prorsus recedat ab homine, nec eum contendat amplius arte sua subuertere; Dein tangit nares, & aures salua intingit dicens Epheta, quod est adaperire, ut per saluam tipicam, & Sacerdotis contactum, sapientia, & virtus Diuina salutem baptizandi operetur, ut ei nares aperiantur ad accipiendum notitiæ Dei odorem, & ut aperiantur aures ad audiendum mandata

data Dei, vt aperiantur ei sensus in intimo cordis ad respōdendum, &c. A Sacerdote deinde inungitur, vt sacrum baptisma in fide acceptum custodiat, vngitur illius peccatus oleo sanctificato, cum Sanctissimæ Trinitatis inuocatione, vt nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant; vngitur cum eodem oleo inter scapulas, vt vndique baptizatus muniatur, & ad opera bona facienda roboretur; vel

etiam vngitur inter scapulas vt torpor, & negligentia abijciatur: vngitur etiam in vertice, vt fidē, quæ per dilectionem operatur, sine rubore teneat; postea baptizatur; vltimo veste noua induitur insignum, quod nouam innocentemque vitam est adeptus. Et hi sunt ritus, potissimæque baptismi cærimonie, quæ in baptismo seruantur solempni, omittuntur ob necessitatem in particulari.

QVAESTIO III.

An recte diuidatur Baptismus in Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis, vbi etiam, an Baptismus Sanguinis causet gratiam ex opere operato.

AD primum, quod in quæstionis titulo ponitur respondet D. Thomas art. 11. affirmatiuè: pro quo nota, quod per baptismum fluminis, baptismum aquæ intelligimus, qui est vnus ex septem Ecclesiæ Sacramentis: per ba-

ptismum flaminis perfectum de peccatis dolorem intelligimus, cum aliquo recipiendi baptismum aquæ desiderio: qui peccatorum dolor vocatur baptismus flaminis, quia flamen idem est quod spiritus vt detur intelligi, quod baptismus

tismus flaminis est quidam
 baptismus à Spiritu Sancto in
 spiratus, & essentialiter con-
 sumatus interius; vocatur à
 D. Thoma in argumento. Sed
 contra cum Glossa, baptismus
 pœnitentiæ, quia importat cõ-
 uersionem animæ ad Deum
 per pœnitentiã, & veram de-
 peccatis contritionem. Con-
 tritio ergo si antecedit bap-
 tismum, quæ dicitur bap-
 tismus flaminis; si sit post, bap-
 tismum; non, quia vt antece-
 dit baptismum supplet, si sub-
 sequatur non amplius supplet
 baptismum, sed potius pœni-
 tentiæ Sacramentum; quia
 prout est verum huius, non
 amplius illius peccata habet
 delere; & quia de contritione
 est specialis tractatus de pœni-
 tentia, ideo hic sistimus: Per
 baptismum autem sanguinis,
 martyrium intelligimus, quia
 vt in plurimum solet fieri ipsa
 sanguinis effusione. Vel vt
 dicit D. Bonau. 4. diff. 4. art.
 ultimo quæst. 1. *Quia in mar-*
tyrio deponitur vita carnis, quæ
in sanguine esse dicitur Gen. 9.
vita hominis in sanguine est, &
vita celestis acquiritur. Pos-
 sumus etiam dicere, quod mar-

tyrium baptismus sanguinis
 dicatur, quia omne martyrij
 genus in sãguine finitur; nam
 ab omnibus aliis legimus ali-
 quos sanctos fuisse liberatos
 præterquam à pœna gladii,
 vbi sanguinis fit effusio. Ideo
 Hæbr. 11. dicitur: *in occisione*
gladij mortui sunt; & ratio hu-
ius esse potest, quia hoc mar-
 tyrij genus est immediate à
 mala hominis voluntate, alia
 autem pœnarum genera sunt
 à creatoris naturaliter operan-
 tibus; & quia martyr Deo o-
 bedit congruum est, vt ad Di-
 uinæ bonitatis manifestatio-
 nem, cætera per naturam ei
 quandoque subiiciantur; at
 vero mala voluntas cum con-
 tra Deum nitatur, & resistere
 Domino velit, iusto Dei iudi-
 cio sinitur malè agere, cui
 vult; & sic non est congruum
 vt martyri subiiciatur, nec vt
 à malo prohibeatur. His præ-
 notatis, dico ad primam dubij
 partem, rectam esse baptismi
 diuisionem in baptismum fla-
 minis, flaminis, & sanguinis:
 ita tamen, quod hæc diuisio
 sit analogi in analogata, scilicet
 sit diuisio analogica analogia
 attributionis, & etiam propor-
 tio-

tionalitatis improprie, vt aduertit Nugnus super istum ar. 11. quia solus baptismus aquæ vt idem D. Thomas adnotauit, est verè, & proprie Sacramentum, non vero alia duo baptismana, baptismus namque flaminis nihil sensibile dicit, sed totus interius perfici potest. Baptismus vero sanguinis licet aliquid sensibile importet, non est tamen iuris positiuus, seu ex aliqua Dei institutione, sed à tyranno infligitur; item ista duo baptismana posteriora, forma carèt verborum non illud; dicuntur tamen per analogiam baptismana, quia habent ordinem aliquem ad baptismum aquæ, cum vicem illius suppleant, delendo in non baptizatis peccatum originale, & alia sibi coniuncta, per gratiam, quæ tunc confertur à Deo. Et hæc de prima quæstionis propositæ parte.

Modo quærimus an baptismus Sanguinis, seu martyrium habeat causare gratiam ex opere operato, & faciat ex attrito contritum. Suppono in primis falsum esse Alexandri 4. p. quæst: 8. membro 9.

art. 5. S. 1. & Armacani libr. 8. de quæstio. Armenorum. capit. 37. in fine sententiam, quod martyrium non habeat vim conferendigratiam, & per consequens quod paruuli propter Christum occisi, nisi prius fuissent per baptismum, aut per circumcisionem iustificati, per martyrium iustificati non fuissent; nam est contra communem totius Ecclesiæ consensum, cum & celebret Sanctorum Innocentium festum, & illos martyres in ipso appellet officio. Nec valet quod dicit Armacanus, quod Ecclesia celebret Sanctorum Innocentium festum, quia erant circumcisi, & si forte aliqui circumcisi non fuissent, ob ipsum martyrium salutem non essent consecuti. Nam Ecclesia vniuersaliter omnium celebrat Innocentium festum, & hoc præcisè, quia pro Christo occisi sunt, non quia circumcisi. Sed dices cum Armacano, quia ita conferre gratiam est singulare Sacramentorum priuilegium. Tum quia nulla extat promissio qua talis gratia per martyrium conferatur. Tum etiam

etiam, quia alias martyrium prodesse posset sine charitate, contra illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Tum denique, quia martyrium si semel gratiam conferret, conferre illam deberet quando iam est consummatum, ut faciunt Sacramenta; sed quando martyrium est consummatum, homo non est amplius in via; ergo &c. Tum tandem, quia iam martyrium esset Sacramentum, quod est falsum, & contra Concilia, & Patres. Adde quia martyrium est actus fortitudinis, qui in paruulis ante rationis usum esse nequit; & quia, ut supra dicebamus, martyrium non aliter est baptismus, nisi in quantum continet in voto baptismum aquæ, propterea communiter dicitur, quod nullus saluatur sine baptismo aquæ in re, vel in voto, iuxta illud Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Celorum.*

Nam respondendo ad omnia ista per ordinem dico, quod

conferre gratiam isto modo non solum Sacramentis, verum etiam martyrio conuenit, ut postea patebit. Ad secundam probationem respondetur negando ante cedens, ut patet Matth. 10. Marci 8. Luc. 9. Io. 12. & alibi, milles enim in Sacra Scriptura repetitur quod qui *perdiderit animam suam propter Deum, inueniet eam, vel saluam faciet eam.* Ad tertiam probationem dico: omnino falsum esse quod sine charitatis actu martyrium gratiam paruulis conferre non possit: sicut etiam adultis: nec locus ille Apostoli est ad rem, quia ibi Apostolus agebat cum Corinthiis inter quos, ut patet ex cap. 1. & 3. graues erant contentiones, & chimæ, multum que gloriabantur de suis externis actibus, de scientia, eloquentia, dono prophetia, linguarum, &c. & parum curabant de exercitio charitatis Dei, & proximi; propterea hortabatur illos Apostolus, ut illa non tanti extimarent; sed magis laborarent, ut veram charitatem Dei, & proximi haberent; Tum etiam quia Apostolus de

casu nostro non agebat vt patet ex contextu: vel certe dicitur martyrrium sine charitate non prodesse, quia sine charitate, vel precedente, vel subsequente quando subiectum est capax non prodest; vel etiam dici potest martyrrium sine charitate non prodesse, quia est actus externus præstantissimus, quem charitas imperare potest, & communiter ab ea imperatur, & cum ea antecedenter, vel consequenter coniunctus est, &c. Ad alia duo patebit ex infra dicendis.

Ad illud, quod additur de actu fortitudinis, qui in paruulis esse non potest, dico; quod licet in paruulis martyrrium esse non possit, qua ratione est actus fortitudinis, bene tamen qua ratione est realis passionis Christi imitatio, secundum quam rationem habet martyrrium primam causare gratiam; pro quo aduertit cum Suarez, & alijs martyrrium posse bifariam considerari; primo in quantum est actus fortitudinis, secundo in quantum est realis Christi passionis imitatio, & secundum

vttranquam rationem habet martyrrium suum priuilegium: qua actus fortitudinis est, habet priuilegium, quod regulariter loquendo ille qui bono animo, & non propter vanam gloriam, neque propter malum alium finem, sed vt fidem profiteatur, contritionem, & dilectionem consequatur, & sic saluetur; qua vero est realis passionis Christi Domini imitatio habet gratiam causare, & facere ex attrito contritum, vnde quis adultus cum sola attritione, & martyrio iustificatur, & in paruulis cum nulla requiratur retractatio, sine vlllo actu habet iustificare, per quod patet ad illud quod de baptisimi voto subiungitur, quod nimum licet non sit ibi baptisimi aquæ votum propriè, & formaliter, est tamen æquiualemter, vel reduciè, per quandam imitacionem; vel dicas cum Nugno hic artic. 12. conclusionè prima, quod illa regula non habet locum in paruulis, qui mortem pro Christo Domino patiuntur, cum isti talis voti capaces non sint. His suppositis.

Prima sententia est martyrium iustificare paruulos, & causare in illis gratiam ex opere operato, non tamen adultos, cum in his necessarius sit charitatis actus vt iustificetur qui patitur martyrium, si prius erat in peccato mortali. Hanc sententiam post D. Bonau. 4. dist. 4. quæst. 2, Durand. quæst. 3. Paludan. quæstione eadem, Cano, & alios sequuntur plures moderni.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione: martyrium causat gratiam ex opere operato non solum in paruulis, verum etiam in adultis, facitque illos ex attritis contritos. Hanc conclusionem sequuntur communiter Thomistæ, secuti suum Angelicum præceptorem hic in solutione primi vbi habet: *Non autem dicimus quod baptismus sanguinis præ eminentiam habeat secundum rationem Sacramenti, sed quantum ad Sacramenti effectum.* Vbi vt vides, vult Angelicus Doctor, quod baptismus sanguinis excellentiorem habeat effectum supra baptismum aquæ, quod non haberet nisi gratiam san-

ctificantem produceret, & hæc ex opere operato. & infra quæst. 87. art. 1. ad secundum habet: *Passio pro Christo suscipitur sicut supra dictum est obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato in hærentem inuenierit.* Hæc ille, vnde vult Angelicus Doctor, quod si quis dormiēs occideretur propter Christum remitterentur sibi omnia peccata, dummodo voluntatem actu peccato inhærentem, talis passio non inueniat, hoc idem docet in 4. dist. 4. art. 3. quæstiuncula 3. 4. & 6. videatur Nugnus, & alij expositores.

Probatur nostra conclusio ratione: primo, supponendo tamen breuiter quod causare gratiam ex opere operato stat dupliciter, vno modo actiue, vt faciunt Sacramenta, quia eleuantur à Deo ad gratiam causandam, alio modo veluti passiue, & sine propria actione, quia Deus eleuat illam passionem, quam pro se sustinet martyr, ad causandam in ipso martyre gratiam sanctificantem, non tamen propte-

rea martyrium est Sacramentum; quia ut supra aduertimus ad rationem Sacramenti non sufficit causare gratiam ex opere operato, sed ulterius requiritur quod sit aliquid sacrum, seu ordinatum ad religiosè sacrandum, & quasi initiandum subiectum; atque adeo debet Sacramentum esse signum sacrum institutum ad hoc ipsum significandum; quæ in martyrio non reperiuntur; nec enim qui illud applicat habet talem intentionem, imò si habeat contrariam adhuc martyrium suum producit effectum, quod in Sacramentis non contingit.

Hoc prænotato, sic primam formamus retentionem. Infantes pro Christo Domino occisi non solum saluantur, sed etiam ab Ecclesia in numero martyrium habentur, ut patet ex festo Sanctorum Innocentium; atqui paruuli gratiam qua saluantur non habent ex opere operantis, cum nihil operari possint; ergo ex opere operato; ergo hoc idem de adultis dicendum est. Antecedens patet ex dictis contra Armacanum, & etiam pri-

ma consequentia.

Secunda vero ex rationis paritate liquet. Nec valet aliquorum responsio martyrium paruulorum illud habere priuilegium, quod non habet martyrium adultorum. Nam contra est: primo, quia id sine fundamento asseritur. Secundo, quia non minus est martyr paruulus, quam adultus, nec minus est martyrium paruulorum, quam adultorum; ergo non minus ponit suum effectum ex opere operato, vnum, quam aliud; nec loca scripturæ supra adducta recognoscunt aliquod priuilegium in martyrio paruulorum, quam adultorum, ut patet.

Confirmatur hoc argumentum, quia videmus quod ut Ecclesia aliquem colat, ut martyrem non examinat antea fuerit in gratia, sed indifferenter omnes honorat, quos constat pro Christo Domino occisos.

Probatum secundo conclusio, quia si martyrium ex opere operato gratiam non causaret etiam in adultis, sed solum ex charitatis seruore opera:

operaretur, sequeretur baptismum sanguinis non distincti à baptismo flaminis; hoc dici nequit; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia baptismus flaminis in omnium sententia supplet baptismum aquæ, & hic erat baptismus quem prædicabat Ioannes Luc. 3. *Erat Ioannes prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.* & hic non remittit ex opere operato, sed solum ex opere operantis; ergo si hoc idem præstat martyr, nulla erit differentia inter illa duo baptismata, quod patet esse falsum, & contra illud D. Cypriani in Epist. ad Iubaianum: *Nunquid potest vis baptismi esse maior, aut potior quam confessio, quam passio?* ubi ut vides recognoscit Cyprianus in baptismo sanguinis maiorem sanctificandi vim quam in ipso baptismo aquæ, ac proinde longe maiorem quam in baptismo flaminis. Et Sanctus August. lib. 13. de civitate habet. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet*

ad remittenda peccata, quantum si abluerentur Sacro Fonte Baptismatis.

Probaturo tertio conclusio: quia gratia quæ datur martyri per quam omnis pænæ sit remissio non est ex opere operantis; ergo est ex opere operato. Antecedens in quo est difficultas probatur, quia si esset ex opere operantis, vel esset ex tolerantia pænæ, vel ex feruore charitatis; neutrum esse potest; ergo. Maior patet: non enim est aliud assignare à quo sit. Minor probatur: primo, quia contingere potest quod nec illa tolerantia pænæ, nec mors ipsa, secundum se, sit sufficiens ad delendam totam pænam, quæ illi martyres fuerunt promeriti, quando prius fuerunt sceleratissimi, ut contingit aliquando. Secundo, quia plures Confessores, plura sæpe patiuntur quam martyres, & tamen non tota pæna semper illis remittitur. Neque etiam potest esse charitatis feruor, quia plures confessores maiorem habuerunt charitatem, quam plures martyres, & tamen non fuit illis tota pæna dimis-

dimissa, vt istis; qui si solum vnum charitatis gradum habeant, tota p̄na, vt omnes fatentur, dimittitur. Concluditur ergò quod qui in persecutione comprehenditur, vult potius mori quam Christum negare, & re ipsa pro Christo moritur, & tamen ante martyrium veram contritionem non habuit de peccatis suis, sed solam attritionem, seù solam illam dispositionem habuit, quæ ad aquæ baptismum requiritur, iustificabitur, saluabiturque, & verus martyr efficietur. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est: actus exterior nullam addit bonitatem, vel malitiam supra actum interiorem; sed actus interior attritionis etiam cum martyrij desiderio non sufficit ad hominis iustificationem; ergò neque sufficit si addatur actus exterior baptismi.

Respondetur, quod licet actus exterior non addat bonitatem, vel malitiam formalem supra actum interiorem, addit tamen bonitatem effec-

tiuam instrumentalem, vt patet in Sacramentis; licet enim actus exterior Sacramentalis non addat bonitatem formalem supra interiorem, cum videamus fieri, & bene, & male, tamen addit bonitatem effectiuam; vnde videmus quod Sacramentum collatum ab infideli, vel ab homine existente in mortali peccato, solum producit effectum in subiecto disposito, quantumuis nullam addat bonitatem formalem supra ministrantem, sed addat solum effectiuam, vt liquet ex ijs, quæ diximus de Sacramentis in Genere disput. 7. q. 3.

Secundum argumentum est: quia actus virtutum moralium non habent ex opere operato iustificare, sed martyrium est actus virtutis moralis, nempe fortitudinis; ergò non habet iustificare. Maior patet; nam actus virtutum moralium sunt opera operantis, & per consequens solum ex opere operantis iustificare habent. Minor probatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 124. artic. 2. vbi hoc doctè, & eleganter probat; videatur ibi.

Re-

Respondetur ex dictis cum Suarez, Nugno, & aliis, quod martyrîum dupliciter potest considerari, vel in quantum est actus fortitudinis, quo modo solum potest esse in adultis, & non in paruulis, & hoc modo non habet privilegium iustificandi ex opere operato, & faciendi ex attrito contritum, licet habeat aliud privilegium, nempe per se loquendo excitandi contritionem, & dilectionem. Secundo considerari potest in quantum est imitatio passionis Christi Domini, secundum quam rationem etiam in paruulis reperitur, & habet rationem iustificandi ex opere operato, ut in eisdem paruulis patet, & etiam in adultis si sufficiens adsit dispositio, nempe attritio, ut quæstione sequenti patebit.

Tertium argumentum est: quia perfectior, & excellentior modus operandi, nempe iustificandi martyrio tribui debet; sed est modus perfectior iustificandi ex opere operantis quam ex opere operato; ergo ille non iste iustificandi modus martyrio tribui de-

bet. Maior patet. Minor probatur: quia est excellentius, quod causa ipsa suum causet effectum, quam quod causetur ab alia causa ad præsentiam illius; ergo &c.

Respondetur; martyrîum in adultis vtrunque modum causandi gratiam per se habere, & ex opere operantis secundum quod est actus fortitudinis à charitate imperatus, vel formaliter, vel virtualiter, vel saltem eminenter; & ex opere operato secundum quod est passionis Christi nobilissima imitatio.

Quartum argumentum: quia si martyrîum causaret gratiam ex opere operato, vel causaret illam quando est, vel quando non est; non potest illam causare nec quando est, nec quando non est; ergo nullo modo. Maior patet, non enim assignari potest alius modus, vel alia mensura quando causa causat. Minor probatur quoad vtranque partem; in primis quod martyrîum non possit causare gratiam quando est, patet; quia tunc est martyrîum quando consumatur, consumatur autem in instanti

stanti mortis in quo gratia casuali non potest, solum enim viatores capaces sunt iustificationis, in primo autem mortis instanti homo amplius viator non est; ergo &c. Secunda pars illius minoris etiam ostenditur, quia quod non est, alteri esse tribuere non potest; ergo martyrium causare non potest gratiam ex opere operato, quando non est; præsertim si dicamus non solum causare gratiam moraliter, verum etiam physicè, ut multi probabiliter defendunt, & nos supra innuimus; per quod tamen non sequitur quod sit Sacramentum, ut supra dicebamus.

Respondet Nugnez ubi supra nullum esse inconueniens quod homo iustificetur in instanti mortis; quia licet illud instans sit extrinsecum vitæ, verè tamen est instans terminatum vitæ, quod inquit certum est in martyrio paruulorum qui sunt in peccato originali per totam vitam, & postea iustificantur in ultimo instanti extrinsecum vitæ, quod est primum non esse vitæ. Sed hæc solutio non videtur pro-

babilis, quia ut in argumento dicebatur, in illo instanti homo non est amplius viator; ergo non est amplius capax iustificationis, & gratiæ sanctificantis recipiendi; nec verum esset quod communiter tradunt Theologi viam esse iustificationis tempus, & mortem, seu primum non esse hominis esse talis iustificationis terminum, Tum quia sequeretur gratiam, & charitatem patriæ non correspondere gratiæ, & charitati viæ, cum tunc temporis corresponderet gratiæ, & charitati non viæ, sed potius termini, cum illud instans sit primum termini exordium. Tum etiam, quia sequeretur quod quis, Dei moreretur inimicus, & simul saluaretur, si in primo mortis instanti gratiam recipere posset.

Respondent alii martyrium conferre gratiam in aliquo breui tempore ante instans mortis in quo martyr fit ita affertus, ut non modo naturaliter non possit diu viuere, sed ut nullo modo villo uti possit sensu; quia tunc moraliter censetur martyrium consummatum:

tum: quia moraliter loquendo tunc homo censetur mortuus, cum amplius vita hominis vivere nequeat, sed potius vita plantæ. Sed hic etiam loquendi modus displicet vt supra impugnauimus de Sacramentis in Genere disp. 4. quæst. 4. quia gratia; & cõmuniter res omnes spirituales in tempore incipere nequeunt, cum sint indiuisibiles, nec tempore queant commensurari.

Respondetur ergò tertio cõ Nugnez vbi supra, & est communis Thomistarum solutio, quod martyrismum causat gratiam in illo instanti determinato in quo verum est dicere *nunc receptum vulnus est completa, & proxima causa mortis*; non enim Deus eleuat ipsam mortem, quæ est vltimus martirii terminus extrinsecus, ad causandam gratiam in martyre, sed eleuat ipsam mortis causam; in illo ergò instanti in quo verum est dicere *nunc posita est proxima, & adequata mortis causa*, tunc gratia causatur, & martyr sanctificatur, si prius sanctificatus nõ erat.

Vnde hoc argumentum etiam solui debet ab auctoribus sctæ oppositæ, siuè enim gratia cauetur ex opere operantis, siuè ex opere operato semper dictum curric argumentum.

Sed dices, quia in illo breuissimo tempore post illud instantans homo habet libertatem; ergò adhuc potest peccare. Similiter si Deus diu miraculose hominem illum conseruaret peccare posset, & gratiam amittere; ergò non esset ille martyr, & per consequens non est martyrismum nisi morte secuta, &c. Respondetur cum eodem Nugnez, quòd homo breuissimo illo tempore non habet libertatem, & si illam habeat priuilegium est martirii, quod martyr taliter conseruetur à Deo quod licet peccare possit, de facto tamen nunquam continget, quod cõ martyrio peccatum componatur. Ad illud quod additur si Deus diu conseruaret hominem illum in vita, an posset peccare, & gratiam per martyrismum receptam amittere: dico quod sic, quandiu enim homo est in via, gratiam

amissibiliter habet, an vero contingere possit, quod ille peccaret: certo stabilire non possumus, cum enim illud factum sit extraordinarium, secundum ordinariam Diuinæ prouidentiae regulam, regulari non debet, certum enim est, quod Deus vtrunque facere potest; quid esset tunc temporis factururus nulli, vt puto, hucusque est reuelatum. Sicuti si beatum ad vitam reuoceret

mortalem, vel existentem in Purgatorio, vt narrant historiae fuisse aliquando factum, an tunc talem in gratia confirmet, vel contingere possit, quod pro inuara libertate peccatum committat mortale, & damnetur nescimus certo, congruentius tamē videtur quod illum taliter conseruet, quod gratiam non amittat, & non damnetur.

QVAESTIO IV:

*Quenam dispositio requiratur in adulto ad hoc
vt martyrium recipiat.*

DE adultis quaestionem ponimus, non de parvulis, quia nulla requiritur dispositio, sicut neque adhuc vt baptizentur, vt est communis omnium sententia. Adulti alij sunt iusti, alij peccatores, & dispositio alia est per se, alia per accidens; dispositio per se illa est, quae est de intrinseca martyrij ratione, sine qua omni alia obligatione se

posita martyrij effectus non habetur. Dispositio vero per accidens est illa, quae requiritur ratione alicuius extrinsecae obligationis; vt si quis martyrij tempore possit, rem alienam quam p̄nes se habet restituere, tenetur hoc facere, similiter si possit baptismum aquae recipere tenetur hoc facere; & de hac extrinseca, & per accidens dispositione,

non

non loquimur, sed de prima. Et si loquamur de adultis iustificatis, sufficit illis libera-
 martirij acceptatio, quod inferatur in odium Christi Domini, aut veræ fidei, aut alterius virtutis aliquo tamen modo ad fidem relatæ, ut advertunt N. Salm. tom. primo in primam secundæ tract. 9. disput. 3. dub. 2. non tamen necesse est quod talis mortis acceptatio fiat actu aliquo positivo, cum possit esse quis martyr etiam si martyrium fugiat, dummodo non sit taliter affectus, ut vellet negare fidem, si videret se aliter mortem fugere non posse, sed sufficit voluntas interpretatiua, aut habitualis; ut si quis dormiens in odium fidei occidatur, ut aperte docet D. Thomas infra quæst. 67, art. 1. ad 2. & ibidem expresse Caietanus: quia si subita mors pro instantibus sufficit, quare etiam non sufficiet pro iustis adultis. Tum quia in tali casu vere ille perdit animam suam propter Christum, quod ad martyrium sufficere videtur. Tum quia illa mors interpretatiue saltem est tali iusto volunta-

ria; ergò &c. Quæstio ergò præsens de adultis peccatoribus solum modo procedit: de quare.

Prima sententia est, quod in adulto peccatore requiratur contritio perfecta, vel explicita, vel implicita, qualis est amor Dei super omnia. Hanc sententiam sequuntur aliqui post Sotum 4. dist. 15. quæst. prima.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Ad subeundum martyrium sufficit in peccatore attritio. Hanc sententiam post D. Thomam 4. dist. 4. art. 3. quæst. 4. sequitur Gabr. ibidem quæst. 2. art. 2. concl. 9. Durandus q. 8. art. 1. Suarez, disput. 29. sect. 3. & alij communiter.

Probatur conclusio primo, quia Sancti Patres de martyrio loquentes maiorem quandam vim illi tribuunt quam baptismo, sed hoc non esset verum si ad martyrium attritio non sufficeret cum sufficiat ad baptismum; ergò omnino sufficere debet.

Respondent oppositum defendentes, quod martyrium maiorem dicatur habere vim

remittendi peccata quam baptismus, quia perfectissimum, includit charitatis actum, per quem peccata delentur, quem actum non includit baptismus. Nam contra est, quia paruulorum martyrium est verum, martyrium, & tamen talem non inuoluit charitatis actum; ergo non est de ratione martirij actum charitatis afferre; ergo neque in adultis; alioqui martyrium adultorum, & paruulorum non vniuocarentur, nec idem haberent priuilegium, quod est falsum.

Probatur secundo ex dictis quaestione praecedenti: martyrium producit gratiam ex opere operato; ergo ad illud recipiendum sufficit in adulto attritio. Antecedens patet ex dictis quaestione praecedenti. Consequentia probatur: quia si martyrium gratiam produceret ratione perfectae contritionis, vel perfecti actus charitatis, ex operantis actu gratiam produceret; non vi propria, & sic nullum esset martirij priuilegium, & sic frustra adeo à Sanctis Patribus extolleretur; cum si quid priuilegij haberet, si quid excellen-

tiae, totum habeat emendicare ab actibus quos secum per accidens affert.

Probatur tertio: quia Christus Dominus in ijs scripturae locis in quibus martyribus promittit vitam aeternam, & ex consequenti gratiam sanctificantem, loquitur absolute, & simpliciter sine vlla personarum discretionem; ergo sicut quoad paruulos vice supplet baptismi martyrium; ita quoad adultos, ergo sicut baptismus in adultis solum petit attritionem, ita & martyrium: alioqui illius vicem non suppleret. Antecedens patet ex illo Matth. 11. *Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor, & ego eum coram patre meo, & cap. 16. qui perderit animam suam propter me inueniet eam &c.* prima consequentia patet ex ijs quae docet D. Augustinus lib. 3. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 4. vbi loquens de Herodis infanticidio dicit: eos tali sua mente fuisse ab originali peccato mandatos: *nam & ipsi qui moriebantur naturae filij irae erant; sed quide eis praestitit gratia, nisi eruerat eos de*
pore-

potestate tenebrarum, præstitit eis Christus, ut pro ipso morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur, nati sunt ad mortem, sed continuo eos reddidit mors vita. & Sanctus Cyprianus lib. de singularitate clericorum dicit martyrium appellari tam baptismum, quam coronam, quia inquit: *baptizat pariter, & coronat*: quod confirmat D. Augustinus ubi supra ex illa Psalmistæ sententia. *Præiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: quid enim inquit, præiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur*. Ultima consequentia patet: cum enim ad suscipiendum baptismi Sacramentum in adultis sola sufficiat attritio, si hæc eadem non sufficeret in martyrio, certe martyrium baptismi effectum non suppleret; ideoque Beatus Cyprianus in Ep. ad Iubaianum dicit: *Catachumenos raptos ad martyrium non priuari baptismi Sacramento*, intellige quoad gratiam; ut potè inquit, qui baptizentur gloriosissimo, & maximo sangui-

nis Baptismo.

Aduerte tamen nostram conclusionem intelligi debere per se, nam per accidens contingere potest quod homo perditæ vitæ, & multis illaqueatus peccatis per martyrium iustificetur etiam absque vlla suorum peccatorum retractione, absque vlla attritione, ut si quis in peccato mortali existens subito ad martyrium rapiatur, ita quod non habeat tempus, ut ad cor reuertatur, & sua recogitet peccata, sed tota intentione applicatur ut fidem profiteatur, & pro illa respondeat, & vitam ponat, quod dicunt contigisse Bonifacio, & Marcione, qui cum essent perditæ vitæ, licet Christiani, apprehensi à Tyranno, idolis sacrificare volentes pro fidei confessione animas posuerunt, & in martyrum numero habiti sunt; alias dubitare liceret de salute illius, qui pro Christo Domino passus esset; nec Ecclesia inquirerit aliud de martyre nisi quod pro fide mortem subierit; nec Christus Dominus aliud requirere videtur cum dicit. *Si quis me confessus fuerit coram homi-*
mini-

*minibus, confitebor, & ego eum
coram patre meo.*

Sed peres: an si aliquis in
mortali peccato existens dor-
miens, in odium Christi Do-
mini, vel fidei interficiatur sit
verè martyr. Et dico: quod
si ille prius paratus erat pro fi-
dei confessione vitam, ponere,
erit verè martyr, secus si pa-
ratus non erat; prima pars pa-
tet ex D. Thoma quæst. 87.

art. 1. ad secundum, & Caie-
tano ibidem. Secunda autem
pars probatur quia alias hære-
tici, vel Schismatici essent ve-
ri martyres, si in odium fidei
ab aliquo tyranno occideren-
tur; quod non est dicendu m.
Argumenta quæ contra no-
stram conclusionem fieri pos-
sent iam ex dictis in hac, &
præcedenti quæstione soluta
manent.

QVAESTIO V.

*Soluuntur aliquæ difficultates ad martyrij ma-
teriam pertinentes.*

Prima difficultas est: an si
tyrannus mulierem in-
terficiat prægantem in odium
fidei non solum mater, verum
etiam filius quem in suis con-
tinet visceribus martirij pal-
mam adipiscatur, circa quam
difficultatem mihi certum vi-
detur, quod si tyrannus in-
tendat non solum matrem in
fidei odium interficere, verum
etiam ipsum infantem quem
illa in suis claudit visceribus,

quod tunc, & mater, & infan^s
martyrij coronam consequan-
tur; solum difficultas esse pos-
set in casu quo tyrannus inten-
dat quidem matrem interfice-
re, non tamen parvulum què
ipsa in proprijs claudit visce-
ribus, & tunc dico sub disti-
ctione; vel tyrannus aduertit
mulierem illam esse prægan-
tem, vel non, si non aduertat
non videtur infantem marty-
rij coronam consequi, tunc
enim

enim ita se habet, ac si non esset, cum nullo modo tyranni intentio ad ipsum extendatur, si vero tyrannus aduertat, etiam si positiuè non intendat, martyrii consequetur paruulus coronam, quia licet tunc temporis tyrannus infantis mortem nec formaliter, nec explicite intendat, eo tamen ipso quod efficaciter vult matris mortem, quam nouit esse prægantem, etiam mortem infantis censetur velle, quæ ex matris morte consequitur. Nec refert, quod infans nõdũ sit natus extra vterum, nam sufficit quod sit ea natiuitate natus, qua sit verus homo, habens suppositum verum, & realiter à matre distinctum, quod habet vi illius natiuitatis quam in vtero obtinet matris.

Secunda difficultas est: quodnam sit illud votum, vel desiderium baptismi aquæ, quod includit baptismus sanguinis; an nimirum sit explicitum, an vero sufficiat implicitum, scilicet an requiratur desiderium tale quo voluntas actu elicitò expresse desideret baptismum aquæ, an vero suf-

ficiat quod voluntas martyrium acceptat, in quo implicitè baptismi desiderium continetur. Et respondeo sufficere votum baptismi implicitum ad martyrium recipiendum, quando videt martyr quod non potest illud suscipere, si enim hoc posset deberet executioni mandare; & ratio est: quia nullus tenetur hic, & nunc efficaciter, & actu elicitò velle quod videt hic, & nunc consequi non possit; sed martyr videt tunc, & iudicat baptismum aquæ consequi non posse; ergo non tenetur actu elicitò illum desiderare, sed sufficet in tali esse animi præparatione, quod si posset illud recipere, de facto reciperet &c.

Tertia difficultas: quando nam caperit martyrii priuilegium sanctificandi, tum paruulos, tum adultos. Aliqui dixerunt hoc priuilegium martyrii capisse post Christũ; cum enim martyrii priuilegium in hoc consistat, quod suppleat baptismum aquæ, & antè Christi aduentum baptismus non fuerit, sequitur quod neque martyrii priuilegium fuerit;

erit; tum etiam quia Sancti Patres colligunt hoc priuilegium ex illis Sacrae Scripturae locis, quae supra quaestione praecedenti citauimus, nimirum: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo: & qui perdidit animam suam propter me inueniet eam*; patet autem quod haec Sacrae Scripturae loca ad nouum pertinent testamentum; ergo & priuilegium &c.

Nihilominus veritas Catholica quam tradunt communiter Theologi est: quod martirij priuilegium non caeperit in lege noua, sed quod fuerit quoad collationem gratiae, & sanctitatis, statim à creatione mundi, licet quoad hoc, quod suppleat baptismi defectum caeperit per Christum Dominum, nam Abel occisus à Fratre Cain martyr à Sanctis Patribus extimatur, & Sancti Fratres Machabæi in Lege Mosaica passi, pro patrijs legibus, & religione Iudaica, tanquam martyres ab

Ecclesia celebrantur; vnde citata Christi Domini verba, non sunt huius priuilegij primae institutionis, sed antiquae declarationis, & applicationis, ad hoc ut martyrium a qua baptisum suppleret. Et hoc etiam patet: quia Sancti Innocentes mortem passi sunt antè baptismi institutionem, & sic martyrium non consistit formaliter, & essentialiter in representatione mortis Christi Domini sumpta formaliter; sed in eo quod sit hominis occisio, pro defensione Dei, & honoris illius, à tyranno illata ex odio in ipsum Deum; quae ratio praecise sumpta in Machabæis locum habet, licet non habuerint Christum Dominum passum, quem imitarentur; bene verum est, quod martyrium, ut dicit representationem mortis Christi Domini est proprium nouae legis, quod totum cum non minori elegantia quam profunditate docuit N. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20, quae est de Machabæis.

QVAESTIO VI.

*Quando nam institutum fuerit Sacramentum
Baptismi.*

Praesens quæstio contro-
uersa est non solum inter
Scholasticos, & Theologos
verum etiam inter Sanctos Pa-
tres; aliqui enim putant bap-
tismi Sacramentum fuisse in-
stitutum post Christi Domini
passionem, alij vero ante.

Nostra sententia sequenti
explicatur conclusione. Sa-
cramentum Baptismi fuit in-
stitutum à Christo Domino
quando, in Iordane à Ioanne
fuit baptizatus. Hæc conclu-
sio est communis in Scholis,
& illam sequuntur omnes Tho-
mistæ post D. Thomam hac
quæst. 66. art. 2. & quia eius
verba elegantem, & profun-
dam continent rationem, non
grauabor hic per extensum
illa apponere, dicit ergò præ-
ceptor Angelicus: *Sacramen-
ta ex sui institutione habent
quod conferant gratiam, unde
tunc videtur aliquod Sacramen-
tum institui, quando accipit*

*virtutem producendi suum ef-
fectum, hanc autem virtutem
accipit baptismus quando Chri-
stus est baptizatus, unde tunc
verè baptismus institutus fuit
quantum ad ipsum Sacramen-
tum, sed necessitas utendi hoc
Sacramento in dicta fuit homi-
nibus post passionem, & resur-
rectionem &c.*

Probatum conclusio ratio-
ne ex eodem D. Thomæ te-
stimonio deprumpra. Sacra-
menta nouæ legis ex sui insti-
tutione sunt gratiæ causatiua
ergò tunc instituuntur cum
gratiæ conferendæ vim habent;
atqui Sacramentum Baptismi
vim conferendæ gratiæ acce-
pit quando Christus Dominus
in Iordanæ fuit baptizatus;
ergò tunc temporis fuit bap-
tismi Sacramentum institutū.
Minor subsumpta solum pro-
banda est, cum in ipsa sola to-
ta resideat difficultas. proba-
tur ergò illa minor Sanctorum

Patrum auctoritate, & primus locus detur D. Ambrosio qui lib. 2. in Luc. ita loquitur: *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, qua peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent.* Secundus locus detur Ecclesiae lumini D. Augustino qui serm. 36. de tempore cōparans aquam in qua Christus Dominus baptizatus est cum Virgine Matre ex qua genitus est, sic fatur. *Filium genuit mater, & casta est, Christum unda lauit, & Sancta est: non sicut post partum glorificata est Maria castificatio, ita post baptismum aqua est purificatio comprobata, nisi quod penè maiori munere quam Maria, unda ditata est, illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem; illa meruit ne peccaret, ista ut peccata purgaret, illa propria delicta à se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat; illi est collata virginitas, isti donata secunditas,* Hæc ille.

Tertius locus detur Venerabili Bedæ in illud Luc. 3.

factum est autem &c. vbi sic loquitur: Baptizatus est Dominus non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas, quæ abluta per carnem eius peccati utique nesciam, baptismi ius induerent, & quod iam innumera sub lege baptizata non poterant, contra præuaricationis malum vim regeneratiuæ sanctificationis conciperent. hæc Beda.

Secunda ratio, quia Christus Dominus in cæna antequam pateretur, Apostolis Sacramentum contulit Eucharistiæ, & Ordinis; ergo debebant prius esse baptizati per baptismum iam institutum; non alio tempore quam in Iordanæ; ergo &c. Antecedens patet Matth. 26. & Luc. 22. & ex Tridentino sess. 22. c. 1. Consequentia probatur, quia baptismi Sacramentum est omnium aliorum ianua, & principium, ita quod nullus sit aliorum capax Sacramentorum sine illo; nec valet dicere quod Christus Dominus cum Apostolis dispensauerit; nulla enim talis dispensationis causa assignari potest cum facile tueri possimus baptismū
antea

antea fuisse institutum. Quod autem nullus comodior locus & tempus queat assignari, quâ quando in Iordanæ fuit Dominus baptizatus patet, nã tunc aquam determinavit baptismi materiam, cum eam tactu suæ mundissimæ carnis consecravit ut docent Patres, determinavit formam cum in eius baptismatæ tota Trinitas visibiliter apparuerit, Christo namque baptizato aperti sunt Cæli, & vox Patris intonuit. Spiritus Sanctus apparuit in specie Columbæ, & Filius ipse Dei in carne assumpta præsens erat.

Nec valet dicere cum Suarez disput. 19 sect. 2. Conincho, & alij quod Christus non instituerit tunc in Iordanæ baptismi Sacramentum, sed paulo post, tempore aliquo oportuniori: quia tunc nec materiam, nec formam designavit cum nulla ibi fiat de his mentio. Nam contra est: quia ut patet ex Patribus supra citatis, tunc fuerunt aquæ sanctificatæ, & per consequens determinatæ ut baptismi materia, si autem determinavit Christus Dominus materiam

credibile valde est quod etiã formam determinaverit, & eo tẽpore ea omnia fecerit, quæ ad baptismi institutionem erant necessaria. Quare dicendum, ut clare colligitur ex alata D. Thomæ ratione, quod Christus Dominus tunc temporis efficacem habuerit voluntatem, & exterius sufficienter illam declaraverit instituendi Sacramentum baptismi, quamvis sacra non dicat Scriptura; cum aliqua Sacramenta non ita publicè, & coram omnibus Apostolis fuerint instituta, sed aliqua satis priuatè, & coram paucis dumtaxat: propterea aliquorum Sacramentorum institutio vix ex Sacra colligatur Scriptura, ut ex dicendis de singulis patebit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est desumptum ex Sanctorum Patrum testimonijs ex Leone, ex Chrysostomo, & alijs. Nam respondemus illos favore aduersarijs, nec eorum nobis obstare auctoritatem cum pro nobis habeamus D. Augustinum, N. S. Cyrillum, Hægonem de Sancto Victore, &

pro nobis stet Scriptura, & ratio Theologica præsertim illa quam ex D. Thoma adduximus. Nec obstat quod D. Leo illam sententiam tenuerit in Epistola decretali: nam vt optime aduertit Vasquez id non dixit definiendo Pontificia auctoritate, sed solum auctoritate priuati Doctoris, quia id tantum dixit vt Episcopis Siciliæ persuaderet, ne in die Epiphaniæ baptizarent, sed vt differrent vsque ad Resurrectionem, vel Pentecostem.

Secundum argumentum: Sacramentum Baptismi suam habet virtutem in genere causæ efficientis physicæ, à passione Christi Domini; atqui causa physica operari non potest antequam existat; ergò passio tribuere non potuit valorem baptismo antequam esset, & per consequens non potuit institui ante passionem.

Respondetur quod Sacramentum Baptismi quando institutum fuit non habuit valorem à passione Christi efficienter physicè, sed solum in genere causæ finalis; at vero post passionem exhibitam, ha-

bet illum efficienter physicè; & hoc modo intelligi debet, quod communiter dicitur: *quod Sacramenta fluxerunt ex latere Christi Domini*, Sacramentum namque baptismi, & idem est de Sacramento Eucharistiæ, & Ordinis, cum fuerint instituta ante Christi passionem non potuerunt effluere quoad illorum valorem ex latere Christi Domini in genere causæ efficientis physicæ, nisi post passionem, ante autem illam habebant valorem ex latere Christi Domini in genere causæ dumtaxat finalis. Quare baptismum quo Christus Dominus per discipulos suos baptizabat, vt patet Io. 3. & 4. ante suam passionem, verè gratiam conferebat sanctificantem; tum virtute præcedentium meritorum Christi Domini; tum & maximè virtute future passionis, iam à Patre acceptatæ; & sic qui tunc baptizabantur configurabantur morti futuræ Christi Domini, nos vero præteritæ; sicut sacrificium incruentum cænæ, fuit representatio mortis futuræ Christi Domini, nostrum vero est

representatio præteritæ, &c.

Sed quæret curiosus quispiam, an Christus Dominus aliquos propria baptizauerit manu, quosque. Respondeo cum Nugnez hac quæst. 66. art. 2. difficultate prima affirmatiuè, non quidem communiter, quo sensu intelligitur illud Io. 4. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius; sed solum aliquos in particulari; quinam autem fuerint à Christo Domino baptizati, non est certum. Nam Euthimius in capit. 3. Sancti Io. existimat Christum Dominum suis manibus baptizasse tantum Beatam virginem, & D. Petrum, & hunc reliquos baptizasse Apostolos, quod*

mihî valde probabile videtur. D. Gregorius Nazianzenus oratione in Sâ&ta lumina, vult Christum Dominum à Sancto Io. Baptizatum, statim baptizasse eundem Baptistam, baptismo à se instituto quod etiâ est valde verisimile. Sanctus Augustinus Epistola 108. dicit Apostolos prius fuisse à Christo Domino baptizatos, quam missos ad alios baptizandos, Euodius Episcopus Antiochenus apud Nicephor. lib. 2. cap. 3. dicit Christum Dominum suis tantum baptizasse manibus D. Petrum, & hunc Andream, & filios Zebedæi, istos vero reliquos baptizasse Apostolos, qui postea discipulos baptizarunt.

QVAESTIO VII.

An Sacramentum Baptismi sit necessarium necessitate mediæ, & à quo tempore talis incæperit necessitas.

Concedebant quidem olim Pelagiani Baptismum esse necessarium ut quis

in Cælorum Regnum posset intrare, Christi Domini coniuncti testimonio Ioan. 3. *Nisquis*

quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Calorum; negabant tamen esse necessariū ad originalis peccati remissionem, eo quia putabant illud non dari. Nostri temporis hæretici concedunt quidem dari peccatum originale, sed negant baptismi necessitatem, ad illud delendum, cum sufficiat adhuc quod filij sint fidelium, imo ut testatur Cardinalis Belarm. lib. primo de Baptismo cap. 4. sufficere volunt, quod mediatur ex fidelibus dependeat. Fundamentum hæreticorum postea adducetur, & soluerur.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusioe. Baptismi Sacramentum est necessarium necessitate medij, & præcepti. Hæc conclusio est de fide, olim definita ab Inno. primo Epist. 26. ad Concilium Mileuitanum, & à Leone primo Epist. 30. ad Episcopos Campaniæ, & in Concilio Florentino in litteris vnionis vbi dicitur: *Nisi ex aqua, & Spiritu renascamur, non possumus, inquit veritas, in Regnum Calorum introire; & tandem est*

definita in Sacrosancta Tridentina Synodo sess. 7. can. 5 de Baptismo vbi dicitur: *Si quis dixerit baptismum liberū esse, hoc est non necessarium esse ad salutem; anathema sit.*

Probatur primo ex citato testimonio Christi Domini lo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Sed dices si hoc testimonium aliquid probaret, conuinceret etiam Sacramentum baptismi fuisse necessarium ante Christi mortem, hoc dici nequit; ergo &c. Maior patet; cum enim hoc præceptum fuerit à Christo Domino datum multo ante mortem, si semel obligauit, etiam tunc obligare debuit. Minor probatur: quia ut communiter tradunt Theologi, Sacramentum Baptismi fuit ante Christi Domini mortem solum sub consilio: quod communiter probant ex illo Apostoli ad Rom. 9. quod nimirum testamentum non consumatur nisi mors sequatur testatoris, & per consequens testamentum vetus vsque ad Christi Domini mortem perdurauit, si autem testamenti

vete-

veteris obligatio duravit vsque ad mortem Christi Domini, non poterat esse noui testamenti obligatio, alioqui duo testamentum simul, & semel obligassent: quod non est dicendum; si ergo tunc temporis ad huc Circumcisionis præceptum respectu hebræorum obligaret, non poterat obligare præceptum Baptismi.

Respondetur negando maiorem; nam Christus Dominus baptismi præceptum imposuit respiciendo ad tempus suæ obligationis; quod nam autem sit hoc tempus obligationis baptismi dicemus statim; quæ autem dicuntur pro minoris probatione ab omnibus admittuntur. Potissimum hæreticorum fundamentum desumitur ex cap. 17. Gen. vbi Deus cum Abrahamo, & semine eius pactum statuit sempiternum, vt ipse sit Deus eius & seminis illius, & introduceret eos in terram optimam; in qua promissione, inquit, continetur id quod in lege noua fit per Sacramentum baptismi, nimirum quod per illud in terram spiritualis promissionis, in Regnum nimirum

Cælorum, introducentur, nõ solum spiritualis Abraham, nempe homines fideles, verum etiam ab ipsis descendentes paruuli.

Respondetur hoc argumentum nihil illos iuuare, hæreticos, quia si loquamur de filiis carnalibus Abraham nihil ibi illis promissit, nisi quod introduceret eos in terram Canaan, eosque contra proprios defenderet inimicos, quandiu eius mandata seruariet. Si autem illum locum intelligamus de filiis spiritualibus Abraham, etiam nihil iuuat hæreticos: patet namque quod filii spirituales non possunt esse illi, qui non sunt spiritualiter regenerati; nos enim non possumus esse filii Abrahæ carnales, sed spirituales dumtaxat. Igitur Sacramentum baptismi est necessarium ad salutem necessitate præcepti ex citato loco Christi Domini Io. 3. & est necessarium necessitate mediæ in re respectu paruulorum, nisi martyrium suppleat, & respectu adultorum in re, vel in voto; quia sine illo, ex his modis altero, salus haberi nequit.

Circa

Circa autem tempus quo baptismi necessitas cepit obligare, fuit olim aliquorum hæresis, D. Bernardi tempore ut ipse testatur Epist. 77. qui Christi Domini conuicti testimonio Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit aqua, & Spiritu Sancto non poterit introire in Regnum Dei*. Dicebant Sacramentum baptismi ab eo tempore obligare cepisse, quod esse falsum patet ex supra dictis; nam ante Christi Domini mortem antiqua non euauerunt remedia ad iustificationem necessaria, cum ante talem mortem, antiquum testamentum abrogatum non fuerit, nec nouum confirmatum, ut supponit Apostolus Hebræorum 9. his ergò relictis.

Prima circa hanc rem sententia est, baptismum non cepisse esse necessarium, neque necessitate medij, neque præcepti ante Pentecostem; quia eo tempore, & non antea Euangelium fuit per Apostolos promulgatum. Hanc sententiam sequitur Suarez disp. 27. sect. 4. Filiueius tit. 2. capit. 6. Coninchus quæst. 68, art. 1. dubio 2. Belarm.

lib. 2. de Baptismo cap. 5. proposit. 4. & alij quorum rationes postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum baptismi cepit esse necessarium necessitate medij, & præcepti à tempore mortis Christi Domini. Hanc conclusionem sequitur Vasquez disp. 145. cap. 3. Ochaguaia quæst. 14. Hurtadus hic disput. 1. difficultate 15. Nugnus hic difficultate 3. & alii communiter: illam tradit Hugo de Sancto Victore lib. 6. de Sacramentis cap. 4. D. Augustinus, & D. Hieronymus in Epistolis quas sibi mutuo de legalibus scripserunt, dum docent legis antiquæ cæremonias, in morte Christi Domini fuisse mortuas. Illam etiam tradit Magister Angelicus hac quæst. 66. art. 2. ad corporis medium, ubi sic fatetur. *Necessitas utendi hoc Sacramento indita fuit hominibus post Passionem, & Resurrectionem: tum quia in passione Christi terminata sunt figurata Sacramenta, quibus succedit baptismus, & alia Sacramenta*

nova legis: tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni, & Resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit nouam iustitiæ vitam, & ideo oportuit Christum pati prius, & resurgere quam hominibus indiceretur necessitas configurandi se morti, & resurrectionis eius. hæc ille.

Ex quibus verbis sequentem formamus rationem. Sacramentum Baptismi fuit necessarium necessitate mediæ, & præcepti à tempore mortis Christi Domini tam respectu paruulorum, quam respectu adultorum; ergò non à tempore Pentecosten. Antecedens quædam primam partem probatur; quia antiqua remedia iam per mortem Christi Domini cessarant; ergò debebant habere aliquod remedium paruuli pro ipsorum sanctificatione; hoc non poterat esse aliud nisi Sacramentum Baptismi; ergò de hoc debebat dari præceptum: & per consequens erat pro illo effectu sanctificandi necessarium; in tantum enim datur de baptismo præceptum, in quantum

est ad salutem medium necessarium. Antecedens quod per mortem Christi Domini antiqua cessauerint remedia, pro sanctificandis paruulis, probant communiter Doctores ex illo Christi Domini morientis, *Consumatum est*, hoc est, modo abrogatum est testamentum vetus, & nouum confirmatur non enim nouum confirmatur testamentum nisi vetus abrogetur, vt diximus supponere Apostolum Hebræorum 9. cum ergò nouum testamentum obligare non potuerit nisi per mortem, sequitur quod per eandem Christi mortem fuerit testamentum vetus abrogatum. Hoc confirmat Sotus 2. de iustitia quæst. 5. art. 4. ex illo Apostoli. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit.* Sed Christus erat vir, & Synagoga sponsa; ergò quam diu Christus vixit, Synagoga non erat à lege soluta.

Probatur deinde illud antecedens, quod nimirum Sacramentum baptismi fuerit necessarium adultis necessitate mediæ, & præcepti, intellige, in re, vel in voto; quia adulti

non baptizati ex vna parte non poterant à morte Christi iustificari baptismo non instituto, aut à contritione perfecta, siuè expressa, siuè virtuali vt est dilectio Dei super omnia, quia post mortem Christi non iustificat contritio, & dilectio ante baptismum, nisi prout sunt eiusdem baptismi votum. Et ex altera à Christo Domini morte capit baptismus esse sub præcepto, ac proinde ab eadem Christi Domini morte, capit contritio in contritione perfecta votum eiusdem baptismi suscipiendi; ergo ab eadem Christi Domini morte, baptismi Sacramentum est necessarium in re, vel in voto necessitate mediæ, & etiam præcepti vt communiter colligunt Doctores ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Soluuntur argumenta contrariorum.

Primum, & potissimum argumentum contrariorum est: quia promulgatio, vt docet D. Thomas, & communiter Theologi est de legis essentia, ita quod ante illam lex nullam vim habet obligandi, sed lex

Euangelica fuit solum in die Pentecosten promulgata; ergo ab eo dumtaxat tempore capit obligare. Maior est certa. Minor in qua est difficultas probatur multipliciter. Primo, quia in omnium sententia lex vetus durauit vsque ad Christi mortem, à morte autem Christi vsque ad Pentecosten nulla fuit facta legis nouæ promulgatio, & per consequens licet lex vetus per Christi Domini mortem cessauerit, tamen ob huius rei ignorantiam adhuc obligabantur Iudæi ad illius obseruantiam, quamdiu legis nouæ fieret publicatio. Secundo quia Lex noua publicari non debuit, quamdiu omnia redemptionis mysteria complerentur, fuerunt autem completa in die Pentecosten; ergo tunc, & nõ prius debebat fieri legis nouæ promulgatio. Tertio, quia sicut lex vetus fuit in Monte Sion publicata quinquagesimo die post Pascha Iudeorum, ita lex noua debebat eodem quinquagesimo die post Pascha Christi Domini publicari. Vnde publicatio facta in die Pentecosten omnes habet

con-

conditiones ad legis publicacionem necessarias, fuit enim facta in Vrbe Regia, vbi erant omnium homines nationum; fuit facta per Summum Ecclesiæ Præconem, & Pontificem Petrum; & ab ea die vsus capit Sacramentorum.

Respondetur negãdo, quod ad hoc vt Sacramentum baptismi esset sub præcepto, quod illius deberet fieri promulgatio; licet enim promulgatio sit de essentia legis humanæ non tamen Diuinæ, est promulgatio de essentia legis humanæ, quia Princeps, non loquitur vt Princeps, & vt publica persona sine promulgatione, & per consequens promulgatio est de legis humanæ essentia. At vero vt Christus Dominus; vt publica loqueretur persona non indigebat promulgatione, cum vt publica semper persona loqueretur vt ipse dicebat: *Ego palam locutus sum, & in occulto locutus sum nihil.* Quando præcepit baptismum pro tempore futuro nempe pro tempore mortis suæ vt publica fuit locutus persona; & sic promulgatio legis Euangelicæ, & in

particulari baptismi, non fuit necessaria ad hoc vt lex, & Baptismus obligarent, sed ad hoc vt mundo innotesceret, & amplius non ignoraretur, non vero vt vim legis obligantis haberet; per quæ paret ad omnia obiecta; nec est necesse ad illa in particulari respondere. Possemus etiam respondere ad omnia prædicta cum Nugnez quod lex baptismi fuerit ante Christi Domini mortem promulgata per Apostolos, quando baptizabant, explicantes tamen, quod talis lex baptismi tunc solum erat sub consilio, & fuisset statim sub præcepto à die mortis, &c.

Secundum argumentum est: quia si cessassent remedia legis antiquæ statim post mortem Christi Domini, quibus à peccatis paruuli, & adulti liberari possent, & ex alia parte obligasset Sacramentum baptismi, cum tunc ignoraretur hoc, maior pars populi Iudaici, & gentilis sine remedio fuisset, & sic paruuli damnarentur omnes, etiam illi qui post receptionem Sacramenti naturæ, vel Circumcisionis fu-

issent mortui; hoc autem videtur nimis durum, & diuinam dedecere bonitatem, & misericordiam; ergo &c.

Respondet Nugnus piè credendum esse quod per aliquod tempus post Resurrectionem fuerit Circuncisio sufficiens ad iustificandum, & idem dicit de Sacramento naturæ pro Gentilibus, tamen facta mediocri promulgatione baptismi, iam nullum fuisset Sacramentum Circuncisionis, & naturæ.

Sed displicet hæc responsio cum sit contra Doctrinam Angelici Magistri, ipsius Nugnez, & nostram, cum & D. Thomas, & ipse Nugnez, & nos docuerimus legem antiquam quoad præsertim præcepta cæremonialia non durasse post Resurrectionem, sed per mortem Christi Domini, fuisse extinctam, certè si vera esset doctrina Nugnez simul durasset, vel fuisset virtus, & efficacia legis antiquæ, & nouæ; testamenti veteris, & noui; & quod per mortem, & sepulturam Christi Domini, non fuisset etiam synagoga sepulta; quod videtur esse contra

doctrinam Apostoli hebræorum 9. Sed quidquid de hoc sit. Respondetur ad argumentum, quod cessatis per mortem Christi Domini Sacramentis illis, & posita noua Sacramenti Baptismi obligatione nullus nec paruulus, nec adultus remedio debeatueretur, quod autem ob ignorantiam de facto non fuisset baptismi remedium applicatum, & sic multi periissent per accidens fuisset, sicut etiam modo respectu illorum qui post sufficientem Euangelij promulgationem adhuc pereunt ob inuincibilem ignorantiam Sacramenti Baptismi; quomodo autem ster, quæ modo sunt dicta cum illa communi Theologorum sententia, quod Deus omnibus confert gratiam sufficientem siuè internæ, siuè externæ protectionis in tractatu de Gratia fusè docuimus.

Sed petes quale sit peccatum, baptismi Sacramentum differre: Conueniunt omnes quod Diuinorum capaces præceptorum, etiam ad baptismi præceptum obseruandum ad minus in vitæ extremo pericu-

lo tenentur iuxta illud Christi Domini : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Difficultas solum est an ante id tempus Diuinum obliget præceptum baptismi suscipiendi, & respondent Theologi affirmatiuè, quod & ante Sancti Patres docuerunt : Clemens Romanus lib. 6. Constitutum cap. 15. S. Basilius hom. 13. Nazianzenus Oratione in Sanctum Baptismum, Chrysostomus in hom. prima in actu Apostolorum, & alii. In temporis tamen assignatione variant Theologi. Nam Ledesma 1. parte quarti quæst. 9. artic. 3. dub. 1. docet præceptum baptismi pro nullo determinato tempore obligare, sed pro tempore indeterminato ante vitæ finem, sicut Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, sed hæc sententia communiter reicitur, vt videre est apud Suarez disputat. 31. sect. 2. Vasquez disputat. 149. capit. 4. Coninchum quæst. 68. artic. 3. & alios, cum quibus dico baptismi præceptum obligare adultos, vt quam primum commodè pos-

sunt, illud obseruent; & quidem merito, quia sicut quisque obseruare tenetur fidei præceptum statim ac eiusdem fidei mysteria sunt sibi sufficienter proposita, ita hoc idem de baptismo dicendum est, cum sit eiusdem fidei professio, per quam baptizati in numero recipiuntur fidelium, & fiunt Ecclesiæ subditi, aliorum capaces Sacramentorum; in quibus à Pœnitentiâ, & Eucharistiâ differt: vnde Ledesmæ paritas nulla est. Diximus statim, seu quam primum; quia vt post alios notauit Nugnus ex rationali causa differri potest, verbigratiâ vt baptizandus melius instruat, vt solemnius baptizetur, vt damnum aliquod considerabile siuè corporis, siuè diuitiarum, siuè proprium, siuè etiam alienum euitetur, vt fructus spiritualis, siuè proprius, siuè alienus habeatur, quanto autem maior est dilatio, etiam maior debet esse talis dilationis causa.

Circa autem obligationem quam habent parentes de paruulorum baptismo: di-

eo quod communiter debet mos patriæ obseruari, qui sine rationabili causa non debet infringi. Regulariter debent circa diem octauum baptizari, licet melius sit præuenire. An autem Ecclesia possit baptismi præceptum determinare, sicut determinauit præceptum Pænitentiae, & Eucharistiae, negat Vasquez disput. 150. capit. 2. Suarez disput. 31. sect. 2. Ochagavia quæst. 15. & alii, quia, inquiunt, hoc tempus iam Diuino præcepto determinatum est, nempe, vt quam primum commodè potest suscipiatur, Ecclesia autem aliud nequit determinare, præter id quod determinatum est, cum non possit Diuina immutare præcepta, licet si dubium occurreret, an aliqua causa esset sufficiens ad baptismi dilationem id posset interpretari, sicut posset vir doctus; nec est eadem ratio, inquiunt de præcepto Eucharistiae, & Pænitentiae, quia ista à Christo Domino indeterminata relicta fuerunt.

Ex alia parte id affirmat Caietanus quæst. 68. artic. 3. Sotus in 4. dist. 5. quæst. vni-

ca art. 3. Ledesma 1. p. quarti quæst. 9. artic. 3, dub. 1. Nugnus hic quæst. 68. art. 3. difficultate vnica concil. 4. & communiter Thomistæ, quod & mihi magis placet, primo quia id videtur colligi ex Sacris Canonibus de Consecrat. dist. 4. can. *Non ratione* Can. *Duo tempora*, & Can. *Proprie*, vbi Ecclesia determinauit vigiliis Paschæ, & Pentecostæ, vt etiam ex missæ officio patenter coligitur, quod factum fuit, vt cum maiori solemnitate, instructione, & deuotione fieret. Nec obest principium à contrariis adductum, nam licet præceptum baptismi sit magis determinatum, quam præceptum Pænitentiae, quam præceptum Eucharistiae tamen non est ita determinatum quin possit ab Ecclesia magis determinari, quoad paruos quidem posset octauum, verbigratia diem stabilire, pro adultis vero vigiliis prædictas quando cū maiori fieri deberet solemnitate, quando vero cum minori, primam Domini cam diem post sufficiente m. baptizandi instructionem. Et hæc de hac disputatione.

DISPUTATIO

DISPVATIO III.

DE MINISTRO

SACRAMENTI
BAPTISMI.

Conferri Sacramentum Baptismi, potest in proposito intelligi tripliciter. Primo auctoritative, quomodo solus Deus, huiusmodi confert Sacramentum, ut supra dicebamus, ipse enim solus est qui linitus baptizat, sicut ipse solus est qui peccata dimittit. Secundo meritorie, & etiam physice, sed per potestatem instrumentariam in hoc genere nobilissimam, quam excellentiaz vocant, quo modo Christus Dominus Sacramentum confert baptismi, propter quod consolabatur D. August. dum dicebat. *Ego dico* (sunt verba August. apud Magistrum 4. dist. 5.)

& nos dicimus, quia oporteret esse iusti per quos baptizamur, iustos oportet esse rati iudicis ministros, sunt ministri iusti si velint, si autem noluerint esse iusti, qui sedent in Cathedra Moysi, securum me fecit. Magister meus, scilicet Christus, de quo Spiritus Sanctus dicit: Hic est qui baptizat. Tertio soluta ministerialiter, & de hoc querimus in presenti disputatione, & quia in Sacramentorum administratione, & confectioe, sicut & in multis negotiis humanis alius est minister ad valide, & alius est ad licite prius de primo, postea de secundo deinde de aliis annexis disputabimus. Sit ergo

QVAESTIO

QVAESTIO I:

Quisnam possit validè Baptizare.

Caluinus lib. 4. suarum instit. cap. 15. §. 20. 21. & 22. docet ne quidem in extrema necessitate licere illis baptizare qui non sunt Ecclesiae ministri ordinati, & ad hoc ipsam vocati, quod etiam repetit in Antidoto Concilii Tridentini sess. 7. can. 10. & Beza lib. quæst. & responsionum de Sacramentis quæst. 140. interrogatus de Baptismo à priuatis personis collato, respondit: illum non esse pluris faciendum, quam id quod Regis, aut Reipublicæ nomine priuatus quispiam pro libito gereret, aut quam fabula. Quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nôstra sententia sequenti explicatur conclusione. Quilibet homo siuè vir, siuè femina, siuè Paganus, siuè Fidelis, siuè Diaconus, siuè Pastor, siuè vocatus, siuè non vocatus potest validè baptis-

mi Sacramentum ministrare; modo adhibeat formam, & materiam legitimam cum debita intentione. Hæc conclusio est de fide, definita in Concilio Lateranensi sub Innoc. 3. & refertur cap. firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Item in decreto Eugenij in Concilio Florentino post vltimam sessionem, vbi habetur. *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel mulier, imo etiam paganus, & hereticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesie, & jacere intendat, quod facit Ecclesia.* Hæc ibi, cuius rei plures adducuntur congruentiæ, quas breuiter refero.

Prima congruentia est, quia Sacramentum Baptismi est maxime necessitatis, respectu omnium hominum; ergo conueniens fuit quod taliter institueretur vt illius administratio

stratio omnibus concederetur hominibus. præsertim necessitatis tempore. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia non ob aliam rationem fuit hoc Sacramentum in materia adeo communi, & cuique obuia nempe in aqua, institutum, nisi ob rationem necessitatis, & vniuersalitatatis illius; ergò ob eandem etiam rationem debuit assignari minister tantæ vniuersalitatatis, vbi enim currit eadem ratio, eadem pariter congruentia currere debet.

Secunda congruentia est, quia Sacramentum Circumcisionis validè conferebatur à ministro proportionatæ vniuersalitatatis, vt patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, præsertim Gen. 24. ergò hoc idè dicendum est de Sacramento Baptismi, quod non minus necessarium est quam esset Sacramentum Circumcisionis.

Tertia congruentia desumitur ex multis historijs quæ passim referuntur ab auctoribus, Alexander namque Episcopus Alexandrinus cum vniuersa eius Ecclesia Athanasij pueri, & laici baptismum ra-

tum habuit, vt testatur Rufinus lib. 10. historię capit. 14. Concilium Nicenum teste Hieronymo in libro contra Luciferianos statuit baptismata hæreticorum valida esse, propterea idem Hieronymus ibidem dicit: *Baptizare necessitas cogat, scimus etiam licet laicis.* Sed cum simus in re adeo clara fisco, qui plura voluerit consulat Belarmium lib. 2. de Baptismo cap. 7. & alios. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum desumunt ex illo Matth. ultimo. *Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes baptizantes eos &c.* vbi dicit Calvinus, hæc dicuntur solis Apostolis qui à Christo instituti sunt ministri Verbi, & Sacramentorum, nõ ergò licet alijs id munus exercere. Confirmat Calvinus, quia in illis verbis Christus Dominus coniunxit potestatem, seu munus baptizandi, cum potestate seu munere prædicandi, sed munus prædicandi solis ordinatis, & vocatis conceditur; ergò etiam munus baptizandi; alioqui non rectè illa duo munia à

Christo Domino fuissent coniuncta.

Respondetur ex hoc Calvini argumēto, nos fortissimum desumere contra eundem Calvinum argumentum, nam licet munus, seu potestas prædicandi Dei Verbum, proprium sit Apostolorum, & Episcoporum, qui illis succederent, tamen id munus omnibus licet, imò omnes tenentur necessitatis tempore & docere, & instruere ignorantes, in æternæ salutis præsertim periculo. Exemplum habes de Aquila, & vxore eius Priscilla Acto:um 18. qui videntes Apollinem quendam prædicare, cum non bene fidem Domini teneret, instruxerunt eum diligenter; ergò eodem modo licebit etiam laicis, tum viris; tum feminis baptismi Sacramentum ministrare; con- sequentia tenet, quia magis proprium est Apostolorum, & Episcoporum munus prædicandi, quam baptizandi; ergò si hoc non obstante necessitatis tempore prædicandi munus laicis potest convenire, à fortiori munus baptizandi convenire poterit.

Secundum hæreticorum argumentum est, quia eadem est ratio baptismi, ac cænæ administrandæ, ac celebrandæ: (ita vocant illi Eucharistiæ Sacramentum.) Atqui potestas celebrandæ cænæ solis sacerdotibus ordinatis, & vocatis conceditur ergò.

Respondetur negando antecedens; nam Eucharistiæ ministrum requirit ordinatum & vocatum; cum illa potestas conficiendæ Eucharistiæ in Sacerdotali charactere fundetur, secus potestas baptizandi ut patet ex Concilij, & Patri- bus qui semper ita intellexerunt, ut Tertoll. lib. de Bapt. cap. 16. D. Hieronymus contra Luciferianos, D. August. lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. Gelasius Papa epist. ad Episcopum Lucaniæ cap. 9. & alij plures apud Gratianum de Consecratione dist. 4.

Tertium argumentum est: quia illius est baptizare, qui aliquam habet in alia Ecclesiæ membra iurisdictionem: Atqui Laici, Paganis, Mulieres, &c. nullam habent in Ecclesiæ iurisdictionem (intellige spirituale) ergò illorum

non

non est baptizare. Maior patet, sicut enim in Republica, civili eius est facere aliquem Ciuem qui ad hoc à Republica habet facultatem, & iurisdictionem, ita & in Ecclesia, quæ est Respublica spiritualis eius est facere huius Reipublice Ciuem, qui ad hoc spiritualè habet potestatem. Minor etiam satis liquet: nam Paganicum sint extra Ecclesiam, in eadem Ecclesia potestatem habere non possunt; Laici vero, & mulieres fideles etiam si Ecclesie sint membra, non tamen sunt pastores, quorum proprium est Spiritualem in Ecclesia habere potestatem.

Respondetur negando ma-

iorem: cum enim iurisdictione sit superioris in subditum, & baptizandus non sit Ecclesie subditus, cum nondum sit membrum illius, sequitur quod si ad baptizandam spiritualis aliqua iurisdictione requireretur, nec Sacerdos ordinatus, & vocatus baptizare posset; ad baptizandum ergo iurisdictione non requiritur, sed solum potestas incorporandi cum membris Ecclesie illos qui sunt extra, medio baptismi Sacramento; hanc autem potestatem incorporandi benignissimus Dominus annexere voluit Sacramento baptismi à quocunque administraretur, dummodo rationis usum obtineat.

QV AESTIO II.

Quinam possint licitè Baptismi Sacramentum administrare.

Baptismi Sacramentum, bifariam administrari potest, vel cum solemnitate, vel sine; tunc cum solemnitate ministratur, quando cum

cæremoniarum apparatu ministratur; tunc vero sine solemnitate ministratur, quando omisso cæremoniarum apparatu, solis essentialibus adhi-

bitis ministratur. Deinde Sacramentum baptismi confertur potest in casu necessitatis, vel extra, tandem aduerte baptismi etiam solemnibus ministrum duplicem esse ordinarium vnum, extraordinarium alterum, cui Sacramenti administratio ex commissione, & delegatione competit; de quibus proprias ponamus conclusiones.

Prima conclusio. Laicus, Paganus, & mulier licite baptismi Sacramentum sine solemnitate in casu necessitatis administrant. Hæc conclusio est communis sensus totius Ecclesiæ, cum iubeat obstetrices antequam obstetricare incipiant, instrui de omnibus necessarijs ad Sacramenti baptismi validitatem. Consulto dixi in casu necessitatis: quia si extra illum casum Laicus baptizaret, mortaliter delinqueret. Dixi etiam sine solemnitate: quia si Laicus baptizaret, siue in casu necessitatis, siue extra, cum solemnitate, mortaliter peccaret, fieretque irregularis ex capite *si quis*, extra, de non ordinato ministrante: bene verum est ut

optime aduertit Nauarus Manuali cap. 27. num 244. quod si laicus baptizaret extra casum necessitatis, sine solemnitate, licet peccet mortaliter, non tamen fieret irregularis, quia actum ordinis non exerceret.

Secunda conclusio: ordinarius baptismi solemnibus minister pro toto mundo est Pontifex, in Diœcesi Episcopus; in Parochia, parochus. Et probatur, quia ad illum pertinet esse ministrum ordinarium baptismi ad quem pertinet homines in Christi Domini Ecclesiam introducere; sed ad Pontificem pertinet in tota Ecclesia homines introducere, ad Episcopum in sua Diœcesi, & ad parochum in sua parochia; ergo &c. Maior patet; probatur minor: quia ad eum pertinet homines ad Ecclesiam admittere, ad quem pertinet intromissos doctrinæ verbo pascere, & Sacramentis reficere: sed hoc pertinet ad Pontificem, Episcopum, & Parochum proportionaliter; ergo &c. Aduerte tamē quod si Parochus nondum sit Sacerdos nō licet ei per se ipsum bap.

baptizare, sed alteri, nempe Sacerdoti, potestatem debet delegare. In locis autem in fidelium, ubi non est adhuc proprius Parochus ad eum, pertinet baptizare qui ibi à Pontifice missus est, vel immediate, vel mediate.

Sed peres: quid si Sacerdos simplex sine Parochi venia baptizaret peccaret nē? Respondeo quod peccaret quidem mortaliter, quia usurparet alterius jurisdictionem; non tamen fieret irregularis; quia hæc irregularitas in iure non continetur: extra quod irregularitas, & aliæ censuræ, quæ à iure sunt, non extenduntur. Bene verum est quod religiosi Sacramenta administrantes sine Curatorum venia ad quos illorum pertinet Sacramentorum administratio, excommunicantur in Clementina prima de privilegiis.

Tertia conclusio: Solus Diaconus est extraordinarius Sacramenti baptismi solemnibus minister, tam extra necessitatem, quam in necessitate, ex concessione, delegatione, seu permissione Episcopi, vel Parochi. Hæc conclusio ha-

betur in Pontificali Romano de ordine Diaconi, ubi dicitur: *Diaconum posse predicare, & baptizare*; cum autem hoc non habeat ex officio, & tanquam ordinarius minister solemnitatis, erit per delegationem. Et hoc modo concordantur plures textus in quibus modo dicitur, quod Diaconus baptizare non possit, modo quod possit: ita post alios Nagnus quæst. 67. art. 2. qui vult secundum hunc intellectum intelligi debere. D. Thomam art. 1. dum Diacono baptizandi munus negat, quod nimirum dictum D. Thomæ intelligi debeat, tanquam de ordinario baptismi ministro, &c.

Hinc fit quod si Diaconus solemniter baptizaret sine debita potestatis delegatione non solum peccaret mortaliter, verum etiam irregularitatem contraheret, ut habetur cap. *Si quis*, extra, de non ordinato ministrante. Cum enim Diaconus nondum habeat potestatem in verum, & reale Domini Corpus, illam habere non potest in mysticum, & per consequens usur-

pat

pat potestatem non habitam & per hoc mortaliter delinquit; ex alia etiam parte cum extet sub tali prohibitione speciale ius, & hoc violetur, eius pœna contrahitur; per quod patet differentia de Sacerdote non Parocho solemniter, sine delegatione baptizante, quia licet peccet mortaliter alterius ius usurpando, non tamen contrahit irregularitatem, cum hæc iure non exprimat.

Sed quæres quis ordo servandus sit inter eos, qui tantum in extrema necessitate possunt dignè, & competenter baptismi Sacramentum administrare. Respondeo omnes convenire in hoc, quod clericus præferendus sit laico, & inter clericos dignior: ita quod Subdiaconus sit præferendus non Subdiacono, & Diacono; Subdiacono, & huic Sacerdos, dummodo in isto ordine salvetur ratio peritiæ: nam si clericus peritiam non haberet Baptismi, peritus laicus, clerico minus perito præferendus esset, de quo nõ dubium. Dubium solum esse posset, an dato quod in talior

dine peritia etiam seruetur, an tunc dicti ordinis variatio sit mortalis, an tantum venialis. Valquez disp. 147. cap. 5. docet quamcunque inuersione esse mortalem, etiam qua fœmina præfertur viro; quia, inquit ille, quæcunque prælatio ex dictis materia grauis est, & iure præscripta diuino. Mihi videtur distinctione vtendum; variatio ordinis inter eos qui sunt inferiores Diacono est solum peccatum veniale; in hoc conueniunt Reginaldus libr. 27. num. 44. Coninchus q. 67. art. 5. dub. 2. Suarez disput. 23. sect. 2. & alii magis communiter; & ratio est, quia inter illos nulla est officii usurpatio, nullaque prælatio nec iure diuino, nec humano præscripta; si vero variatio fiat etiam cum Diacono, & Sacerdote, ita quod inferiores Diacono, ipsi Diacono, & Sacerdote, præferantur: peccatum mortale intercedat; quia fit usurpatio iurisdictionis, iure Diuino Diacono, & Sacerdoti debita, ita citati Doctores. Addit & bene Nauarrus cap. 23. num. 7. non excommunicatum præferendum esse excom-

communicato, ob peculiarem
Ecclesiæ prohibitionem, qua
excommunicatus prohibitus
est Sacramenta administrare,
quamuis excommunicatus sit
Sacerdos, & non excommu-
nicatus laicus, etiam si exco-
municatus nominatim non
sit talis, quia eodem modo est
prohibitus, ac nominatim ex-
communicatus, ut suo loco

diceretur. Si quis vero etiam
necessitatis tempore baptismi
Sacramentum reciperet ab in-
fidei præsentem infidelem, peccati
mortalis reus esse videtur; ita
Mugnus art. 7. difficultate se-
cunda, conclusione prima;
quia magna indecentia est,
quod baptizet, qui non est ba-
ptizatus, ad præsentiam bap-
tizati.

QVAESTIO III.

*Utrum Baptismus collatus a duobus, quorum
unus tantum abluuit, & alter tan-
tum profert formam, sit
validus.*

D Thomas q. 67. art. 6.
argumento 3. hanc
proponit difficultatem in hæc
verba: *In aliquo casu videtur
necessarium, quod plures simul
vnum baptizent, puta si ali-
quis paruulus esset in articulo
mortis, & adessent duo quo-
rum alter esset mutus, &
alter manibus, & brachijs ca-
reret: tunc enim oporteret quod
mutilatus verba proferreret,*

*& mutus actum baptismi exer-
ceret. Ad hæc respondet idem
Angelicus Magister dicens:
quod integritas baptismi con-
sistit in forma verborum, & in
usu materia, & ideo nec ille
qui tantum verba profert bap-
tizat, nec ille qui immergit,
& ideo si unus verba proferat,
& alius immergat nulla forma
verborum poterit esse conueni-
ens, nec enim poterit dici ego te
bap-*

baptizo, cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet, nec etiam poterit dici, nos te baptizamus, cum neuter baptizet. hæc D. Thomas. Cuius resolutio dedit occasionem scribentibus disputandi de illa: unde circa hanc rem sunt duæ sententiæ.

Prima est, quod in tali casu verum conficiatur baptismi Sacramentum: quam sequitur Marsilius in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. Caietanus super istum articulum. Fernandez de Heredia de Sacramento baptismi parte 5. lib. 9. apud Diamam de Sacramento baptismi resol. 11.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Si mutus, & manibus orbatus baptizet infantem in articulo mortis existentem, ita quod mutus abluat, & orbatus manibus verba proferat, baptismus est nullus. Hanc conclusionem sequuntur omnes D. Thomæ expositores, & scholastici omnes, quantum potui videre citatis exceptis, vade non est necesse aliquam in particulari referre.

Probatum conclusio ratio-

ne contenta in citata resolutione D. Thomæ; quia ille, qui profert formam, & materiam non applicat, falsum enunciat; ergo non fit verum Sacramentum, consequentia tenet; non enim fit verum Sacramentum ubi forma Sacramenti est falsa, seu verum non enunciat. Antecedens in quo est difficultas probatur: quia ille qui profert formam, dicit: *Ego te baptizo*, sed hoc est falsum: quia non est ille, qui baptizat, qui abluat, sed alter, verba namque formæ significant externam corporis abluionem, inde internam animæ, factam ab eo qui eadem verba profert.

Sed dices cum oppositum defendentibus, verbum, *baptizo*, non significare. *Ego te abluo*, sed *Ego tibi Baptismi Sacramentum administro*; sed hoc verificatur in casu posito; ergo &c.

Nam contra est, quia dato, & non concessio quod verbum, *baptizo*, non significaret idem ac *Ego te abluo*, sed significaret hoc quod est, *Ego tibi baptismi Sacramentum administro*, adhuc sacramentum nullum

nullum esset: quod sic offendit; quia adhuc sic proferens verba solum, & non applicans materiam, sacramentum non administrat, sed tantum partem, nempe formam; ergo adhuc ille falsum enunciat, non verum: falsis autem verbis nihil efficitur, ex Christi institutione; ergo.

Adde (per quod occurritur tacitæ objectioni, quæ hic fieri poterat) quod etiam falsum enunciaret si loco horum verborum *ego te baptizo*, diceret, *nos te baptizamus*, quia, ut notauit D. Thomas, intantum ista forma est valida in quantum facit sensum, *ego te baptizo, iste te baptizat*, quando plures personas complectitur illa particula nos, atqui ut dicebamus illa verba in casu posito, *ego te baptizo* falsum enunciant; ergo & illa, *nos te baptizamus*.

Confirmatur, & explicatur præcedens ratio; quia, ut supra de Sacramentis in Ceneræ, ex communi Theologorum sententia dicebamus, ad essentiam Sacramenti requiritur ut actus Sacramenti exprimat; ergo etiam ad essentiam Sa-

cramenti baptismi pertinebit, quod in eius administratione eius actus exprimat, atqui in casu posito non exprimitur; ergo Sacramentum illud nullum erit. Minor sumptuosa in qua est difficultas probatur, quia ille qui profert formam non abluit; ergo ille qui profert formam actum Sacramenti non exprimit; dicit enim *ego te baptizo*, cum tamen baptizandi actum non exprimat, cum illum non faciat.

Nec valet dicere cum auctoribus oppositæ sententiæ actum baptismi sufficienter exprimi quatenus ex imperio, vel directione proferentis formam, alter abluit, quod enim per alios facimus per nos met ipsos fieri existimamus. Nam contra est, quia ut loco citato dicebamus non sufficit ad validitatem Sacramenti Baptismi, quod actus ipsius quoquo modo exprimat, sed ut patet ex Decreto Eugenii, debet exprimi physicè per realem exitum abluitionis ab ipso formam proferente; quod magis patebit ex argumentorum solutionibus. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est: quia in casu proposito nihil deest ex iis quæ ad Baptismi essentiam desiderantur; ergò erit verum Sacramentum. Antecedens probatur, quia ad essentiam Sacramenti baptismi solum requiritur, ex Conciliis, & Patribus, materia, forma, & intentio faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus Dominus instituit; Atqui hæc omnia in casu proposito reperiuntur: ergò fit verum Sacramentum. Minorem probant, quia ibi est vera aquæ ablutio, vera forma, legitimaque, ut supponitur, intentio.

Nec valet inquirunt dicere formam in illo casu falsam esse cum ille qui dicit, *ego te baptizo*, seù, *abluo*, verè hoc non faciat; nam cõtra est, quia qui in tali casu baptizat, Græcorum forma uti potest, in qua ministri persona, ut multi probabiliter volunt, non exprimitur, nimirum, *baptizetur seruus Christi*. Tum quia dum dicit, *ego te baptizo* verum dicit, cum vera interior ablutio significatur, ad quam uterque baptizans opere, & intentione concurrat; ergò &c.

Respondetur ex dictis, & formam tunc esse falsam, at deesse abluionem debito modo factam, nimirum per illum qui formam profert. Vnde optima est solutio ibi tradita: ad primam improbationem ex forma Græcorum desumptam: dico quod in illa saltem implicite baptizantis persona exprimitur, ut aduertit Nugnez hic, & nos etiam supra de Sacramentis in Genere aduertimus; vnde non est ad rem improbatio illa. Ad secundam improbationem etiam pater ex dictis, prius enim verbum *abluo* exteriorem significat abluionem quam interiorem, nec alia ratione significet interiorem, nisi media exteriori, vnde hæc deficiente, & illam deficere necesse est.

Secundum aduersariorum argumentum est; in aliis Sacramentis duo possunt ministri concurrere; ergò etiam in Sacramento baptismi. Consequentia tenet ex rationis paritate. Antecedens probatur quia in sacramento Matrimonii duo ministri concurrunt, & sunt ipsi contrahentes. Item

in Sacramento Pœnitentiæ concurrunt duo ministri Sacerdos ministrando formam, & pœnitens materiam. Item in Sacramento Ordinis, vt clare colligitur lex cap. *Quorundam*, de consecratione dist: 23. vbi ordo Præsbyteratus collatus ab Episcopo impo- nente manus super ordinandum, & à Sacerdote pronuncian- te formam censetur validus, sicut vt ibi dicitur, *peruerse illud fuerit factum*.

Respondetur cum Nugnez vbi supra, diuersam esse rationem Sacramenti baptismi, & aliorum Sacramentorum. Nã Matrimonium cum sit in genere contractus, etiam contractus naturam seruare debet, patet autem quod contractus inter duos saltem contrahentes esse debet. Similiter Pœnitentiæ Sacramentum fuit per modum iudicii institutum, in iudicio autem exigitur vt alter sit reus, alter vero iu dex. Ad illud caput, *Quorundam*, dico quod ille præsbyter non protulit formam, sed solum quandam benedictionem; nam vt infra de ordine dicemus, idem Epi-

scopus debet instrumenta porrigere, & formam pronunciare, vt docet Romanum Pontificale.

Pro coronide huius quæstionis, nota contra Dianã loco citato quod cum opposita sententia grauissimos habet defensores liceret in eo necessitatis conflictu tale Sacramentum administrare sub conditione, nimirum si ita conferri baptismus potest, melius nam que est dubium baptismum in ea necessitate ministrare quam nullum, quod si infans periculum illud euadat debet iterum sub conditione baptizati, ita præter Fernandez de Heredia, quem citat Diana, docet Nugnez citato loco. Placet etiam mihi Caietani consiliũ sicut placet & Nugnez, quod sic eo casu fieri posset, quod ille qui habet manus, & caret lingua impleat illas aqua, & ponat super caput, vel super humeros, vel super aliam partem illius qui non habet manus, & sic ille moueat manus alterius, & illis vtatur tanquam vase ad proiciendam aquam super baptizandum proferendo formam,

quia tunc probabilius est fieri
Sacramentum, tamen etiam
in eo casu baptismus sub con-

ditione esset repetendus, si ba-
ptizatus superviueret.

QVAESTIO IV.

*Virum Baptismi Sacramentum à duobus tan-
quam à causis partialibus collatum,
quorum quilibet abluit, & inte-
gram formam pronunciat
cum insufficienti bap-
tismi mentione,
sit validus.*

Est aliquorum sententia
post Durandum in 4. dist.
3. quæst. 3. affirmatiua, ita
quod si duo nolentes facere
baptismi Sacramentum sub-
stantialiter, & essentialiter ni-
si dependentes à se inuicem,
quatenus eorum quilibet in-
tendit dumtaxat concurrere
vt causa partialis, quæ simul
cum alia integram Sacramen-
ti causam componat, tunc ve-
rum fiat Sacramentum. Hu-
ius sententiae fundamenta
postea adducuntur, & solvuntur.

Nostra sententia sequenti
explicatur conclusiue. Sa-
cramentum baptismi à duo-
bus, vel à pluribus administra-
tum tanquam à causis partia-
libus est nullum. Hæc conclusio
sequuntur omnes expositores
D. Thomæ ad ar. 6. quæst. 67
Videatur Nugnus difficulta-
te prima conclusione 2. & 3.
Coninchus eodem ar. dub. 1.
S. hinc etiam patet, & alii.

Probatur conclusio ratio-
ne; quia tunc baptismi Sacra-
mentum est nullum, quando
legi-

legitimus formæ sensus destruitur; sed si duo vel plures, ut causæ partiales baptizarent, legitimus formæ sensus destrueretur; ergo tunc baptismi Sacramentum esset nullum. Maior est certa, minor probatur. Legitimus baptismi formæ sensus est, quod taliter minister corpus exterius abluat, ut ex se sit efficax hic, & nunc physicè; & ex opere operato internam ponere ablutionem, sed illa intentio concurrenti ut causa partialis destruit huc legitimus formæ sensus, cum vnus non intendat baptizare nisi dependenter ab alio; ergo &c. Tum quia redditur forma falsa, cum falsum sit vnum ab alio dependere.

Confirmatur, & explicatur hoc argumentum, quia illa intentio destruit veritatem Sacramenti, quæ Christi Domini institutioni contrariatur; sed intentio baptizandi solum partialiter, seu per dependentiã ab alio contrariatur Christi Domini institutioni; ergo veritatem destruit Sacramenti Baptismi. Minor in qua est difficultas ostenditur; quia Christus Dominus instituit, ut

vna forma vnaque materia ab vno ministro applicata essent sufficiens causa interioris abluitionis; sed illa partialis intentio hoc destruit; ergo

Probatur secundo eadem conclusio ratione satis fundamentali, quia Sacramenti baptismi minister (sicut, & aliorum minister Sacramentorum) non agit propria virtute, dum baptismum administrat, sed virtute à Deo recepta; ergo licet sit in potestate illius se applicare, vel non applicare ad Sacramentum baptismi conferendum, non tamen postquam se applicuit, est in eius potestate virtutem Diuinam operantem restringere, & solum dimidiam applicare; ergo si hoc intendat non censetur habere sufficientem intentionem ad Sacramentum conficiendum, & per consequens nullum erit; operatur enim minister ad modum causæ naturalis postquam liberè se applicuit, & sic ut causa naturalis se gerere debet, quæ postquam se applicuit, secundum vltimum agit. Et ob hanc rationem Sacramenta dicuntur agere ex opere operato, non

ex opere operantis . Soluuntur argumenta in contrarium .

Primum argumentum, quia in Sacramento Eucharistiæ nõ solum validè, verum etiam licitè potest à duabus causis partialibus confici, cuius rei exemplum habes in rubricis Missalis Romani cap. 10. ubi dicitur quod si Sacerdos per acta Hostiæ secratione moriatur, vel graui infirmitate prosequi impediatur, debeat alius Sacerdos progredi incipiendo ab illis verbis canonis: *Simili modo postquam cenatum est*, consecrando Calicem, & reliquum Missæ prosequendo; ergò etiam hoc idem contingere potest saltem validè in Sacramento Baptismi . Hoc idem argumentum confirmari potest exemplo Sacramenti extremæ vnctionis, cuius vnctiones à variis, & distinctis Sacerdotibus fieri possunt.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, cuius discriminis ratio est, quia Eucharistiæ sacramentum duabus distinctis constat materiis, duabusque formis, quarum vnaquæque suam habet practicam signifi-

cationem distinctam, & independentem à practica alterius significatione, propterea vna species consecrari sine alia potest, & vna ab vno Sacerdote, & alia ab alio . Non sic Sacramentum Baptismi, cū vnā dumtaxat habeat materiam, formamque vnā . Per quod patet ad illud quod additur de Sacramento Extremæ vnctionis, dantur enim in eo multæ formæ, multæque materiæ, & vna non dependet ab alia, & suam habet integram practicamque significationem; vnde non est simile .

Secundum argumentum est, quia non minus pertinet ad rationem Sacramenti baptismi vnitas ministri quam vnitas subiecti, vt patet ex illis particulis formæ, *ego, & te*, sed hoc non obstante possunt plures simul baptizari, dicendo, *ego vos baptizo &c.* ergò etiam plures poterunt vnum baptizare dicendo, *nos te baptizamus, &c.* sed tunc se habebunt vt causæ partiales; ergò &c.

Respondetur quod quando plures simul ab vno baptizan-

tizantur illis verbis, *ego vos baptizo*, non est vnum baptis-
mi Sacramentum, sed plura,
sensus enim illorum verborum
est, *ego baptizo te, & te, &c.*
vnde tunc temporis vna cau-
sa plures producit effectus,
vnus plures baptizando, & se-
per verba verum enunciant,
nam enunciant quod media
illa, & illa, ablutione exteri-
ori producit illam, & illa ani-
mæ, & animæ ablutionem, &
ablutionem; non sic quando
plures vt causæ particules eū-
dem producant baptis-
mi Sacramentum, vt ex nostris rati-
onis sufficienter colligitur;
cum enim vnus abluat, & for-
mam pronunciat, significat
ita exterius abluere baptizan-
dum, vt practicè interiorem
ponat ablutionem ex opere
operato, seu ex vi ablutionis
exterioris, quod non con-
tingit, cum interior ablutio non
intenditur poni; nisi cum de-
pendentia ab alio, quod est
contra rationem, & institu-
tionem Sacramenti Baptis-
mi.

Tertium argumentum est:
quia ad Sacramentum baptis-
mi conficiendum nil aliud re-

quiritur nisi materia, forma, &
ministri intètio, quæ est, quod
facere intendat, quod facere
intendit Ecclesia, quod fecit
Christus Dominus, vel quod
fieri instituit; ergo etiam si
intendat minister concurrere
tanquam causa partialis, dum
modo semper intendat facere
quod facit Ecclesia, semper
Sacramentum conficiet. Pro-
batur consequentia, quia mi-
nister non tenetur intendere,
vel habere intentionem con-
currendi vt causa totalis, nec
vllibi est præscriptum, vt non
habeat intentionem concur-
rendi vt causa partialis; ergo
etiam si illam habeat, dum-
modo intendat facere, quod
facere intendit Ecclesia, sem-
per verum conficiet Sacra-
mentum.

Respondetur concedendo
antecedens, & negando con-
sequentiam; si enim expresse
intendat minister concurrere vt
causa partialis, iam non ha-
bet intentionem faciendi quod
facit Ecclesia, cum, vt patet
ex nostris rationibus, & ex
hucusque dictis, intètio Chri-
sti Domini, & Ecclesiæ in
sacramento baptismi sit po-
nere

nere illud tanquam causa totalis, non vt partialis, cum hæc ratio causæ partialis rationem, & veritatem destruat baptimi; si tamen prævaleret in tali ministro intentio faci-

endi quod facit Ecclesia, verum conficiet sacramentum, cum amplius non prævaleret intentio concurrenti vt causa partialis, vt patet.

QVAESTIO V.

Virum Baptismi Sacramentum à duobus tanquam à causis totalibus, & à se inuicem independenter agentibus collatum, sit validum.

TRibus modis possunt duo, vel plures, vt causæ totales, & à se inuicem independenter agentibus baptismum ministrare, vno modo simul, & eodem tempore corpus abluendo, & debitam formam proferendo. Secundus modus quando duo & abluunt, & formam proferunt, sed vnus, vel prius abluit, vel prius formam pronunciat. Tertius quando & simul abluunt, & simul verba proferunt, sed vtuntur his verbis,

nos te baptizamus, His positis.

Prima conclusio baptismus primo modo collatus est validus. Hæc conclusio est communis omnium Theologorum, nulla repugnante sententia, vnde non est necesse quemquam in particulari referre. Communis ratio est, quia in eo casu, eorum quilibet id omne adhibet, quod ad baptismi validitatem necessarium est, nec vnus ex alterius consortio impeditur, quin valide :

lidè baptismi Sacramentum conferat, vnusquisque enim suam materiam, & formam adhibeat, & cum non sit potior vnus quam alterius ratio, vterque validum conferet baptismum; quod sic explico, quia tunc tantum plurium eò cursus causarum totalium eiusdem ordinis, impedit ne vnus idemque numero producat effectus, quando talis effectus essentiali necessitate, & exigentia postulat, quod per vnicam dumtaxat causam producat, sed Sacramentum Baptismi non est huiusmodi; ergò post idem Sacramentum à duabus, vel pluribus causis, seu ministris produci. Maior huius argumenti patet, sicut enim contingere potest quod vnus effectus essentiali exigentia postulet à duobus produci suppositis, vt patet de Spiritu Sancto, qui licet non sit effectus est tamen terminus qui essentialiter petit produci à Patre, & Filio, & Filius in Diuinis est terminus, qui essentialiter petit à solo patre produci, ita contingere potest in creatis, aliqui namque effectus creati naturali, & essen-

tiali exigentia postulant ab vno solo principio produci, vt actus, verbigratià, intellectus qui ab vno solo intellectu, seu ab vna solum causa eiusdem ordinis procedere potest Minor probatur quia licet naturaliter vnus & idem effectus non possit pendere à duabus causis totalibus, tamen in ordine ad supernaturalem potentiam nulla in hoc reperitur repugnantia, si enim vt communiter sentitur Theologi, Sacerdotes in sua ordinatione omnes eandem consecrant hostiam si simul vt supponitur verba formæ pronuncient, quare hoc idem contingere non potest in casu præsentis, cum omnes baptizantes sint instrumenta Dei practicè eleuata ad suum producendum effectum ex opere operato; vnde & ipsi philosophi, dum vident duas causas totales, & eiusdem ordinis non posse eundem numero effectum producere, hoc concedunt Diuinæ virtutis instrumentis, videantur N. Complutenses in phisicis de causa instrumentali, & efficienti. Aduerte tamen doctrinam.

precedentis conclusionis procedere in casu quo illi simul materiam, & formam adhibeant; quia quid dicendum sit quando non simul adhibent, sequens conclusio declarabit.

Secunda conclusio: quādo duo, vel plures eundem baptizant si vnus prius altero abluat, ille qui prior absoluit Sacramentum conficit. Hanc conclusionem docent omnes D. Thomæ discipuli hoc art. 6. cum enim iam Sacramentum productum sit, non amplius productionis locus relinquatur; vel enim idem sacramentum produceretur, & hoc non, eū iam productum sit, vel diuersum, & neque hoc, cum non possit esse diuersum specie vt patet, neque numero, quia plura accidentia solo numero distincta in eodem subiecto esse non possunt.

Circa tertium, quando duo vel plures, simul abluunt, & simul verba proferunt, sed vtuntur illis verbis: *nos te baptizamus* nota, quod illa verba *nos te baptizamus*, possunt facere triplicem sensum: Pri-

musest vt æquipalleat, huic: *ego te baptizo*, quo sepe numero modo loquēdi vt solēt incōmuni loquendi modo personæ in aliqua ex nobilioribus, dignitate constituti, & hoc modo baptismus à pluribus collatus tenet, nisi restringant intentionem ad rationem causalitatis partialis, tunc enim temporis non sit sacramentum, vt precedenti quæstione docuimur. secundus sensus illius modi loquendi, *nos te baptizamus &c.* esse potest, vt vnusquisque intendat baptizare sine dependentia ab alio, atque adeo tanquam causa totalis, & verum conficitur sacramentum: quia tunc ille loquendi modus facit sensum, *ego te baptizo*, & *iste te baptizat*, qui modus vt patet ex dictis est sufficiens. Tertius sensus illorum verborum esse potest, quod vnusquisque baptizet cū dependentia ab alio atque adeo vt causa partialis, & tunc vt diximus sacramentum nullum est.

Sed quæres primo. an non solum validè, verum etiam licitè possint aliquando plures vnum baptizare, sicut possunt

sunt plures Sacerdotes vnã hostiam consecrare, quando recentur ordinantur. Et respondeo negatiue; primo quia est contra praxim Ecclesiæ. Secundo nulla dari potest, necessitas, nullus casus excogitabilis est in quo id liceat. Tertio quia sicut naturalis generatio est ab vno dumtaxat generante, ita spiritualis regeneratio ab vno solum regenerante esse debet. Nec illud quod de pluribus Sacerdotibus eandem hostiam consecrantibus obstat, cum sit diuersa huius ratio; habemus namque in hoc communem Ecclesiæ praxim, quæ est optima. Christi Domini mentis interpret; nec deest de hoc sua congruentia, quia cum noui Sacerdotes sint ordinati ante consecrationem, & cum eodem Episcopo reliquum Missæ recitent, etiam simul cum ipso debent consecrare. Tum etiam quia; cum Sacramentum Eucharistiæ sit institutum per modum conuiuij, & sacerdotes sint omnes conuiuiæ, simul conuiuii materiam præparare debent. Nec valet dicere, quod Apostoli in cæna non

consecratur; simul cum Christo; ergo neque sacerdotes consecrare debent simul cum Episcopo. Nam responderetur diuersam esse rationem de sacerdotibus in prima ordinatione, & de Apostolis; Apostoli namque nondum erant ordinati quando Christus Dominus consecrauit, cum vt communiter dicitur, fuerint consecrati illis verbis; *hoc facite in meam commemorationem*; dici etiam potest, quod cum tunc primo Eucharistiæ Sacramentum institueretur ab ipso Domino, incongruum erat, quod alij ad tale diuinissimum opus assumerentur.

Quæres secundo an possit quis plures simul baptizare, dicendo, *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Respondeo quoad validitatem nulli dubium esse, omnes enim Theologi fatentur baptismum eo modo collatum validum esse, & non esse vnum sacramentum, sed plura, & tot, quot sunt baptizati, quia illa verba, *ego vos baptizo*, sensum faciunt, *ego baptizo te, & te, &c.* & ex alia parte sunt plures ablutiones

ut suppono. At si loquamur de licito, dico quod baptizare plures extra casum necessitatis est peccatum mortale; cum sine necessitate consue-

tus Ecclesie ritus immutetur. si tamen necessitas urgeret id liceret, ut quando subito mortis periculum immineret &c.

QVAESTIO VI.

*An praeter Ministrum etiam Patrinus requi-
catur in administratione Sacramen-*

ti Baptismi.

Patrinus dicitur quasi spiritualis pater, à D. Thoma dicitur susceptor, quia baptizatus de manu baptizantis suscipitur, quasi in fidem, & curam suam ipsum suscipiendo, ut in eadem fide, & moribus instruat, unde obligatur Patrinus baptizatum instruere, orationem Dominicam, & symbolum docere, si id ab alijs non fiat, Layman lib. 5. tract. 2. capit. 9. & alii communiter. In Patrino non requiritur aetas, sed rationis usus requiritur. & ut sit baptizatus, quia in congruū est quod quis fiat spiritualis pater, qui nondum spiritualiter est rege-

neratus; debet à parentibus, vel Parocho designari, secundum tamen aliquos vltro se ingerens, si admittatur sufficit; & à parentibus designatus secundum veritatem sententiam mutari non potest: Diana p. 9. resol. 50. & resol. 51. notat maritum; & uxorem alterius filium in baptismo suscipere posse sine vilo peccato etiam veniali, licet sit minus decens, quia id nulla auctoritate reperitur prohibitū, ut dicitur in can. Quid autem Notat etiam haeticum posse in Patrino assumi quando Catholicus commode reperiri non potest. Quod limitat

Castus Palau tract. 19. disp. vnica puncto. 11. §. 1. num. 9. in casu quo Sacerdos probabiliter timeret parentes baptizati grauitus esse offendendos ob patris hæretici repulsam, vel etiam & multo magis si timeret baptizati parentes esse filium delaturum ministro hæretico baptizandum. Notat dentum, & bene cum Soto, Palao, Ledesma, Sanchez, Puntro, & aliis, quod quando baptizatur filius parentum infidelium, nec minister baptizans, nec tenentes cognationem contrahunt spiritualem cum parentibus illis infidelibus, vnde si illi ad fidem converterentur, & baptizarentur possent cum illis matrimonium inire.

Ultra rationis usum, & designationem dictam requiritur quod Patris non sit pater eius qui baptizatur, vt habetur in cap. *peruenit*. 30. quest. 1. nec ratio deest, nimirum ne cognationem contrahant spiritualement, per quam à debiti petitione impediatur, vt infra de matrimonio dicitur. Non debet esse Abbas, vel Monachus, vt habetur

in Concilio Altrifiodorensi 1. cap. 25. & refertur de consecratione dist. 4. can. *Non liceat Abbati, vel Monacho*, propterea aliqui dicunt esse peccatum mortale Abbatem, & Monachum de sacro fonte suscipere, de quo tamē dubitat Magister Soto à Nugnez hic relatus. Nomine tamen Monachorum nō veniunt Mē dicantes, vt testatur Coninheus hic. Chamerota de Sacramento Confirmationis tract. 2. ca. 4. dubio 8. quos refert Diana de Sacramento Confirmationis resol. 21. quam sententiam contra Layman tenet Bulembaum de Sacramento baptismi dub. 5. art. 2. omittit ad n. m.

Secundum iura antiqua vnus solus vel vna, poterat de sacro fonte suscipere, secundum tamen ius nouum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 2. potest esse vnus & vna, verba Concilij sunt: *Ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizati que patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio*

gnatio contrahitur; hæc ibi: ubi quoad spirituales cognationem ius antiquum restringitur, secundum quod contraheretur alia spiritualis cognatio, quæ erat fraternitatis inter filios carnales suscipientis, & ipsum qui suscipiebatur & inter filios carnales baptizantis, & ipsum qui baptizabatur. Hæc spiritualis cognatio non contrahitur ab eo qui tenet in cæremonijs, vel in catechismo, sed solum quando tenetur homo dum baptizatur, vel postquam baptizatus est, de sacro fonte suscipitur, & hoc solum in baptismo solemniter, & sic qui tenet alium in baptismo necessitatis nullam contrahit cognationem.

Sed quæres, an quando quis alterius nomine tenet infantem contrahat ipse cognationem spirituales, an vero ille cuius nomine tenet. Diana de Sacramento baptis-

mi tres refert sententias. Prima est Scoti, & Toleti quod procurator sit ille qui cognationem contrahit. Secunda sententia est Reginaldi, Couar. & Villalobos quod nec procurator, nec mandans cognationem contrahant spirituales, non procurator quia non proprio sed alterius nomine tangit, non mittens quia ille physicè non tangit, qui physicus contactus per illos indispensabiliter requiritur. Tertia sententia verior, & communior est quod ille cognationem contrahit spirituales cuius nomine procuratum tangit, quam sententiam post alios probat, & sequitur Pasilius Pontius lib. 7. de Matrim cap. 39. num. 10. An autem ignorantia ab hac cognatione contrahenda excuset, & quinam possint in ea dispensare de Matrimonio dicetur.

DISPUTATIO IV

DE SVSCIPIENTIBVS

SACRAMENTVM

BAPTISMI,

Quia nulla inter catholicos est circa adultos difficultas, nullaque etiam apud hæreticos, cum & illi vobiscum admittant eos omnes esse sacramenti baptismi capaces, quod probat illud Christi Domini Matt. 28. *Euntes in mundum uniuersum docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* ratioque id ipsum suadet, quia illi omnes sunt ex Christi Domini mandato, Sacra-

menti baptismi capaces, quibus Christus Dominus præcepit Euangelij doctrinam explicari. At qui Christus Dominus præcepit Euangelij doctrinam adultis omnibus explicari, ergo adulti omnes sunt baptismi capaces, vnde licet huius disputationis titulus sit in illa vniuersalitate positus, tamen de solis paruulis disputabitur, non de adultis quoad capacitatem suscipiendi baptismi, sit ergo.

QVÆSTIO

QVAESTIO I.

Num Gentilium, Iudeorum, Mahumetanorum, &c. infantes sint Sacramenti Baptismi capaces.

Prima sententia est hæreticorum nostri temporis qui tenet infantes Iudeorum Mahumetanorum, & infidelium omnium non esse Sacramenti baptismi capaces. Ita Bèza in suo libello quæstionum, & responsionum de Sacramentis quest. 121. & sequentibus. Hoc idem docet Hunnius Lutheranus opus. de Sacramentis cap. 11.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Infantes Gentilium, Iudeorum Mahumetanorum &c. Sacramenti baptismi capaces sunt. Hæc conclusio est de fide, ut constabit ex Conciliis, & Patribus sequenti quæstione referendis.

Probaturs conclusio ratione, quia Paruuli Gentilium, Iudeorum &c. contrahunt peccatum originale, ut pluries

definiuit Ecclesia, præsertim contra Palagianos qui id negabant; ergò sunt Sacramenti baptismi capaces. Antecedens est certum, consequentia probatur, qui a illi omnes sunt baptismi capaces qui cõtrahunt peccatum originale, baptismus namque est potissime institutus ad originale peccatum dolendum, ergò si paruuli illi contrahunt peccatum originale, baptismi sunt capaces.

Confirmatur quia Christus Dominus Ioannis 3. dum baptismi adstruit necessitatẽ illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum dei*, meminẽ a baptismi sacramento exclusit, nec nullam fecit distinctionem inter filios fidelium, & infidelium; ergò sicut ob illud generale

rale dictum fidelium filij per Lutheranos sunt baptismi capaces, ita & filij infidelium, &c.

Probatum secundo, quia sicut Diuinam non decet bonitatem fidelium filios à baptismi remedio excludere, ita pariformiter dedecet diuinam bonitatem excludere infidelium filios, ita enim vni ac alij, *filij ira nascuntur, filij gheenna, filij pane*, omnium namque Deus est prouisor, nulli sufficiens denegat remedium salutis, &c.

Primum, & præcipuum hæreticorum fundamentum est desumptum ex illa generali Apostoli regula prima, Cor. 5. *Quid mali de his qui foris sunt iudicare*, sed omnes infidelium infantes, Gentilium, Iudeorum &c. nati sunt foris, non domi, non in Ecclesie gremio, sed extra; ergo non sunt baptismi capaces, & per consequens baptizandi non sunt. Nec valet dicere inquit, hoc argumentum etiam probare, quod neque infideles, adulti iudæi, &c. sint baptismi capaces, quia etiam isti sunt extra gremium Eccle-

sie nati. Nam contra hoc argumentantur, quod infidelés adulti antequam baptizentur prius de gremio fiunt Ecclesie per Euangelii prædicationem, seù vt illi dicunt per verbum Christi, quod paruulis conuenire non potest, patet enim, quod Cathecumenus qui nunquam baptismi suscipit Sacramentum ad gremium Ecclesie pertineat &c.

Respondetur, alium esse illius loci Apostoli sensum, quam prætendunt hæretici, sensus enim illius loci est, quod Ecclesia nullam habeat iurisdictionem in eos, qui extra ipsius gremium sunt; qui namque non sunt de Ecclesia, iudicari ab Ecclesia nequeunt; non tamen sequitur quod baptizari non possint; cum enim vt supra dicebamus, ad conferendum baptismi Sacramentum iurisdictione nulla requiratur, sed solum facultas incorporandi homines cum Ecclesia, quam facultatem ex ipsa baptismi institutione habent omnes homines, sequitur quod etiam si paruuli illi non sint de Ecclesia sed extra, possint tamen incorporari, cum illa, &

per consequens Sacramenti Baptismi erunt capaces.

Secundum hæreticorum fundamentum est à ratione desumptum, sic illi soli sunt Sacramenti Baptismi capaces qui sunt de fædere Dei, sed Iudæorum, Mahumetanorum, & aliorum id genus infidelium infantes, non sunt de fædere Dei; ergò non sunt Sacramenti Baptismi capaces. Maiorem huius argumèti supponunt hæretici. Minorem probant, quia illi soli sunt de fædere Dei, qui per fidem descendunt ex Abraham, cui facta est promissio de sui seminis spiritualis multiplicatio- ne; pater autem quod Gentiles omnes, & Iudæi, cum E-

uangelium non susceperint, ex Abraham fideli non descen- dunt, & sic nisi per fidem fi- ant de fædere Dei, quod so- lum adultis non paruulis con- uenire potest, non erunt bap- tismi capaces.

Respondetur distinguendo maiorem: illi soli sunt Sacra- menti Baptismi capaces qui sunt de fædere Dei actu, & ne- gatur, qui sunt de fædere Dei, vel actu, vel potentia, & conceditur; licet ergò paruu- li Iudæorum, Mahumetano- rum, Gentilium, &c: non sint de fædere Dei actu, sunt ta- men in potentia, quod est suf- ficiens ad hoc ut Sacramenti Baptismi sint capaces.

QVAESTIO II.

*An Christianorum paruuli sint capaces Sacra-
menti Baptismi.*

Antiquissima fuit Hiera-
citarum hæresis, sic di-
cti quia eorum primipilus
Hierax vocabatur, ut D. Epi-

phanus hæresi 67. testatur.
& D. Augustinus hæresi 47.
qui dicebant nullum infan-
tem ad Regnum Cælorum per-

u eni-

uenire, quia nec merita habebat, nec baptismi capax erat. Hanc hæresim secutus fuit quidam Henricus cuius discipuli Hænrìciani dicti sunt, & quidam Petrus de Brusis cuius sectatores Petrobrusiani fuerunt nuncupati, qui ut testatur D. Bernardus sermone 66. in Cantica, & Epistol. 240. asserabant infantes baptismi capaces non esse, eo quod credere nõ possunt. Anno Christi Domini ut testatur Belarm. lib. 1 de Baptismo cap. 8. orti sunt Anabaptistæ sic dicti, quod pueros in infantili ætate baptizatos postea rebaptizabant eo quod putarent baptismum illa ætate collatũ validum non esse.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Infantes Christianorum in eodem infantia statu Sacramenti baptismi sunt capaces. hæc conclusio est de fide, multoties definita ab Ecclesia, præsertim in Tridentino sess. 7. can. 12 ubi dicitur: *Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.* Et

can. 13. dicitur: *Si quis dixerit paruulos, eo quod actu credendi non habent, suscepto baptismointer fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis peruenerint esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptismam quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie; anathema sit.* Et can. 14. habetur: *Si quis dixerit huiusmodi paruulos baptizatos, cum adoleuerint interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrinieorum nomine, cum baptizaretur polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pena ad Christianam vitam cogendos nisi ut ab Eucharistia aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.*

Probatum primo conclusio ex illo Christo Domini Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18. *Sinite paruulos venire ad me, talium est. n. regnum Cælorum.* Ex quo loco sic breuem formare possumus rationem. Paruuli sunt capaces regni Cælorum, ergo. & baptismi. Antecedens

est Christi Domini pronun-
 ciatum; Consequentia proba-
 tur, quia paruuli non alia ra-
 tione sunt regni Cælorum ca-
 paces nisi per baptismum, iu-
 xta illud: *Nisi quis renatus fu-
 erit ex aqua, & Spiritu Sancto
 non intrabit in Regnum Cælo-
 rum.* Nec valet respondere
 cum Anabaptistis, quod par-
 uulorum nomine, siue pusillo-
 rum, siue puerorum, illi infan-
 tes intelliguntur, qui iam ad
 rationis usum peruenerunt,
 non autem illi, qui rationis
 usum antecedunt, quod con-
 firmant ex illo matt. 18. ubi
 Christus Dominus statuens in
 suorum discipulorum medio
 vnum paruulum dixit: *Nisi
 efficiamini sicut paruuli, non
 intrabitis in Regnum Cælorum
 qui autem scandalizauerit vnū
 de pusillis istis, qui in me credūt
 expedit ut suspendatur mola
 asinaria in collo eius, & demer-
 gatur in profundum maris;* ubi
 pro paruulis, & pusillis intel-
 ligit eos qui fidei sunt capa-
 ces, & scandali, patet autem
 quod hic esse non possunt, qui
 usum rationis non attingunt.
 Respondetur, quod licet
 paruulorum nomine etiam

illi, qui ad rationis usum per-
 uenerunt intelligi possint, &
 debeant aliquando vt patet ex
 citato testimonio, tamen ne-
 gari non potest, quin etiam
 valeant intelligi, & debeant
 etiam illi, qui usum rationis
 nondum atti gerunt, vt clare
 colligitur ex textu Græco, ubi
 nomine paruulorum, infan-
 tum nomine vitur, & sic cō-
 muniter explicatur à Patri-
 bus locus ille &c.

Probatur secundo nostra
 conclusio, ex communi Eccle-
 sia praxi, non modo præsentis
 sæculi quo vbique baptizat in-
 fantes, vt certissima testatur
 experientia, verum etiam
 superiorum omnium sæculo-
 rum vsque ad Apostolorum
 tempora, vt antiquissimo-
 rum Patrum testantur testi-
 monia vt D. Dionysius lib. de
 Ecclesiastica Hierarc. cap. vlti-
 mo ubi habet: *Apostolos à pri-
 ma Christi traditione edoctos
 baptizasse infantes.* Origenes
 ho. 18. in cap. 12. & 13. leuit.
 ubi dicit. *Secundum Ecclesie
 obseruantiam etiam paruulis
 Baptismum dari.* Hoc idem
 dicit Clemens Romanus libr.
 6. Constit. Apost. cap. 15. dū
 dicit.

dicat. *Baptizate vestros pueros infantes.* videatur D. Cyprianus lib. 6. Epistolarum. epist. 8. D. Greg. Nazian. orat. in sanctum baptisma. ex quibus patet quam falsum sit, quod dicit Ludouicus Viues in cap. 27. lib. primi de Ciuit. Dei: *neminem antiquitus nisi in adulta etate baptizari solitum.* Soluuntur argumenta hæreticorum.

Cardinalis Belarminus, lib. 1. de Baptismo cap. 9. refert, & soluit triginta sex argumenta Ministri Transyluaniæ, nos solum potissima referemus in quibus aliqua ratio, vel difficultatis, vel saltem nouitatis reperitur.

Primum argumentum est, quia in sacris literis nullibi inuenitur Pædobaptismus, & nullum de eo mandatum, vel exemplum habemus; ergò reiciendus. Antecedens probatur: quia nec Christus Dominus, nec Apostoli vnquam infantes baptizarunt, sed hoc est adinuentum humanum à Siricio Papa introductum vt habetur de consecratione dist. 4. capit. 11. Confirmant ex Patrinorum institutione per Igi-

num Papam facta, ergò Pædobaptismus, & Patrinorum vsus simul caperunt, & per consequens vterque est humana adinventione inuentus.

Respondetur negando antecedens, vt patet Actuum. 16. vbi dicitur. *Lydia baptizata, & domus eius tota.* Et idem de carceris custode, de quo dicitur: *Baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuo.* Et 1. Cor. 1. dicit Apostolus: *Baptizauit Stephana domum:* patet autem quod in illis domibus etiam paruuli, & infantes esse debebant. Est etiam de hoc mandatum, non paruulis datum, cum præcepti capaces non sint, sed illis quæ eorum curam habent vt supra notauimus. Est etiam de hoc eodem exemplum, vt ex modo allatis Sacræ Scripturæ testimoniis, colligere licet: vn de patet quã falsum sit, quod in argumento dicitur, esse inuentum humanum paruulos baptizare, &c.

Secundum argumentum est, quia Christus Dominus Matth. 28. docuit eos solum debere baptizari, qui sunt doctrinæ capaces, coniunxit e-

nim

nim baptizare cum docere: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Atqui soli adulti vsu rationis habentes capaces sunt doctrine: ergo illi soli capaces est baptisimi.

Respondetur, Christum Dominum eo loco ordinem posuisse, quæ seruare debebant Apostoli in Centiliū cōuersione, vt prius eos institueret deinde baptizarent, ideoq; subiunxit; *Docentes eos seruare omnia que cunq; præcepi vobis,* qui ordo cum seruari potest omnino seruandus est, quando autem talis ordo seruari non potest propter subiecti incapacitatē relinquitur, & sic qui fidei capax est de illa aetate baptismū in serui debet, secus qui capax nō est. Tertium argumentū est, quia reprobi non sunt baptizandi, sed multi ex infantibus sunt reprobi; ergo non sunt baptizandi, alioqui tāti Sacramenti fieret prophanatio, &c.

Respondetur hoc argumentum etiam de adultis fieri posse, multi namque ex illis sunt reprobi, & per consequens absque prophanationis baptismi periculo baptizari non possunt

cum ergo hoc nec illi admittant, sequitur, & adultos siuē reprobos, siuē prædestinatos, & paruulos siuē reprobos, siuē prædestinatos baptizari posse, omnes enim cum baptizantur iustificantur, licet postea cum ad libertatem deuenierint gratiam sint amissuri, & tandem damnandi.

Quartum argumentum est, Christus Dominus ipse baptismi auctor suo exemplo docuit solos adultos esse baptizandos, & per consequens illos solos esse baptismi capaces. Nam licet octauo die fuerit circumcisus, non tamen baptizatus nisi anno suæ ætatis trigessimo vt colligatur ex 2. capite Euangelij Lucæ, vbi dicitur: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum 30.* ergo si ipse baptismi auctor eo suæ ætatis anno fuit baptizatus, & alii anno eo baptizari debent, vt membra cum suo capite conformentur.

Respondetur, diuersas esse causas à sanctis allatas, ob quas Christus Dominus voluit Baptismum vsque ad annum eum differre. Prima est Sancti Hieronymi in cap. 3. Matth.

Matth. quia non prius suam inchoavit prædicationem: nec erat congruum quod ante approbationem baptismi Ioannis illam inchoaret, vt sic adimpleret omnem iustitiam, antequam à iudeis audiretur prædicari, ne id ipsum illi sibi obiicerent. Secunda est S. Gregorii Nazianzeni oratione in sâctum lauacrum, quod Christus Dominus voluit differre suum baptismum vsque ad id tempus, quia ipse non indigebat baptismo, cum esset impeccabilis, & in termino gratiæ, & etiam gloriæ quoad animam, licet non quoad corpus, cum adhuc esset viator, at vero nos statim à natiuitate indigemus, ideo non est simile. Tertia causa fuit, quia nondum erat institutum baptismi Sacramentum, & per conse-

quens non poterat illud Christus Dominus suscipere antequam institueretur. Quarta causa fuit, quia in Christo Domino nullum erat periculum vt morte præueniretur, sicut est in nobis, ideoque nos debemus statim à principio baptismum suscipere, non Christus Dominus. Addunt alii, quia iam Christus Dominus circumcisus fuerat in infantia, quæ circumcisio erat tunc temporis loco baptismi, quod enim in Iudæis erat circumcisio in nobis est baptismi Sacramentum.

Aliud fundamentum habebant Anabaptistæ de baptismo Christianorum paruulis denegando, quia putabant christianorum paruulos nasci absque originali peccato; sed de hoc iam egimus in prima. ideo hic sistendum.

QVÆSTIO III.

Virum infantes in suarum matrum visceribus inclusi Sacramenti Baptismi sint capaces.

Magister Sotus in 4. distinctione 4. quæstione vnica art. 8. tenet infantes in matris existentibus visce-

ribus non esse Sacramenti Baptismi capaces; cum enim tunc sint aliquid Matris, nec distincta à matribus supposita habe-

habeant, Sacramenti capaces non sunt, quam sententiam sequi videtur Angelicus Magister in hac questione 78. artic. 11.

Nostra sententia duabus explicabitur conclusionibus. Prima conclusio est. Infantes in maternis visceribus habet totum id, quod ex parte subiecti requiritur ad hoc vt sint Sacramenti Baptismi capaces. Hæc conclusio est plana mens D. Thomæ, & omnium interpretum eius hic art. 11. Nam solum docet Angelicus Magister, quod puer in Maternis visceribus non possit baptizari, quia non valet aqua perfundi, vnde sequitur, quod si semel possit aqua perfundi Baptismi Sacramentum validè recipi, & per consequens puer in ventre matris existens ex mente D. Thomæ est subiectum capax baptismi, & si capax non est, hoc non est per se, sed per accidens quia perfundi aqua non potest, propterea in solutione ad 4. adiunxit, quod si puer ex utero matris egrediens periclitetur baptizari deberet in ea corporis parte, quæ prima

apparuerit, nec baptismum esse postea repetendum si puer superuixerit si ea corporis pars fuerit caput, secus si alia, quod non dixit D. Thomas, quia baptismus collatus in pectore, vel in scapulis non sit omnino firmus vt supra ex communi sententia docuimus sed quia ille partes non possunt primo apparere, sed partes quæ primo apparent, vel est caput, vel manus, & pedes, &c.

Probatur conclusio ratione, quia puer in utero matris non magis est aliquid matris, nec minus distinctum ab ea suppositum, quam sit extra uterum, cum non minus sit diuersum numero corpus aë, quam post natiuitatem, cum non minus diuersam habeat animam, diuersamque substantiam ante, quam post ortum; ergò quantum est ex parte subiecti, non minus est capax ante, quam post natiuitatem, Sacramenti Baptismi.

Confirmatur primo: quia adhuc vt subiectum sit capax Sacramenti Baptismi sufficit, quod sit homo nondum baptizatus (si tamen sit adultus

etiam

etiam aliqua requiritur intentio, ut supra dicebamus) sed infantes nondum nati sunt verè, & essentialiter homines non baptizati; ergò sunt subiectum capax Sacramenti baptismi.

Confirmatur secundo, quia homo nondum baptizatus habens peccatum originale est subiectum capax baptismi; sed illi infantes sunt huiusmodi; ergò sunt baptismi capaces. Maior patet, quia Sacramentum baptismi est institutum pro delendo originali peccato; ergò quodlibet subiectum habens illud est baptismi capax. Minor & consequentia sunt omnino certa, nec ulla de illis inter Catholicos, est difficultas.

Secunda conclusio. Si loquamur de modo quo Sacramentum baptismi fit, infantes in utero matris existentes pro eo statu Sacramenti baptismi capaces non sunt. Hæc conclusio est expressa D. Thomsententia, & omnium discipulorum eius, & forte est hoc quod dicere voluit Sotus, cum aliud probare non videantur rationes illius. Habetur eti-

OITRA VO

am nostra conclusio de consecratione dist. 4. cap. Si ad matris corpus, & capit. Si in maternis.

Probatur breuiter conclusio, quia Sacramentum baptismi reali, & physica perficitur actione, nempe reali, & physica corporis abluiones; ergò ubi non est realis corporis ablutio baptismus esse non potest; sed infans intra viscera matris physicè abluere non potest, sed mater; ergò in eo statu infans baptizari non potest; hanc rationem eleganter prosequitur D. Thomas in art.

Nota tamen quod si puer in utero Matris inclusus realiter naturali aqua intigi possit, vel per obstetricis manū, & vel etiam per aliquod instrumentum verè baptizabitur, licet ad maiorem securitatem debeat, si postea sit superstes, sub conditione baptizari.

Sed petes quid dicendum sit de furiosis, & amentibus ab infantia. Respondetur quod si furiosi, & amentes lucida non habent interualla, eiusdem sunt rationis & con-

T t t ditio.

ditionis ac sunt ipsi infantes; unde debent omnino baptizari, etiam si tempore quo baptizantur renitentur maxime, cum talis in illis nifus actus sit humanus, si vero habeant lucida interualla, vel antequam in amentiam; vel furorem inciderent aliquod habuerunt baptismi desiderium, baptizari debent. Sed quid si de huiusmodi desiderio nullo modo constet; plures volunt posse baptizari, dum modo antequam in amentiam, vel in furorem inciderent taliter vixerint, vt studuerint bene viuere, quantum humana fert fragilitas, cuius rei optimam assignant rationem, quia in illa generali voluntate bene viuendi quam habuerunt, voluntas baptismi impli-

citè continetur, quam sententiam etiam nos supra de Sacramento in genere docuimus. Si vero tales furiosi, & amentes lucida habeant interualla, nisi periculum sit in mora omnino debent expectari vt illorum habeatur voluntas.

Per quæ petet quid dicendum sit ad Soti rationem in principio allatam, nam tunc infantes in vtero matris existentes solum dicuntur aliquid matris quia habent quandam corporum colligationem, non tamen vniionem vel continuationem, sed omnimodam suppositorum distinctionem, quod est sufficiens ad baptismi capacitatem supponendam.



QVAESTIO IV.

*Utrum liceat baptizare infidelium Filios
Parentibus eorum
inuitis.*

VT certa ab incertis se-
parentur aliqua sup-
ponenda sunt, aliqua in du-
bium vertenda. Supponimus
primo licere baptizare quos-
libet infantes rationis vsura
habentes, & liberè baptismū
fufcipere volentes, etiam eo-
rum parentibus inuitis; cuius
fuppositi communis ratio est,
quia quilibet rationis vsura
habentes in negotio veræ re-
ligionis amplectundę, eiusque
per baptismum profitendę,
fimiliumque rerum ad animę
salutem fpectantium fui iuris
sunt, ideoque de infantibus
rationis vsura habentibus nul-
la est hic inter fcribentes difce-
ptatio.

Supponimus fecundo lice-
re quoslibet infantes baptiza-
re parentibus iifue quorum-
curę commiffi sunt liberę con-
fentientibus, fiue ille confen-

fus iure, vel metu, vel iniuria
fit extortus, fiue quod in idē
recidit, etiam fi aliquid inuo-
luntarij coniunctum habeat,
fimilis namque confenfus e-
tiam fufficit ad baptizandum
adultum, vt omnes testan-
tur.

Suppono Tertio licere Ec-
clefię quorumque baptizato-
rum infantes baptizare, eti-
am inuitis eorum parentibus,
ratio est, quia Ecclefia ratio-
ne baptifmi fpiritualem acqui-
rit iurifdictionem ratione cu-
ius eos cogere potest ad om-
nia Euangelicę legis manda-
ta feruanda; fiue diuina, fiue
humana fint, ac proinde ad
baptizandos proprios liberos
quo tempore folent baptiza-
ri, & ratione huius inobfer-
uantię illos patria priuare
potestate, & fic illos abftre-
here, & illis, nempe parenti-

bus inuitis, baptizare.

Suppono Quarto non licere baptizare infantes non baptizatorum quorum Ecclesia seù etiam Christiani Principes nullam civilem habent potestatem, ipsis parentibus inuitis. Itaque presentis questionis difficultas à Theologis ad duo capita reuocatur; primum, est vtrum liceat baptizare infantes illorum infidelium qui sunt subditi Ecclesie, vel Principum Christianorum, seù in quos Ecclesia, vel Christiani Principes, civilem, & temporalem habet potestatem, eorum parentibus inuitis, vt sunt filii hebræorum in terris Ecclesie, vel aliorum Christianorum Principum, existentium. Secundum Caput est an id ipsum liceat circa infantes eorum non baptizatorum in quos Ecclesia, vel Christiani Principes habent dominii potestatem, vt sunt filii seruorum.

Circa primum, est prima multorum sententia id licere & est probabilissima, quam defendit doctor subtilis in 4. dist. 4. questione 9. & tota.

eius schola, & alii plures ex neotericis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Non licet baptizare filios non baptizatorum in quos Ecclesia, vel Christiani Principes civilem, vel humanam habent potestatem, parentibus, vel ijs ad quos eorum cura spectat, inuitis. Hanc conclusionem sequitur, & eleganter probat D. Thomas hac questione 68. art. 10. & 2. 2. qu. 10. art. 11. Quem sequuntur omnes eius discipuli Caier. ibidè, Capreolus dist. 9. quest. 1. art. 1. concl. 1. Sorus questione vnica art. 10. & alij omnes, & ex extraneis Valentia, Suarez, Vasquez. & alij plures.

Probat primo Angelicus doctor totius Ecclesie auctoritate, & perpetuo vsu per hæc verba. *Maximam habet auctoritatem Ecclesie consuetudo, que semper est in omnibus emulanda, quia, & ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est auctoritati Ecclesie, quam auctoritati Augustini, vel Hieronymi,*

nymi, vel cuiuscumque doctō-
ris; Hoc autem Ecclesia vsus
nunquam habuit quod Iudao-
rum filij inuitis parentibus ba-
ptizarentur, quamuis fuerint
retro actis temporibus multi
catholici Principes potentissimi
vt Constantinus, Theodosius,
quibus familiares fuerunt san-
ctissimi Episcopi, vt Syluester
Constantino, & Ambrosius
Theodosio, qui nullo modo præ-
termisissent ab eis impetrare,
si hæc esset consonum ratio-
ni. Hæc D. Thomas, quæ
ratio licet moralis sit, est ta-
men efficacissima.

Probat Secundo conclu-
sionem S. Thomas duplici ra-
tione, quarum primam ducit
ex periculo cui baptizatus in-
uitis parentibus, exponitur, ni-
mirum apostasiæ à fide quam
per baptismi susceptionem
professus est, & reditus ad pro-
priam parentum infidelitatē.
Secundam rationem desumit
ex naturali strictoque iure
quod habent parentes supra
proprius filios quamdiu ad
rationis usum non perueniunt
sunt. n. sub parentum cura, &
dominio, sicut bos, & asinus,
sunt, sub suorum dominorū cu-

ra, quod parentum ius viola-
tur cum parentibus inuitis
eorum filij baptizantur.

Respondēt aduersarij neu-
tram D. Thomæ rationem ef-
ficacem; non quidem
primam quia possunt infantes
vel ante baptismum, vel post
à parentum cura extrahi, &
in tuto poni, & instrui, & ces-
sabit periculum Apostasiæ, &
redditus ad parentum infide-
litate, Non secundam;
quia præcisè baptizare infan-
tem parentibus inuitis non
est contra eorum ius, sicut
non est, quando iam habet pu-
er rationis usum, & adhuc est
sub patria potestate, si paren-
tibus inuitis baptizatur, vt
etiã fatetur D. Thomas eo-
dem art. 1. 2. 2. Nam sicue
pater nullum habet ius imbu-
endi puerum rationis usum ha-
bentem prauis erroribus, ita
neque habet ius quod non
baptizetur, ante eandem ra-
tionis usum.

Nam contra est, quia licet
verum sit posse infantes ante
vel post baptismum à paren-
tum cura extrahi, & instrui-
tamen in primis hoc est per-
accidens, secundo quia statim

ac nouerint sic fuisse extractos & alterius religionis imbutos ab ea quam proprii parentes profitentur possunt iterum cum magno nostræ religionis dedecore ad parentum seclā reuerti; tertio quia extractio fieri non potest sinè iustitiæ violatione, vt secunda D. Thomæ ratio conuincit. Vnde patet falsum esse id quod contra secundam D. Thomæ rationem obiiciunt. Nam vt rectè aduertit idem D. Thomas quando puer habet vsum rationis, quoad ea quæ ad æternam salutem spectant, est suus, licet non sit adhuc suus, quandiu non est emancipatus, quoad res, seu dominium humanum, & ciuile, vnde si puer baptizetur inuitis parentibus post rationis vsum, nullum parentum ius violatur, si vero baptizetur ante rationis vsum ius parentum violatur, quia iure naturæ tenentur parentes habere curam suorum liberorum non solum quoad corpus, verum etiam quoad animam, quia vt verbis D. Thomæ vtat: *Filius continetur sub parentum cura sicut sub quodam spiritali vtero.* Per quæ ces-

sant omnia quæ fusè contra illas D. Thomæ rationes congerit Vasquez vbi supra, & alij cum illo, qui licet D. Thomæ sententiam sequantur, illius tamen improbant rationes.

Confirmatur primo explicando rationem D. Thomæ. Nā lex Christi domini, naturæ legem non destruit, sed potius adstruit, & confirmat; gratia namque, vt communiter dicitur naturam non destruit, sed perficit. Atqui lex baptisimi est lex Christi, lex gratiæ, & lex de non subtrahendis infantibus à cura, & parentū educatione est lex naturalis, vt patet etiam in cura, & solitudine brutorum erga suos filios; ergò lex Christi domini de conferendo baptisimo non permittit quod istorū infidelium infantes ab illis subtrahantur, & illis inuitis baptizentur.

Confirmatur secundo quia si semel liceret Ecclesiæ, infidelium diætorum infantes ipsi inuitis baptizare, ad hoc ipsum obligaretur. Atqui nemo dicit Ecclesiam habere de hoc præceptum, & obliga-

tionem; ergò non potest illos sic baptizare. Maior in qua est difficultas probatur, quia in his in quibus prodesse possumus spirituali proximi soluti non solum licet, verum etiam præstare tenemur, Deus namque unicuique mendavit de proximo suo; ergo si semel Ecclesia licitè potest illorum infidelium filios baptizare, cum per hoc succurratur spirituali illorum saluti, etiam ad id teneri dicendum est. Soluuntur argumenta part s oppositæ.

Primum argumentum est quia quoties duo occurrunt præcepta, duo iura, semper quod maius est, & magis urget servandum est. Sed præceptum baptismi maius est, & magis urget quem ius patris in filios; ergò illud non hoc servandum est. Maior non indiget probatione, Minor probatur, quia præceptum baptismi est divinum, & præceptum, seu ius patris in filios est naturale, sed præceptum naturale minus obligat quam divinum; ergò &c. Minor huius argumenti probatur, quia iuxta Sancti Petri doctrinam, & aliorum Apostolorum per-

ceptionem Actuum 5. *præstat magis obedire Deo quam hominibus.* Atqui Deus præcipit, homines quoscunque baptizare, & ius naturæ præcitat hoc non facere inuitis parentibus; ergò primum exequendum est, non secundum.

Respondetur argumētū solum habere verum in concursu duorum iurum simul obligantium, quod nimirum tunc quod maius est servari debeat, sed non sic in nostro casu, nam quando currit præceptum iuris naturalis patris in filios, baptismi præceptum non urget, dum .n. Christus dominus baptismi præceptum Apostolis dedit de baptizandis omnibus gentibus, intelligebatur servatis servandis, seu iuris naturæ ordine servato, & non aliter; non enim venit Christus dominus solvere legem, sed adimplere. Et ad hunc sensum, dictum D. Petri, & aliorum Apostolorum intelligi debet.

Secundum argumentum est, quia patria potestas debet cedere in bonum, & utilitatem filiorum, non in damnum

num illorum, sed si infidelium infantes inuitis parentibus baptizari non possent ob patriam potestatem, patria potestas non cederet in bonorum & utilitatem filiorum, sed in illorum damaum, & perniciosam; ergo &c. Maior patet; nã si pater infidelis vellet occidere filium, vel cum posset nollet à mortis periculo liberare, certe Princeps posset etiam patre renuente, & reluctante, eum liberare, & hoc non ob aliam rationem nisi quia tunc temporis pater patria abutitur potestate, & non ea utitur in bonum, sed in perniciem filiorum. Tum etiam quia pater eo casu peccat mortaliter impediendo bonum spirituale suorum liberorum; ergo patria abutitur potestate, & non in bonum filiorum. Minor primi argumenti, & consequentia clarent ex se, & ex modo dictis, vnde alia non egent corroboratione.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: pro quo nota, quod pater patria abuti potest potestate, vel circa ea que sunt iuris tantum naturalis, vel Gē-

tium, vel reipublicæ, vel circa ius diuinum, si pater abutatur patria potestate circa ea, quæ concernunt ius naturæ, Gentium, & reipublicæ, tunc princeps potest patrem punire, & in pœnam criminis eum patria potestate priuare, vt si filium vellet occidere, vel nollet cū posset eum à mortis periculo liberare, vel alia committeret crimina contra ius Gentium vel contra bonum reipublicæ; At vero si præcisè patria abuteretur potestate quatenus est contra ius diuinum (intellige supernaturale) cum hoc ius sit extra Principis limites, à Principe puniri non posset; præsertim, cum, vt dicebamus, tale ius diuinum cesset cum sit datum Apostolis, & successoribus seruato semper naturæ iure.

Circa secundum caput propositum vtrum nimirum liceat infantes infidelium seruiliter Christianis subiectorum, baptizare eorum parentibus inuitis. Est prima Caietani locis citatis, & aliorum aliorum sententia, quod non liceat.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusio. Infantes eorum infidelium qui aliquo iusto titulo, ut belligenationis, vel alio sunt christianorum mancipia possunt licite eorum inuitis parentibus baptizari, modo isti infantes à cura parentum abstrahantur. Hanc conclusionem sequuntur communiter expositores D. Thomæ, videatur Cabrera, & Nugnus qui rem satis bene tuentur, & explicant.

Probatur conclusio ratione. Quia Domini sine vilo peccato, sine vlla iniuria possunt mancipiorum filios vendere, donare, alienare, &c. ergo etiam sine peccato, sine iniuria parentum mancipiorum poterunt illos baptizare. Antecedens patet, quia qui est Dominus mancipii, est etiam Dominus filiorum mancipii, & sic quidquid potest facere erga mancipium, potest etiam facere erga mancipii filium; atqui mancipium potest vendere, donare, alienare &c. ergo etiam filium eius. Consequentia ex antecedenti bene sequitur, ideo namque secundum priorem conclusio-

nem non potest quis infidelis filium ipso inuito baptizare, quia illi infert iniuriam, & illum priuat patria potestate, sed hoc non currit in casu præfenti, cum & pater, & filius non sint sui, sed Domini; ergo &c.

Sed dices in fauorem Caietani sententiæ, quia si liceret christianis suorum mancipiorum filios ipsis inuitis baptizare, liceret etiam Saracenis, mancipiorum christianorum filios parentibus inuitis circumcidere; hoc dictum fuisse non potest; ergo neque illud ex quo sequitur. Nam respondetur primo, negando sequelam; christiani namque Domini, bonum opus præstant non Saraceni, non enim illorum secta vera est, sed prorsus falsa, quod si illi id falso sibi persuadent decipiuntur, sicut & in aliis multis. Respondetur secundo posse aliquando illicitum per accidens christianis Dominis esse mancipiorum filios ipsis inuitis baptizare, ratione damni quod sequi potest, ut si illi infantes sic baptizentur redderetur impossibile, vel saltem valde dif-

ficilis Christianorum redemptio, qui apud illos captivi detinentur.

Sed quæres primo, an in casu quo christiani Domini possunt mancipiorum filios ipsis parentibus inuitis baptizare, etiam ad id teneantur. Sunt duæ sententiæ, prima est Patris Vasquez, & aliorum affirmatiua, secunda meo videri probabilior, est Patris Suarez, & aliorum negatiua, & ratio quæ me conuincit est, quia ratio ob quam licitum est mancipiorum filios baptizare parentibus inuitis est, quia & parentes, & filij non sunt sui, sed Domini, & potest illos, si velit, sinè iniuria alienare; atqui Dominus rei licet possit rem distrahere, non tamen ad id tenetur, vnde potest Dominus si velit nõ vti Dominio quod habet in mancipij filios, sed illud relinquere parentibus, & nihil velle facere eorum filijs, ipsis inuitis &c.

Quæres secundo, an in casu quo parentum consensus requiratur ad filios eorum baptizandos, requiratur vtriusque parentis consensus, an

vero sufficiat consensus alterutrius. Respondeo (& est communis Theologorum sensus) sufficere alterutrius consensus, nempe, vel patris, vel matris, de patris consensu nulla est difficultas, de consensu vero matris probatur, quia quoad educationem proles in vera religione, & in bonis moribus ius maternum, aut patrum, aut nihil paterno cædit, presertim cum consensus matris in fauorem cedat religionis, & in bonum ipsius proles.

Quæres tertio, an detur aliquis casus in quo filius infidelium non baptizatorum possit baptizari sine parentum consensu. Lorca 2. 2. quæst. 10. art. 12. disput. 37. num. 22. Coninchus hic, & alij expositores communiter qui D. Thomæ sententiam sequuntur, duos admittunt casus; primus est si infans sit in articulo, vel periculo mortis; secundus est si inueniatur separatus à parentibus; qui casus vt veritatem habeant indigent explanatione. Dico ergò quod si infans sit in extrema necessitate constitutus, & de eius vita desperetur poterit licitè pa-

rentibus inuitis baptizari quã
uis Christiano Principi non
sint subditi. Cuius ratio est,
quia tunc nullum est Aposta-
siæ periculum, nec est necesse
illos à parentibus separari, &
sic nulla tunc illis in patria po-
testate fit iniuria, quia paren-
tes ratione patriæ potestatis
solum habent ius, vt ipsi cu-
rent suorum liberorum salu-
tem, & hoc non fiat ab alio læ-
dendo eorum patriam pote-
statem, quæ solû tunc læditur
cum à parentum cura extra-
huntur.

Quod si infans ita sit sepa-
ratus à parentum cura, quam-
quam iniuste, vt iam non sit
spes quod iisdem restituatur
parentibus, licitè poterit bap-
tizari, quamuis id resciant pa-
rentes, & repugnent, & ratio
clara est quia tunc vtraque
D. Thomæ ratio cessat, nimi-
rum quod nullum tunc sit A-
postasiæ periculum, & nulla il-
lis parentibus iniuria irroge-
tur in liberorum separatione,
cum aliundè separati reperi-
antur, & hoc non solum valet
de parentibus Christianis Prin-
cipibus subiectis, verum eti-
am de non subiectis, quia in

neuro casu patria parentum
potestas læditur, cum à
parentum cura liberi non ex-
extrahuntur; sed extracti re-
periantur. Nec valet, quod
ob hoc parentes passiuè scan-
dalizabuntur sumendo occa-
sionem coniciendi conuitia
in fidem, & christianam reli-
gionem; quia illud scandalum
ex ignorantia procedit, vel ex
fragilitate, ex alia parte bap-
tismi Sacramentum illi infan-
ti est omnino necessarium, &
ministro obligatio incumbit
ex christiana misericordia il-
lum baptizare; quæ non sunt
dimittenda ob passiuum pa-
rentum scandalum.

Quæres quarto. An obli-
gatio non baptizandi infan-
tes non baptizatorum sine
eorum consensu, solum currat
respectu parentum, an etiam
respectu tutorum, & curato-
rum, quando infantes sunt
vtrouque parente orbat. Re-
spondeo, quod si loquamur de
infantibus infidelium non
subditorum Christianis Prin-
cipibus, id fieri non potest, si
vero loquamur de infantibus
infidelium [subditorum Prin-
cipibus Christianis dico id fi-

eri potest ex Principis consensu. Cuius rei ratio est, quia tutores, & curatores naturali iure nullam habent potestatem in infantes ipsos curandi, & tutandi, vt habent parentes, sed solum iure humano, & ciuili, in quo Princeps potest dispensare, & ex ipsius Principis dispensatione, seu consensu quo censetur in tali tutorum, & curatorum potestate quam habent in minores, & pupillos, dispensare, & sic poterunt baptizari. Adde quod cum Princeps respectu filiorum orphanorum supremam habeat tutoris, & curatoris potestatem, à quo illam recipiunt inferiores, sequitur quod ex Principis consensu interpretatiue, absque formali di-

spensatione poterit infans licite baptizari.

Hic solent aliqui disputare an Iudæi qui in terris fidelium commorantur sint Principum Christianorum serui, & mancipia. Affirmant Durandus in 4. dist. 4. quæst. 6. Capreolus dist. 5. quæst. 1. artic. 3. Caietanus art. 10. & alij. Negant Sotus dist. 5. quæst. vnica artic. 1. §. secundum argumentum. Valentia, Suarez, & Vasquez locis citatis, & videtur aperta sententia Sancti Thomæ hac quæst. 68. art. 10. cui omnino standum est. Et sic Iudæorum infantes nullo modo sine patentum consensu baptizandi sunt. Et hæc de hac disputatione.



DISPUTATIO V.

DE EFFECTIBVS

SACRAMENTI

BAPTISMI,

Agit Anglicus doctor de effectibus Sacramenti baptismi quaestione 69. per 10. articulos; quia tamen illo, ut quidam ex aliis consequuntur, & aliqui non re, sed magis ratione ab alijs differunt, propterea non de omnibus illis, sed de praecipuis, & veluti fundamentalibus dumtaxat agemus. Inter baptismi effectus non ponit D. Thomas

nec gratiam, nec characterem; quia & gratia, & character non sunt proprii baptismi effectus, sed potius communes, ideoque de illis egit, & nos cum illo de sacramentis in communi, ubi & probauimus contra haereticos dari characterem, & omnia quae ad ipsum pertinent enucleauimus; & idem de gratia praestauimus, & ideo fit.

QVAESTIO

QVAESTIO I.

*Vtrum per Baptismum tollantur omnia
peccata.*

Svb iisdem verbis proponit hanc difficultatem doctor sanctus, pro quo nota olim fuisse quorundam errorem dicentium per baptismum non tolli peccata quoad culpam, sed solum superflue tenus, vt refert D. Gregorius Epistola 36. quem errorem olim Pelagiani catholicis imponebant, putantes catholicos tenere peccata in baptismo non funditus tolli, sed abradi, vt refert D. Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 13. Quem errorem iam diu sepultum reuocauit ad auras Martinus Lutherus, vt refert Rosenfis in art. 2. contra Lutherum. Alius circa baptismum fuit Viclephi error, vt noster refert Valdensis, de Sacramento cap. 108. quod in Sacramento baptismi peccata venialia omissionis non dimittantur. Alij nostri temporis

haeretici volunt in alio extremo etiam futura peccata; nempe illa quae post ipsum baptismum committuntur, per ipsum baptismum remitti. Ita Lutherus de captiu. Bab. cap. de Baptismo. Calvinus lib. 4. inst. cap. 15. S. 2. & 4. & in Antidoto Concilij Tridentini sess. 7. can. 10. Kemnitius in censura eiusdem can. & alij, quatenus dicunt solam memoriam, & fidem suscepti baptismi sufficere absque paenitentia ad defendenda peccata omnia, quae post ipsum baptismum committuntur.

Nostra sententia duabus explicabitur conclusionibus. Prima est. Per Sacramentum baptismi omnia peccata tolluntur. Haec conclusio est de fide definita in Concilio Florentino in decreto super vnione Graecorum, & Armenorum tract. de Sacramento baptismi vbi dicitur; *huius Sacramenti*

menti effectus est remissio culpa originalis & actualis: idem definitur in Concilio Tridentino sess. 5. in decreto de originali peccato can. 5. quatenus docet per baptismum remitti peccatum originale secundum totum id quod habet rationem peccati. Et sess. 6. in decreto de iustificatione cap. 7. quatenus docet sacramentum baptismi esse causam instrumentalem remissionis peccatorum.

Probatur primo pluribus scripturæ testimoniis. Mich. 7. *proiciam in profundum maris omnia peccata vestra.* Quem locum de baptismo intelligit D. Basilius ho. 1. super Psal. 28. explicans illa verba. *Dominus diluuium inhabitare facit.* Et ho. 13. quæ est exhortatoria ad baptismum. Ezechielis 36. promittitur hoc Sacramentum, dum dicitur *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* de Sacramento baptismi intelligitur illud Io. 13. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.* Hoc idem planis vel bis docet

Apostolus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vite; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam; non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut Sancta sit, & immaculata.* Vbi aperte colligitur quales nos reddat regenerationis lauacrum, siue baptismus: Hoc idem totum proficitur Ecclesia dum canit in Niceno symbolo: *Confiteor unum baptismum, in remissionem peccatorum.*

Probatur secundo Sanctorum Patrum auctoritatibus. D. Chrisost. ho. ad baptizandos fatur: *Divina gratia lauacrum non corporis maculas, sed animæ sordes mundare consuevit, & si mollis, & si fornicator, & si totius malitiæ nodis adstrictus, cum ad natatoria venerit, solis radijs mundior eleuatur.* Idem docet D. Hieronymus super caput 47. Ezechielis. S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 15. & alibi passim. Videatur de consecrat. dist. 4. ubi multa Sanctorum Patrum testimonia referuntur.

Probatur tertio ex communi consensu omnium scholasticorum cum Magistro in 4^{to} dist. 4 & 5. Scotus D. Bonau. Argent. Alex. N. Bach. Iacognitus. Durandus, Biel. & alii. Et ex communi consensu Theologorum cum D. Thoma super hunc articulum placet referre verba Angelici Magistri quia sunt pulcherrima, & omnino efficacia ad conuincendos hæreticos si ea cum humilitate, & sine pertinacia legere voluerint: dicit; ergò. *Quod sicut Apostolus dicit Rom. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu: in morte ipsius baptizati sumus. Et postea concludit. Ita & vos existimate mortuos esse quidem peccato; uiuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Ex quo patet, quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit uiuere nouitati gratia. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Vnde consequens est, quod omne peccatum per baptismum tollatur.* Hæc D. Thomas.

Probatur quarto ratione delumpta ex adducto D. Tho-

ma testimonio, quæ ad formam sequentem reduci potest. Spiritus generatio, assimilari debet generationi temporali; ergò sicut in generatione temporali præcedens forma cum omnibus suis accidentibus destruitur, & noua ponitur, cum suis similiter accidentibus; ita in generatione spiritali; præcedens forma, nempe peccatū, cum omnibus suis accidentibus, nempe cum reatu gehæne, & penæ, destrui debet, & noua forma, nempe gratia, produci debet, totum argumentum clarum, in optima fundatum similitudine.

Probatur quinto, quia ut & ipsi fatentur hæretici, homo ritè baptizatus est iustus, Sanctus, Deo gratus, & Cælo dignus; sed hæc stare non possunt cum peccato, ergò per Sacramentum baptismi peccatum omnino tolli debet. Maior conceditur ab ipsis hæreticis, Minor probatur, quia iustus nullomodo esse potest, qui iniustitia est plenus, nec ille qui Deo esse gratus, qui plane est iniquissimus; nec potest esse dignus Cælo quem peccata

peccata constituunt dignum inferno, Fundamenta hæreticorum soluta sunt à nobis in tractatu de iustificatione disp. 1. quæst. 2. & 3. propterea fitimus.

Secunda Conclusio. Sola memoria, & fides baptismi suscepti non potest peccata remittere quæ post ipsum baptismum fiunt. Hæc conclusio est directè contra Lutherum, Calvinum, Kemnitium, & alios nostri temporis hæreticos, ut in quæstionis principio vidimus. Est tamen Catholica veritas. Definita in Sacrosancta Tridentina Synodo sess. 7. can. 10. ubi dicitur. *Si quis dixerit peccata omnia quæ post baptismum fiunt, sola recordatione, vel fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

Probatur conclusio ratione breuiter (longior namque probatio ad penitentiam tractatum pertinet) Nulla namque patitur æquitas ut æquè facilem habeant viam ad Dei gratiam acquirendam qui ante, ac qui post baptismi Sacramentum peccarunt, cum illi Deum ignorarent, isti nosce-

rent, illi sinè gratia essent, isti illam possiderent; ergò illud ipsum Sacramentum quod inseruit pro primis, incongruum est quod inseruiat pro secundis; tum quia Sacramentum baptismi est protestatio fidei, Sacramentorum ianua, primus in Ecclesiam ingressus, &c. ergò nō est æquum quod etiam deseruiat pro remittendis peccatis, illis qui iam fidè protestarunt, qui iam aliorum capaces sunt Sacramentorum, qui iam in Ecclesiam sunt ingressi, membra facti eiusdem Ecclesiæ, &c. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum est Lutheri, quod desumit ex illa Christi Domini promissione Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit;* ergò qui (inquit Lutherus) peccando, à fide, & à baptismi fœdere recessit, si iterum credere incipiat, & baptismi fœdus amplectatur, saluus erit, alioqui promissio illa non esset firma, & stabilis, non semper maneret, non semper esset vera, quod non est dicendum.

Respondetur illam propositionem
 X x x sitio-

sitionem', seu promissionem Christi Domini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*; non esse absolutam, sed conditionatam, nimirum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, si in fide permanserit, & fædere baptismi, nempe in gratia; qui rō permanserit, non saluabitur hoc remedio, sed alio, nempe pœnitentia. Et sic, sicut non dicitur reddere ad fidem qui cogitat se aliquando credidisse, ita non redditur ad fædus baptismi, qui refricat memoriam de baptismo aliquando suscepto.

Secundum argumentum est Caluini loco supra citato. In baptismo namque Christi Domini puritas, & sanctitas communicatur; sed illa semper viget, nec vllis maculis commaculari possunt; ergo baptismi virtus semel collati semper in nobis manebit, & sic semper ad eam redire poterimus;

quandiu enim baptismi virtus manet semper potens erit antiquum reproducere effectum, si semel talis baptismi virtus ad memoriam reuocetur.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, certum namque est hominem per peccatum mortale gratiam, & sanctitatem à Christo Domino collatam, amittere; nec per baptismi memoriam illam amplius acquirere; & quia vult Caluinus hominem non iustificari per gratiam inhærentem, sed per gratiam, & sanctitatem Christi Domini sibi imputatam, & hanc semper manere, & nullo peccato conspurcari, & per baptismi memoriam sibi iterum imputari; ideo oporteret omnia hæc impugnare, sed quia hoc fecimus in tractatu de iustificatione, propterea ad eum locum lectorem remitto.



QVAESTIO II.

An per Sacramentum Baptismi tota pœna peccatis debita remittatur.

Hæretici illi qui, ut præcedenti quæstione vidimus, tenent per Sacramentum baptismi nõ remitti peccata, vel saltem non omnia, à fortiori docent, non remitti omnem pœnam ipsis peccatis debitam; cum enim pœna remitti non possit, culpa non remissa, & per illos, culpa nõ remittatur. neque pœna remitti poterit.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Per Sacramentum baptismi tota pœna peccatis debita remittitur. Hæc est veritas catholica definita in Concilio Florentino ab Eugenio 4, in suo decreto S. Primum omnium. ubi dicitur: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis quoque pœna, qua pro ipsa culpa debetur.* Docetur in Tridentino sess. 5. de peccato originali & supponitur sess. 6. capit. 14. sess. 14. cap. 1. & 2. & colligunt

multi hanc veritatem ex illo difficili loco Apostoli ad hæbræos 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt iterum renouari ad pœnitentiam: hoc est renouatione illa quæ fit in baptismo, obtinendo absolutam omnium condonationem, absque vlla satisfactione.* Hoc idem colligunt alii plures ex capit. 10. eiusdem Epistolæ ubi dicitur: *Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* D. Thomas eleganter colligit ex illo Rom 6. *Si mortui essemus cum Christo, credimus quia etiam simul viuemus cum eo.* de hoc potest:

Habemus de hac re Ecclesiasticam traditionem, & perpetuum Ecclesiæ usum, vt colligitur ex Sanctis Patribus, ex Cypriano libr. 3. ad Quirin. cap. 65. & serm. de

ablutione pedum, vbi loquens de baptismo sic fatur: *Sic lauans quos parentalis labes insecerat, ut neque actualis, neque originalis culpa vestigia relinquat*. Ex D. Augustino tractatu 44. in 10: & alibi sepè. Ex D. Gregorio: ex D. Clemente Alex. lib. 1. pedagogi cap. 6: & c.

Habemus omnium scholariorum consensum cum Magistro in 4. dist. 4. & 5. & omnium Theologorum cum D. Thoma hac quaestione 69. ar. 2. vbi hanc veritatem sequenti discursu probat, & explicat *Per baptismum aliquis incorporatur passioni, & morti Christi, secundum illud Rom. 6. si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam uiuimus cum eo*. Ex quo patet quod homini baptizato communitur passio Christi, & remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset. Passio autem Christi (sicut dictum est) est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debita pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omni-

bus peccatis suis. Hæc D. Thomas.

Sed probemus conclusionem ratione desumpta ex citato D. Thomæ testimonio. Nam in baptismo, Christi Domini mors, & passio baptizato applicatur; taliter ac si ille per mortem, & passionem satisfecisset; ergò debet fieri perfecta hominis regeneratio. Atqui perfecta regeneratio baptizati fieri non potest sine totali pœnæ peccatis debitæ remissione; ergò tota pœna peccatis debita per baptismum remitti debet. Antecedens est D. Thomæ; consequentia patet, quia implicat mortem, & passionem. Christi Domini eo modo applicari, & quod non fiat perfecta baptizati regeneratio Minor subsumpta etiam patet, quia perfecta regeneratio non fiat cum duratione reatus ad pœnam, peccatis in baptismo remissis, debitam. Unde rectè docet D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 28 quod qui baptismum debite, & fructuose recepit, & sine vlllo obicè ex hac vita discedit, ad Cælum

Cælū statim migrabit, & hæc est ratio communis Ecclesiæ traditionis, & vsus, quod baptizatis nulla imponatur satisfactio, & esset iniuriosum Christo, & baptismo imponere opera satisfactoria baptizatis.

Confirmatur primo quia baptismus est ianua ad Ecclesiam, & quasi fundamentum illius; sed Christus Dominus vult Ecclesiam esse purissimam, sine macula, & ruga; ergò conuenienter vult quod omnes qui in Ecclesiam per talem ianuam ingrediuntur perfectissimè mudentur, ergò non solum omnis culpa, verum etiam omnis pœna per baptismum tolli debet.

Confirmatur secundo, quia Sacramentum baptismi dicitur à Patribus, & Theologis aperire Regnum Cæleste, sed hoc non faceret nisi simul cū culpa, etiam reatum pœnæ tolleret; ergò &c. Antecedens probat D. Thomas infra art. 7. in argumento sed contra, vbi affert Glos. super illud Luc. 3. *Apertum est Cælum*, dicentem *Virtus hic baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egre-*

ditur, Regni Cælestis ianua aperitur. Minorem probat ibidem Angelicus doctor in corpore articuli dicens. *Aperire ianuam Regni Cælestis est amouere impedimentum quo quis impeditur Regnum Cæleste introire; hoc autem impedimentum est culpa, & reatus pœnæ; ergò &c.*

Aduerte tamen quod cum dicimus Sacramentum baptismi remittere reatum pœnæ, non debet intelligi de omni pœna, sed solum de illis quæ sunt impeditiue ingressum in Regnum Cæleste. Vnde non remittit baptismus pœnas in foro civili subeundas, debitas ob crimina parata, vt colligitur ex Angelico Doctore in hoc art. 2. Si loquamur de pœnis Ecclesiasticis aliquas remittit non omnes, remittit illas quæ ex peccato oriuntur, vt irregularitatem ex homicidio voluntario, vt habetur cap. *Si quis viduam*, dist. 50. & cap. *Si quis* dist. 51. quæ autem ex peccato non oriuntur per baptismum non dimittuntur, vt irregularitas ex defectu natalium, ex morbo, vel defectu corporis, cum non

habeant pænæ rationem, sed potius cuiusdam indecentiæ. Videatur Nauar. in Manuali cap. 27. num. 209.

Aduerte etiam nostram conclusionem procedere dum taxat de pænis, non de pænalityatibus, vt aduertit D. Thomas art. 3. sunt autem pænalityates illæ pænæ, quæ ex peccato originali indirectè sequuntur, vt fames, sitis, morbus, mors, &c. quæ sunt pænæ toti naturæ communes, quia consequuntur peccatum originale, quod totam naturam infecit, & toti naturæ est commune, & iste per baptismum non tolluntur, sed solum tolluntur pænæ vt ita dicam personales quæ directè, & per se peccatis sunt debitæ, siuè temporales sint, siuè æternæ. Assignat autem D. Thomas tres optimas congruentias propter quas pænalityates per baptismum tolli non debeant. Prima est quia homo per baptismum incorporatur Christo, & membrum eius efficitur; ergò conueniens est vt id agatur in membris, quod est actû in capite; atqui Christus Dominus à principio suæ conce-

ptionis licet fuerit plenus gratia, & veritate, habuit tamen corpus passibile, quod ad vitam gloriosam postea fuit resuscitatum; ergò hoc idem fieri debet in membris incorporatis, gratiam recipiunt in baptismo, retinent tamen corpus passibile, vt possint pro Christo pati: quod confirmat Angelicus Doctor ex illo Apostoli Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit, & mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis, & infra: Hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi: sitamen compatimur, vt & simul glorificemur.* Igitur baptismus habet virtutem auferendi pænalityates præsentis uitæ, non tamen eas aufert in præsentia uitæ; sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem 1. Cor. 15.

Secunda congruentia est, quia conueniens erat quod pænalityates remanerent ad spirituale exercitium, quia homo pugnans contra concupiscentias, & alias passibilitates, victoriæ coronam recipiet

Tertia

Tertia congruentia est, quia homines accessissent ad baptismum non propter gloriam vite æternæ, sed magis propter vitæ præsentis impassibilitatem. Vnde Apostolus dicit 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo miserabiles sumus omnibus hominibus.* Verum tamen est, quod licet per baptismum concupiscentia non tollatur, minuitur tamen, quoniam ratio roborata per gratiam baptismalem appetitui magis dominatur, & illum coerces, ne in tam vehementes prodeat passiones, & tam apertam faciat rebellionem; imò postquam concupiscentia in tam vehementes prorupit rebelliones, & adeo fortes excitauit passiones, ratio per gra-

tiam roborata, potens est ad illas refrenandas, coarces, sedandas, superandas, vt dicitur in Concilio Milleuitano can. 3. & 4. & refertur capit. plucuit de consecratione distinct. 4. Adde quod gratia baptismalis quandam tribuit rationi sollicitudinem, vt se custodiat, iuxta illud Proverbiorum 4. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex illo vita procedit.* Vnde baptizatus si sit in gratia perfectus, non solum se ab omni peccato custodit passiones coerces, refrenando, superando, &c. verum etiam cum Apostolo. *Gloriabitur in tribulationibus, & tentationibus, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*



QVAESTIO III.

*Quosnam, conferat Sacramentum Baptismi,
alios effectus.*

Nostri seculi, & præcedentis hæretici, ut antiquiores reliquam. Quatuor præcipuos tribuunt Sacramento Baptismi effectus. Primus est, quod homines per baptismum impeccabiles reddantur, aut saltem indamnabiles, licet peccent, dummodo ab Ecclesia Catholica non discedant. Secundus quod baptizatis non imputetur ad culpam, neque noceat, quod legem Dei transgrediantur. Tertius quod baptizatus lege aliqua Ecclesiastica obligari nequeat. Quartus quod vota a baptizatis emissa sint irrita, nulliusque valoris.

Sed hos omnes effectus ab hæreticis fidos relegat à Sacramento baptis. Concilium Tridentinum sess. 7. & damnat sub anathemate. Primum can. 6. per hæc verba: *Si quis dixerit baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amitte-*

re, quantumcunque peccet, nisi nolit credere; anathema sit. Secundum, & Tertium damnatum can. 7. & 8. ubi dicitur. *Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem uniuersa legis Christi seruanda anathema sit.* &: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea obseruare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.* Quartum damnatum can. 9. ubi dicitur. *Si quis dixerit ita reuocandos esse homines ad baptismi suscepti membrum, ut vota omnia quæ post baptismum sunt, ut promissionis in baptismo ipso iam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei quam professi sunt, detrahatur, & ipsi baptismo, anathema sit.* his ergo reiectis effectibus veros, & pro-

& proprios afferamus.

Primus, & præcipuus Sacramenti baptismi effectus est, quod conferat baptizato gratiam, & dona infusa, si suscipiens obicem non ponat. Hoc est de fide, nam licet olim fuerit dubitatum an gratia, & virtutes infusæ sint habitus inherentes, & ab Innocentio III. in cap. *Maiores* de baptismo, & à Clemente V. in Concilio Vien. relat. in Clement. 1. de summa Trinit. & fide Catholica hoc non fuerit definitum, sed solum probabilius existimatum, tamen certum est gratiam, & habitus infusos in baptismo infundi, & hoc sit de fide, præsertim si abstrahamus à nominibus qualitatibus, & habitibus, & solū loquamur de gratia & donis, nempe fide, spe, & charitate ut veniunt sub nomine iustitiæ inherentes, ut in tractatu de iustificatione notauimus; qui effectus ex opere operato producantur, ut supra de Sacramentis in genere cum Concilio Florentino, & Tridentino latè probauimus.

Secundus Sacramenti baptismi effectus est Character,

de quo nihil in particulari est hic agendum, cum omnia quæ ad baptismi characterem pertinere possunt, iam supra de Sacramentis in genere sūt pertractata.

Tertius baptismi effectus est incorporare cum Christo sæcundare in bono, & illuminare; hunc effectum eleganter explicat D. Thomas art. 3. huius quæstionis 69. & patet, quia tunc cum Christo, & eius Ecclesiæ incorporamur, quando unimur ei per gratiā sanctificantem, & insignimur caractere, quo deputamur ut serui Christi, & de eius familia; hoc autem fit per baptismum; ergo per baptismum incorporamur Christo. deinde tunc sæcundamur quando acquirimus virtutes illas supernaturales per quas opera bona exercemus, hæ autem virtutes simul cum gratia infunduntur, ut patet; ergo, &c.

Tandem tuac illuminamur quando fidem recipimus, qua media, supernaturalia obiecta cognoscimus; atqui per baptismi Sacramentum fidem recipimus; ergo, &c. De aditu

Y y quem

quem præbet baptis̃mus in Regnum Cælorum iam supra quæstione præcedenti in prima confirmatione cum D. Thoma sufficienter diximus. An baptis̃mus æqualem, vel inæqualem gratiam recipientibus conferat supra de Sacramento in genere docuimus.

Quartus baptis̃mi effectus merito notandus, est quod subiicit hominem iurisdictioni, & potestati Ecclesiæ. Ex quo fit quod Ecclesia possit punire, & coercere baptizatos, quos, ante baptismum, punire, & coercere non poterat, iuxta illud Apostol. 1. cor. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare.* Et huius effectus ratio est, quia per baptismum homo fit Ecclesiæ membrum, & consequenter subordinatur, atque eius auctoritati, & potestati subiicitur, ut membra capiti. quare recte statuit Concilium Tridentinum, canone ultimo sess. 7. non esse interrogandos

paruulos postquam adoleuerint, an stare velint promissioni, quam eorum nomine fecerunt Patrini in baptis̃mo. quia supponit Concilium vi baptis̃mi manere obligatos; & quod non possint dimitti si tali promissioni stare nolint. Et ratio huius est, quia sicut baptis̃mi veritas non dependet ex acceptance promissionis Patrinorum, nomine paruulorum facta, ita neque inde dependet ius Ecclesiæ in baptizatos; siue enim illæ promissiones fiant, ut in baptis̃mo solemnibus, siue non fiant, ut in non solemnibus, semper Ecclesia suum acquirit ius in baptizatos, sicut caput in membra. &c. Cetera quæ de baptis̃mo hic disputantur à Theologis quoad dispositionem requisitam, quoad reuiuiscenciam &c. Ex dictis de Sacramentis in genere liquet, ideo finis sit huius tractatus. Utinam credat in maiorem Dei Gloriam & Ecclesiæ utilitatem. Amen

RERVM MEMORABILIVM
 HVIVS OPERIS
 INDEX.



A



Nima separata etiam si Sacerdotalem retineat echaracterem non potest esse ordinarius Sacramentorum minister licet possit esse extraordinarius. tr. 1. Disputatio 7. qu. 2.

Angeli possunt esse ministri Sacramentorum extraordinarii loc. cit.

Angelus bonus, si diceret se administrasse hoc vel illud Sacramentum, credendum est, ei, post diligentias adhibitas quod sit bonus Angelus secus tamen de malo Angelo dicen-

dum est loc. cit.

Actio Sacerdotis pure exterior in administrandis Sacramentis, non est actio potestatis illicollata à Deo tr. 1. d. 7. q. 7.

Ad actionem humanam non est necesse, quod sit formaliter libera saltem quo ad aliquam illius partem. disp. 7. quest. 8.

Attritio quantumvis crescat in sua perfectione, nunquam peruenire poterit ad perfectionem minime contritionis. disp. 4. quest. 8.

Aqua benedicta secundum quã rationem signum Crucis præcedit. disp. 9. q. 2.

Aqua qua fluxit de latere Christi Domini mortui vera, & elementaris aqua fuit. Tra-

Elatu. 2. disp. 1. questio x.

Aqua ex sale resoluta est sufficiens Sacramenti Baptismi materia, non tamen aqua ex vite vel aliqua arbore aut herbis distillata; & quare: in casu tamen necessitatis dum alia aqua vera haberi non potest, minister potest illa uti sub intentione conditionata: & quare: tract. 2. disp. 1. q. 1.

Aqua elementaris que ex vaporibus densatis causatur est materia sufficiens Sacramento Baptismi. ibidem.

Ablutio, est proxima Sacramenti Baptismi materia: tract. 2. disp. 1. quest. 2. in quo essentialiter consistat: loc. cit. mutare sum eius qui seruetur in propria Ecclesia, est peccatum mortale. ibidem. triplex ablutio ad valorem Baptismi non requiritur ibid. quid advertere debeat, qui ritus utitur in baptizando ablutione ibid. potest quis valide baptizari, ea ablutione qua occiditur. ibid. non est sufficiens ablutio mediata ad baptismum, sed requiritur immediata: & quare ibid.

Ille qui abluatur in capite tan-

tum, vel in scapulis, vel in brachijs est vere baptizatus non tamen ille cuius digitus solum abluatur, sicut a fortiori neque ille esset vere baptizatus, qui ablueretur in unguibus & in capillis, & quare. loc. cit.

Actio ministri quot modis exprimi potest. tract. 2. disput. 1. quest. 3. primus modus non sufficit secundum aliquos ad sciendam potestatem ministerialem, & instrumentalem ministri. ibid.

Apostoli fuerunt baptizati, baptismo Christi Domini tract. 2. disp. 2. quest. 1.

Adultus cum sola attritione, & martyrio iustificatur. tract. 2. disp. 2. quest. 3.

Actus exterior quam bonitatem vel malitiam addat supra actum interiorem. loc. cit.

Assentes & iuriosi, lucida non habentes interualla baptizari debent etiam si renitentur: & quare tract. 2. disput. 4. quest. 3.

Si vero lucida habeant interualla, debet eorum expectari voluntas; nisi periculum sit in mora. ibid.

B

Beaus potest ex diuina dispensatione esse Sacramentorum minister extraordinarius, non tamen ordinarius. tr. I. disp. 7. q. 2.

Beati minus elongantur ab ordinario ministerio Sacramentorum quam Angeli. loc. cit.

Baptismus dicitur preestatio si dei non respectu ministerii sed respectu propriae formae. disp. 7. quest. 3.

Baptizatus non priuatur iure quod habet ad Sacramenta, per crimen occultum. disp. 7. quest. 6.

In Baptismo, respectu paruulorum Christus, & Ecclesia supplet consensum. respectu vero adultorum proprius requiritur. disp. 8. quest. 1.

Ad Baptismum suscipiendum, sufficit voluntas habitualis quae ex actuali non retractata relinquatur. disp. 8. q. 1.

Ad effectum Baptismi recipiendum sufficit attritio in adultis. disp. 8. q. 4.

Baptismus est omnibus necessarius necessitate salutis. disp.

8. quest. 4. quibus nominibus à SS. PP. decoretur in Preem. trac. 2. quod duplex sit, ibid. quomodo definiatur tam per partes metaphysicas quam physicas in preem. disp. 1. tract. 2. consistit in ablutione tam actiue, quam passiuè accepta, ibid. quantum sit eius materia remota, tract. 2. disp. 1. quest. 1. est validus cum sola immersione, sine emersione tract. 2. disp. 1. quest. 2. per illam configuramur morti, & sepulturae, ac resurrectioni Christi Domini, & quomodo, ibidem: est validus si quis aquam e tecto desluentem puerum submitteret, & uerba proferret ibidem; quae sit eius forma tract. 2. disp. 1. quest. 3. Ly baptizo in forma baptismi contentum est de eius essentia: ibidem ad eius valorem, & substantiam, non requiritur explicita personae baptizantis expressio, requiritur tamen virtualis & implicita. ibidem per Ly baptizetur in forma baptismi Graecorum sufficienter exprimitur persona ministerii, ibidem: ad eius substantiam requiri-

quiritur expressio ministri
 & persona baptizata & qua
 lis debeat esse ista expressio
 ibidem: collatus sub forma
 qua utuntur Chaldaei; vel
 sub hac forma: Ego te Chri-
 stizo vel Christianum facio
 in nomine Patri, & Filii &
 non est validus; & quare
 ibidem: in forma baptismi v-
 trum necessario ponatur Ly
 nomine, ibidem: inuocatio &
 expressa nominatio Trinita-
 tis est de essentia illius: &
 quare ibidem: collatus sub
 hac forma Ego te baptizo in
 nomine Genitoris, & Geniti
 & precedentis ab utroque
 probabile est quid sit validus;
 non tamen si conferatur sub
 nominibus Paternitatis, fili-
 ationis, & spirationis: aut
 sub nominibus Ingeniti, &
 innascibilis, & quare ibidem:
 sicut neque teneret si loco ly
 Spiritus S. nomen Doni pone-
 retur: alia particula non sunt
 de essentia Baptismi, S. Ego
 & in. & Amen. baptisma
 unum est secundum speciem
 attoman, & quare tract. 2.
 in proem. disp. 2. non potest
 nec licite, nec valide in eodē
 numero subiecto multiplicari

& quare tractat. 2. disp. 2.
 quast. 1. Baptismus Ioannis
 potuit iterari, ibidem: noster
 tamen Baptismus quo nos ba-
 ptizamur non potest absolu-
 te iterari: quamuis possit
 sub conditione exterius ex-
 pressa vel interius concepta;
 & in quo casu tract. 2. disp.
 2. quast. 2. collatus à Iudeis
 Paganis, Saracenis, aut ha-
 reticis, iterari non debet eti-
 am sub conditione: sicut ne-
 que ille, qui confertur insan-
 tibus, a parentibus, cognatis,
 obstetricibus, laicis, vel à
 quibuscunque aliis siue viris
 sua seminis domi ob pericu-
 lum mortis, vel ob aliam ca-
 usam: & quam, ibidem; ha-
 bens Sacramentum Baptismi
 tantum probabile non potest
 recipere alia sacramenta eti-
 am illa, quae in aliorum dam-
 num non cadunt, & quare
 ibidem: si tamen adsit pericu-
 lum mortis, nec habeat com-
 moditatem suscipiendi bap-
 tismum, potest cum tali proba-
 bilitate illa recipere sacra-
 menta, quae tunc temporis il-
 li essent necessaria, ibidem:
 Baptismus recte diuiditur in
 Baptismum fluminis, flami-
 nis

nis, & sanguinis tractat. 2. disp. 2. q. 3. quid per unumquodque intelligatur, ibidem: qualis est hec baptismi diuisio, ibidem: solus baptismus aqua est vere, & proprie Sacramentum non vero alia duo, & quare, ibidem baptismus flaminis, & sanguinis dicuntur baptisnata solum per analogiam: & quare, ibidem: sacramentum baptismi quando fuit à Christo Domino institutum tr. 2. disp. 2. q. 6. quo in loco: ibidem: in quo genere causa habuerit valorem à Christi passione; quando fuit institutum: in quo genere causa illum modo habet, ibidem: ante Christi passionem conserbat gratiam sanctificantem virtute precedentium meritorum, tum & maxime virtute futurae passionis iam a patre acceptata, ibidem: qui baptizabantur ante Christi passionem configurabantur morti futurae Christi Domini, nos vero prae terite, ibidem est necessarius necessitate medicæ, & praecepti tract. 2. disp. 2. q. 7. respectu paruulorum, in re, nisi ad artium suppleat, respectu adultorum in

re, vel in voto ibidem: quo tempore eius necessitates capis obligare, ibidem: non requirebat promulgationem ad hoc ut obligaret sub praecepto ibidem: quando obligat adultos eius praeceptum, ibidem: solus Deus illum confert autoritatis, meritoria autem & etiam per potestatem instrumentariam in hoc genere nobilissimam, Christus Dominus, in proem. disp. 3. tract. 2. ministerialiter vero quilibet homo potest illum conferre modo adhibeat materiam, formam, & intentionem debitam, & quare tract. 2. disp. 3. q. 1. in ministro non requiritur iurisdictionem sed solum potestatem tract. 2. disp. 3. q. 1. in casu necessitatis, licite à Laico, Pagano, muliere administrari potest sine solemnitate tract. 2. disp. 3. q. 2. eius ordinarius solemnis minister pro toto mundo est Pontifex, in Diocesi Episcopus, pro parochia, Parochus, & quare, ibidem: extra ordinarius vero solemnis minister eius, tam extra necessitatem quam in necessitate solus Diaconus est, ex concessione, delegatione seu per-

permissione Episcopi vel Parochi, tractat. 2. disp. 3. q. 2. à duobus collatus quorum unus mutus tantum abluat, & alter orbatu manibus tantum proferat formam, est nullus, & quare. tract. 2. disp. 3. quest. 3. in casu tamen necessitatis potest, hoc modo, sub conditione ministrari, & postmodum si infans periculum euadat iterari, ibidem: collatus à duobus, vel à pluribus, tanquam à causis partialibus est nullus tract. 2. disp. 3. quest. 4. collatus à duobus vel pluribus ut à causis totalibus, & à se inuicem interdependentibus, simul & eodem tempore corpus abluentibus, & formam proferentibus est validus. tract. 2. disp. 3. quest. 5. si vero unus eorum prius abluat, & formam proferat, ille qui prius absoluit Sacramentum conficit, ibidem: nec licite, nec valide potest à pluribus uni conferri: & quare: ibidem; potest tamen ab uno, pluribus conferri valide, non tamen licite, nisi in casu necessitatis, ibidem: potissime est institutus ad peccatum ori-

ginale dolendum tractat. 2. disp. 4. quest. 1. licitum est conferre illum quibuslibet infantibus, rationis usum habentibus, & libere baptismi suscipere volentibus, etiam eorum parentibus inuitis. tract. 2. disp. 4. quest. 4. si- cut etiam licitum est illum conferre quibuslibet infantibus, eorum parentibus vel quorum cura commissi sunt consentientibus, etiam si ille consensus aliquid inuoluntarii habeat, ibidem: omnia peccata per illum tolluntur. tractat. 2. disp. 5. quest. 1. sola memoria. & fides baptismi suscepti non potest peccata remittere quae post baptismum fiunt, ibidem: per illum tota pena peccatis debita remittitur tractat. 2. disput. 5. quest. secunda: per illum mors & passio Christi Domini baptizato applicatur: ibidem: quem reatum pane remittat ibidem: penalitates non tollit & quare ibidem.

Concreta accidentalia quomodo differant ab artificiosis, disp. 1. q. 1.

Cir-

*Circuncisio fuit primo instituta
ut signaculum populi Israeli-
tici. 2. ut sacramentum
ad peccatum originale delenda-
dum. disp. 3 q. 4.*

*Israelita in deserto non circun-
cidebantur, loc. cit.*

*Circuncisio erat sacramentum
quatenus continebat illud
legis naturae, loc. cit.*

*Quid Character significet disp. 5.
qua sacram. imprimant
characterem disputatio. 5.
quest. 1.*

*Character non est relatio ratio-
nis neque realis loc. cit. disp. 5
quest. 2. sed realis qualitas
loc. cit.*

*Character quale donum sit disp.
5. quest. 2.*

*Character non est habitus in pri-
ma specie qualitatis disp. 5.
quest. 3.*

*Neque est in specie passionis
vel passibilis qualitatis loc.
cit.*

*Neque in specie forma, & figu-
rae loc. cit.*

*Sed est in specie potentiae, & se-
cundae qualitatis loc. cit.*

*Potest tamen secundum quid re-
duci etiam ad aliquas species
enumeratas loc. cit.*

Character non est solum potentia

*moralis, sed physica loco ci-
tat.*

*Quare character cum sit poten-
tia & qualitas super natu-
ralis, sit habitus loc. cit.*

*Quomodo character sit potentia
passiva si gratia recipitur in
anima character in intelle-
ctu. Disputatio quinta qua-
estio. 3.*

*Quomodo character confirmatio-
nis sit simpliciter necessarius
loc. cit.*

*Character non est in corpore aut
membris disp. 5. q. 4.*

*Neque in voluntate. loco ci-
tat.*

*Neque in intellectu & voluntate
loc. cit.*

*Neque immediate subiectatur
in anima loc. cit.*

Sed in intellectu solo loc. cit.

*Principalior effectus Sacramen-
torum non potest esse chara-
cter sed gratia simpliciter. lo-
cit. quest. 5.*

*Character est qualitas entitati
ue supernaturalis, loc. cit.*

*Character est extensibilis per plu-
res gradus, non tamen inten-
sibilis loc. cit. quest. 5.*

*Character est indilibilis divina
potentia ordinaria non ta-
men extraordinaria. loc. cit*

Characteres Sacramentorum di-
stinguntur ad inuicem specie
loc. cit.

Quod causa efficientes sint in
Sacramentorum productione
disp. 6. proem.

Solus Deus est causa principa-
lis gratiae, & characteris
tum physice; tum moraliter.
disp. 6. quest. 1.

Omnes ministri sacramento
instrumentaliter causant
gratiam & characterem.
disp. 6. q. 1.

Et si minister sit causa physica
gratiæ melior meliorem
non producit de condigno
sed solum de congruo loco ci-
tat.

Quando virtus eleuans potentiam
constituat illam causam
principalem, quando instru-
mentalem. Disputatio 6.
quest. 5.

De ratione causa instrumenta-
lis sacramentorum est
quod non solum se conformet
cum agente in ratione agen-
di, sed etiam quod producat
gratiam. Disputatio septima
quest. 5.

Confessarius audiendo confes-
sionem in peccato mortali, si
antequam absoluat. contera-

tur, non peccat mortaliter loc
cit.

Clerici ordinum minorum non
peccant mortaliter etiam si in
mortali peccato ministrēt. loc
cit.

Crimen alterius occultum po-
test aliquis manifestare ad
impediendum alterius nota-
bile damnum, si vero nullum
sequatur damnum, nullo mo-
do est manifestandum disp. 6.
quest. 6.

Sicut neque est manifestandum
ob impediendam irreuerenti-
am negatiuam sacramento-
rum, secus tamen dicendum
est si irreuerentia sit forma-
lis, & positiua loc. cit.

Causa applicata subiecto melius
dispositio meliorem causat
effectum. Disputatio octaua
quest. 4.

Ceremonia Sacra quot modis,
& quibus accipitur, ac unde
hoc nomen deriuatum sit, in
proem. disp. 9.

Culpa peccati non tollitur, nisi
inter a peccato auocetur disp.
quest. 2.

Christus Dominus quare bap-
tizari voluit bapuzino Iohan-
nis. in cruce. 2. disp. 2.
quest. 1.

Christus

Christus Dominus utrum aliquos baptizauerit propria manu, & quos tract. 2. dis. v. quest. 6.

Cognatio spiritualis non contrahitur cum parentibus infidelibus, nec à ministro baptizante nec à tenentibus, quando eorum filius baptizatur. tractatu 2. disput. tertia. quest. 6.

Christus Dominus ob quas causas baptismum distulit usque ad annum trigesimum tr. 2. dis. 4. q. 2.

D

Dlaboli in humanum genus inuidia proem. ad princip.

Diaconus ministrans in peccato mortali non peccat mortaliter. disp. 7. q. 8.

Diaconatus non est ultima dispositio necessitatis ad Sacerdotium. loc. cit.

Dammum corporale virtuti iustitiae opponitur, damnum vero spirituale nulli virtuti opponitur. disp. 7. q. 6.

Dispositio melior pro Sacramentis mortuorum, est contritio,

pro Sacramentis vero viuorum cum ampliori fructu percipienda melior dispositio est, ut quis accedat cum affectu religioso ad illa, propter Deum summe dilectum. disp. 8. quest. 4.

Alia dispositio inferior pro receptione Sacramentorum quintuplex, in quo unaque consistit: quae humanae fragilitati sit magis accommodata: quem fructum Sacramenti unaqueque portet, disp. 8. q. 4.

Dubium duplex. Aliud facti, & aliud iuris: in quo unumquodque consistit quantum attinet ad baptismi susceptionem: tractat. 2. disput. 2. quest. 2.

Dubium tam iuris quam facti iterum duplex: in quo consistant, ibidem: in omnibus dubijs siue iuris siue facti, quando sunt vere dubia, & baptizatus non est moraliter certus de suo baptismo, sed habet prudentem timorem, est quae periculum reipsa moriendi sine baptismo. tunc iterari potest sub conditione. & quare, ibidem: si vero dicta dubia non sint vere talia

- sub nulla conditione baptis-
mus iterandus est: *ibidem.*
- Dubitans vere, & rationabili-
ter de suo baptismo, tenetur
sub mortali peccato petere il-
lum; & quare, *ibidem.*
- Dispositio ad martyrium quota-
plex sit, tractat. 2. disput. 2.
quest. 4. in quo consistat,
ibidem.
- Diaconus baptizando solemniter
sine debita potestatis dele-
gatione, non solum peccaret
mortaliter, verum etiam con-
traheret irregularitatem tr.
2. disp. 3. q. 2.
- Domini licet possint suorum ma-
cipulorum filios baptizare, non
tamen ad id tenentur tra. 2.
disp. 4. q. 4.

E

- Quando in successivis esse
essentia pereat manen-
te existentia. disput. 4. qua-
estio 4.
- Extra Ecclesiam licet non sit
salus, est tamen instrumentum
salutis. disp. 7. q. 3.
- Episcopus consecrans Ecclesiam
vel Calices, vel benedicens
corporalia in peccato mortali
non peccat mortaliter disp. 7.
quest. 5.
- Sicut neque conficiens Chrisma,
& benedicens oleum infer-
morum peccat mortaliter,
ibidem.
- Error circa substantiam Sacra-
menti, facit nullum Sacra-
mentum, secus tamen si er-
ror sit circa qualitatem disp. 7
quest. 9.
- Ad Eucharistia, & extrema
unctionis Sacramenta reci-
pienda, in frænatico sufficit
voluntas habitualis suppo-
nens virtualem seu inter-
pretatiuam. d. spul. 8. qua-
estio 1.
- Eucharistia Sacramentum qua-
re sit omnium potissimum,
& excellentissimum. disp. 8.
q. 4. habet delere peccata ve-
nialia, non ex vi sua preci-
sè qua Sacramentum est, sed
qua Sacramentale est disp. 9:
quest. 2. qualiter peccata ve-
nialia delet, secundum quod
Sacramentum est. loc. cit.
- Expositi infantes quando sche-
dula testimonium appensum
habent non debent iterum
sub conditione baptizari, &
quare. tractat. 2. disput. 2.
quest. 2.

Episcopus probabiliter, & prudenter dubius de sui baptismi valore, quid teneatur facere tr. 2. disp. 2. q. 2.

Ecclesia utrum possit baptismi preceptum determinare tr. 2. disp. 2. q. 7.

Vnus, & idem effectus potest pendere ad duas causas totalibus non quidem naturaliter sed modo supernaturali. tr. 2. disp. 3. q. 5.

Ecclesia licitum est quorumcumque baptizatorum infantes baptizare etiam inuitis eorum parentibus tract. 2. disp. 4. quest. 4. secus tamen dicendum est de filiis non baptizatorum in quos nec Ecclesia, nec principes Christiani habent potestatem, ibidem: sicut neque licet baptizare filios eorum non baptizatorum in quos Ecclesia vel principes Christiani civilem vel humanam habent potestatem, eorum parentibus vel iis quorum cura commissi sunt relictantibus, ibidem:

F

Licet fictio validitatem Sacramentis non tollat

tollit tamen fructum disp. 4. quest. 5.

Recedente fictione Sacramenta reuiuiscunt. loc. cit.

Etiam eucharistia sic suscepta recedente fictione suum producit effectum loc. cit.

Sacramenta reuiuiscunt omnia ablata fictione quando fictio non tollit veritatem Sacramenti disp. 1. q. 1.

Per infidelitatem non tollitur à ministro virtus diuina ipsi data ad conficienda Sacramenta. disp. 7. q. 3.

Hæc forma Baptismi. Baptizate Christus in nomine Patris & Filii, &c. quotuplicem sensum habere potest, & in quo sensu prolata sit sufficiens forma baptismi tract. 2. disp. 1. quest. 3.

Forma Baptismi qua utuntur Chaldei quenam sit; loc. cit. Baptismus per illam collatus non est validus, & quare ibidem: sicut neque est validus sub hac forma traditus. Ego te Christizo seu Christianum facio in nomine Patris, & Filii, &c. & quare, ibidem:

Hæc Forma Baptismi. Ego te Baptizo in nomine Patris, in nomine

nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti; qua intentione prolata reddat validum baptismum, ibid.

G

Gratiam causare non est de essentia Sacramenti. disp. 1. quest. 1.

Gratia infuso est remissio peccati idem est. disp. 4. quest. 2.

Gratia Sacramentalis non producit in parte temporis indeterminata disp. 4. quest. 4. neque in parte temporis determinata. loc. cit.

Productio gratiae in tempore ponit impossibilitatem gratiae cum peccato loc. cit.

Hac gratia neque producit in instanti terminatio intrinseco, cum repugnet. l. cit.

Gratia gratis data in quo distinguitur à gratia gratum faciente. disp. 7. q. 4.

Gratia, quae est effectus Sacramentorum, habet suam latitudinem, vel gradualem, vel radicationis eiusdem entitatis gratiae. disp. 8. q. 4.

Maiorem gratiam recipit qui cum minima contritione ac-

cedit ad Sacramentum Baptismi vel Penitentiae, quam ille qui cum maxima attritione accedit; & quare. disp. 8. quest. 4.

Gratia conceditur ad mensuram dispositionis. disp. 8. q. 4.

In tantum unus obtinebit pro alio ampliolem gratiae intentionem à Deo, in quantum meliorem dispositionem illi impetrabit. loc. cit.

Glacies, nix, & grando quandiu manent ita congelata ut non possint fluere, non sunt sufficiens materia remota Sacramenti baptismi, secus tamen si in aquam resoluantur. tr. 2. disp. 1. q. 1.

Gutta aquae una, vel altera sufficit ad conficiendum Sacramenti Baptismi. tract. 2. disp. 1. quest. 1.

Causare gratiam ex opere operato stat dupliciter: & quomodo. tract. 2. disp. 2. q. 3.

Gratia naturam non destruit sed perficit. tract. 2. disp. 4. q. 4.

H

HAeretici legis antiquae. proem. ad princip.

Here-

Hæretici legis noue. *pro-*
em.

Nulla humana actio, sine vo-
luntate esse potest. *dis. 8. q. 1.*
Sumens Hostiam consecratam,
nesciens tamen illam esse
consecratam, accipit quidem
materialiter Sacramentum,
non tamen rem Sacramenti,
disp. 8. quest. 4.

I

Repugnare indissolubili
terminatiua intrinseca
in successiuis. *disp. 4. que-*
stio 4.

Iure naturali diuino iubentur
Sancta Sanctè tractari *disp.*
7. qu. 5.

Irreuerentia rebus sacris exhibi-
bita est sacrilegium, sic non
tamen semper est peccatum
mortale *loc. cit.*

Omnis irreuerentia facta Sa-
cramenti à ministro in mor-
tali ministrante grauis est.
loc. cit.

Ius ad propriam famam nullus
habet cum graui alterius
damno *disputatio 7. que-*
stio 6.

Ad injuriam uitandam pec-

catoris oculi, publice sa-
cramentum Eucharistia pe-
tentis, & ad conseruandam
reuerentiam huic sacramen-
to debitam, sacerdos non po-
test Hostiam non consecra-
tam loco consecrata præbere,
sicut neque ob eandem causã
potest duas hostiolas unam
consecratam, & aliam non
consecratam accipere, & con-
secratam præbere adoran-
dam, non consecratam vero
in os petentis ponere. *disp. 7.*
quest. 6.

Intentio quadruplex sit, & in quo
unaqueque consistat. *disp. 7.*
quest. 8.

Intentio actualis sufficit in mi-
nistros sacramentorum, sicut
& virtualis non tamen ha-
bitualis, & quare, *disput. 7.*
quest. 9.

Intentio habitualis licet suffici-
at ad sacrificium missæ appli-
candum, non tamen sufficit
ad sacramentum conficien-
dum *disp. 7. q. 8.*

Intensionis virtualis continua-
tio tripliciter contingere po-
test, & quomodo. *disput. 7.*
quest. 8.

Intentio præhabita, licet ad sui
continuationem aliquando re-
quirat

- quirat actum interiore, nō tamen generaliter. disp. 7. quæst. 9.
- Intentio conditionata de præfenti, vel de præterito, sufficit ad valorem sacramenti, non tamen licitum est talem conditionem sine necessitate apponere.** disp. 7. q. 9.
- Intentio sub conditione de futuro non est absolute intentio, quā diu non purificatur conditio** disp. 7. q. 9.
- Intentionum contrariarum illa præualet, quæ est reuocatiua explicite, vel implicite alterius, magis vero vniuersalis est reuocatiua alterius: si sint æquales posteriori standum est.** disputatio. 7. quæstio 9.
- Per Indulgentiam plenariam, non solum ex opere operato penæ peccatis debita remittuntur, verum etiam culpe veniales.** disp. 91 qu. 1.
- Immersio, & emerfio non sunt relativa sed absoluta.** tr. 2, disp. 1. q. 2.
- Vtrum infans inclusus matris visceribus adipiscatur palmam martirii dum mater in odium fidei occiditur,** tr. 2 disp. 2. q. 4.
- Infantes Gentilium, Iudaorum, Mahumetanorum sunt capaces Sacramenti baptismi tractat. 2. disputatio 4. quæstio. 1.**
- Infantes Christianorum in eodem statu infantie Sacramenti baptismi sunt capaces tract. 2. disp. 4. q. 2.**
- Infantes in maternis existentes visceribus, habent totum id, quod ex parte subiecti requisitur, ad hoc vt sint Sacramenti Baptismi capaces.** tractat. 2. disp. 4. quæst. 3. non sunt tamen eius capaces si loquamur de modo quo Baptismi Sacramentum fit, ibidem; attamen si infans in utero matris existens possit aliquo modo aqua naturali intingi. vere baptizatur nihilominus pro maiori securitate deberet postea si superstes sit sub conditione baptizari, ibid.
- Infantes eorum infidelium qui aliquo iusto titulo sunt Christianorum mancipia, possunt licite eorum inuitis parentibus Baptizari modo isti infantes a cura parētū abstractantur tractat. 2. disput. 4. quæst. 4. potest tamen per acci-**

accidens illicitum esse Domini christianis mancipiorum filios ipsos inuitis baptizare ibid. Infantes in extrema necessitate, vel mortis periculo constituti possunt inuitis parentibus baptizari etiam si non sint Principum Christianorum subditi. tract. 2. disp. 4. quest. 4.

L

Laicus eleuans Eucharistiam de terra in peccato mortali absente Sacerdote, non peccat mortaliter. disp. 7. quest. 5.

Licitum est cuique uti alterius iniquitate in propriam utilitatem, & commodum, quando ille paratus est ad peccandum. disp. 8. quest. 2.

Lachrymæ, & lotium non sunt materia apta Sacramenti baptismi, & quare. tract. 2. disp. 1. quest. 1.

Lex antiqua quoniam tempore extincta fuerit. tractat. 2. disp. 2. quest. 7.

Laicus extra casum necessitatis baptizans, etiam sine solemnitate peccat mortaliter. tract. 2. disp. 3. quest. 2. baptizans vero siue in casu ne-

cessitatis, siue extra cum solemnitate peccat mortaliter, & irregularitatem incurrit, b. Lex Christi Domini legem naturæ non destruit, sed potius adstruit, & con firma. tract. 2. disp. 4. quest. 4.

M

Materia Sacramentorum determinatur ad significandum per formam. disp. 1. quest. 1.

Ordinarius minister Sacramentorum nouæ legis est solus homo uiuator. disp. 7. quest. 1.

Proprius Sacramentorum minister excepto Baptismo, & Matrimonio, ordinatus esse debet. loc. cit. unde diabolus aut Angeli hominum ministri esse non possunt. loc. cit. In ministro Sacramentorum non est necessaria fides. disp. 7. quest. 3.

Ministro Sacramentorum datur auctoritas conferendi Sacramenta, non quidem ad utilitatem ipsius ministri, vel conferentis, sed ad utilitatem Sacramenta recipientis. loc. cit.

Minister quantumuis scelera-

- tus verum conficit Sacramentum, dummodo omnia essentialia quæ ad Sacramentum perficiendum pertinent seruauerit. disp. 7. quæst. 4.
- Minister non consecratus, administrans Sacramentum, in peccato mortali non peccat mortaliter. disp. 7. quæst. 5.
- Secus tamen dicendum est si sit consecratus, & ex officio deputatus. loc. cit.
- Ministri Sacramentorum in sui consecratione recipiunt gratiam per quam ipsis confertur ius ad auxilia per quæ talia sacramenta digne administrant. disp. 7. q. 5.
- Esse ministrum solemnitatis sacramentorum, est imitari Christum in decentia, honestate, & gratia. loc. cit.
- Minister necessitatis sacramentorum causat gratiam, sed non per formalem cum Christo assimilationem. loc. cit.
- Minister sacramentorum ministrans illa in peccato mortali sine contritione, vel confessione aliquando excusatur à nouo peccato mortali. disp. 7. quæst. 5.
- Minister Sacramentorum, per se loquendo tenetur indignam sacramenti susceptionem impedire. disp. 7. quæst. 6.
- Minister sacramentorum quocumque modo se habere potest in confusione sacramentorum. disp. 7. quæst. 7.
- Minister sacramentorum debet habere intentionem faciendi sacramentum saltem implicite intendendo facere quod de ra facti Ecclesia qualescunque illa sit &c. disp. 7. quæst. 7.
- Minister sacramentorum cum sit instrumentum animatum, & humanum, humano modo, nempe per intentionem operari debet. disp. 7. q. 7.
- Minister sacramentorum assumitur ut agens voluntarium, & ita per intentionem & voluntatem agere debet. disp. 7. quæst. 7.
- Ministri intentio licet requiratur ad sacramentum ponendum, non tamen requiritur ad hoc ut postquam possum est suum producat effectum. disp. 7. quæst. 7.
- Ministri intentio debet esse circa materiam determinatam. disp. 7. quæst. 9.
- Minister peccat mortaliter si sequendo opinionem speculatiue

siue probabilem applicat materiam incertam relinquendo certam, qua tunc adhiberi potest. disp. 7. q. 9.

Qui dicantur ministri tollerati ab Ecclesia, & non tollerati; disput. 8. quaest. 2. ad hoc ut minister non tolleratus iudicetur oportet ut sit denunciatus. loc. cit.

Materia remota in quocunque Sacramento quamam sit. tr. 2. disp. 1. quaest. 1. & qua sit proxima, ibid.

Minister proiciens puerum in puteum ut baptizetur instante morte, dum aquam habere non potest, est sine ullo peccato, & periculo irregularitatis. tract. 2. disp. 1. q. 2.

Hæc tamen sententia licet videatur speculatiue probabilis, non est tamen practice sequenda: & quare. loc. cit.

Martyrium potest conferre gratiam tam paruulis, quam adultis sine actu charitatis. tract. 2. disp. 2. quaest. 3. bifariam considerari potest: ibid. quod privilegium habeat secundum utramque rationem, ibid. causat gratiam ex opere operato, tam in paruulis, quam in adultis, facis-

que istos ex attritis contritos, ibid. habet excellentiorem effectum supra baptismum aquæ, & quare, ibid. in adultis habet causare gratiam per se tam ex opere operantis, quam ex opere operato, ibid. quando causat gratiam ibidem: in paruulis nullam requirit pro sua receptione dispositionem. tract. 2. disp. 2. quaest. 4. in adultis iustificatis sufficit libera martyrij acceptatio per voluntatem interpretatiuam, et habitualem, ibid. sicut & in peccatore adulto per se sufficit sola attritio, ibid. quando capere eius privilegium sanctificandi tam adultos, quam paruulos: tum etiam supplendi baptismi defectum. tract. 2. disp. 2. quaest. 3.

Minister si expresse intendit concurrere ut causa partialis ad conferendum Sacramentum Baptismi, iam non habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & quare. tr. 2. disp. 3. quaest. 4. si baptizet simul plures, extra casum necessitatis peccat mortaliter, & quare. tractat. 2. disp. 3. quaest. 5.

N

Per ly. Nomine in forma
Baptismi contentū quid si
gnificetur tract. 2. disput. 1.
quæst. 3. loco ipsius non po-
test alia particula substitui
in forma baptisimi, & quare
ibid.

O

PRACTICUM ex opere operato
& opere operantis non dif-
ferunt essentialiter sed solum
accidentaliter unde uniuo-
cantur in Sacramentis nouæ,
& veteris legis. disput. 1.
quæst. 4.

Deus deputando hominem ad
aliquod officium tribuit illi
aliquod intrinsecum quo
illud exequatur. disput. 5.
quæst. 2.

Obligationem grauem adferunt
non solum ea que ad essenti-
am Sacramenti requiruntur
sed etiam ea que ad decentiam
dis. 7. quæst. 5.

Ordinis Sacramentum est toti
Ecclesie necessarium disput. 8.
quæst. 4.

Ordinatus ab Episcopo probabi-
liter, & prudenter dubitan-
te de validitate sui baptisimi
tenetur omnes ordines, vel
saltem sacerdotalem sub con-
ditione iterum recipere. tr. 2:
disp. 2. q. 2.

Quis ordo seruari debeat inter
eos qui tantum in extrema
necessitate possunt digne Sa-
cramentum baptisimi admi-
nistrare. tract. st. 2. disp. 3.
quæst. 2.

P

PRINCIPALITUS aliquando or-
dinatur ad minus prin-
cipale disp. 1. q. 3. ad 3. poten-
tia obedientialis immediate
actiua arguit in creatura vir-
tutem infinitam. disput. 4.
quæst. 3.

Potestas ministrandi Sacramē-
ti, sicut, & alia gratie gra-
tis data cum peccato lethali
esse possunt. disputatio 7.
quæst. 4.

Parochus assistens in peccato
mortalis, contrahentibus ma-
trimonium nō peccat morta-
liter. dis. 7. q. 5.

Præcepta legis antiquæ fuerunt
qua-

quædam iuris naturalis declarationes. disput. 7. quaestio 5.

Peccatori publico semper Sacramentum denegandum est, siue publice, siue priuatim petat. disp. 7. q. 6.

Peccatori occulto, publice petenti Sacramenta, tenetur ministrare non solum Parochus sed etiam quilibet alius Sacerdos disp. 7. q. 6.

Præceptum, & obligatio Religionis non est de non dando Sacramento indigno absolute, sed solum de non dando indigno absque iuxta necessitate. disp. 7. q. 6.

Non licet à Parocho non tolerato ab Ecclesia, quantumvis parato, petere Sacramenta extra casum necessitatis, in casu vero necessitatis etiam inducere licet Sacerdotem hæreticum, apostatam, degradatum &c. disp. 8. qu. 3. si tamen proprius Parochus sit ab Ecclesia toleratus, etiam si sit excommunicatus, & non paratus, licitum est per se loquendo ab illo recipere, Sacramenta, imo & inducere illum ad administrationem Sacramentorum. loc. cit.

Paruuli omnes æqualem semper recipiunt gratiam in Baptismo disp. 8. q. 4.

Penitentia Sacramentum est necessarium necessitate salutis, relapsis, vel in re, vel in voto. disputatio 8. quaestio 4.

Datur potestas in Ecclesia instituendi Sacramentalia disp. 9. qu. 1.

Paena peccato debita non relaxatur quandiu culpa non tollitur. disputatio 9. quaestio 1.

Peccata venialia quot modis remitti possunt, & quibus disp. 9. qu. 2.

Peccatum veniale, licet non toleratur absque penitentia actu, vir uult uelemeniâ, et æquivalenti, potest tamen tolli absque actu penitentia firmali. loc. cit. potest stare cum gratia, & charitate. ibid.

Parochus, dubitanti rationabiliter de suo baptismo, tenetur illum administrare tr. 2. disp. 2. qu. 2.

Penitens qui fuit confessus sua peccata Sacerdoti probabiliter, & prudenter dubitanti probabiliter, & prudenter dabi-

dubitanti de validitate sui baptis-
mi debet iterum eadem
peccata confiteri, & quare
ibid.

Paruuli cum solo martyrio ab-
sque ullo actu iustificantur :
& quare tract. 2. disput. 2.
quest. 3.

Promulgatio solum est de essen-
tia legis humana, non vero
diuinae, & quare tr. 2. dis.
2. qu. 7.

Parentes paruulorum quam o-
bligationem habent de eorum
baptismo. ibid.

Patrinus quis dicatur. quod
eius officium : quae conditio-
nes in eo requiruntur. a quo
debet designari, non potest
esse parens eius qui baptiza-
tur. & quare. tr. 2. disp. 3.
quest. 6.

Pater circa qua abuti potest po-
testate patria in filium
tract. 2. disp. 4. quest. 4. per
quem abusum paternae pote-
statis in filium potest à prin-
cipe illa priuari. ibid.

Parentis alterius consensus suf-
ficit ad eorum filios baptizan-
dos. tractat. 2. disputatio 2.
quest. 4.

Penalitates quid sint. tract. 2.
disp. 5. quest. 2. per baptismū

non tolluntur; & quare
ibid.

R

Res sacra quotupl iciter de-
catur ad dis. 1.

Religiosus dubitans de suo bap-
tismo, à quonam debeat petere
illum. tractat. 2. disput. 2.
quest. 2.

Ritus qui ab Ecclesia fieri solent
cum baptismis solemniter
consertur; quid significant.
ibid.

Regeneratio perfecta baptizati
fieri non potest, sine totali pa-
nae peccatis debita remissione
tractatus secundo disputatio 5
quest. 2.

S

Quid nomine Sacramen-
ti intelligatur apud he-
reticos ad disp. 1.

Quid apud Christianos. loco ci-
tat.

Quid sit signum eiusque natura
exponitur dis. 1. quest. 1. Sa-
cramenta sunt in genere si-
gni loc. cit.

Ratio signi Sacramentorum est
ad placitum loc. cit.

Quomodo signum hoc Sacramē-
tum ducat in cognitionem
loc. cit.

Quomodo Sacramentum sit signū
rei Sacrae simulque res Sa-
cra loc. cit.

Ratio signi in Sacramentis non
est realis denominatio de-
sumpta à denominante, loc.
cit.

Signi ratio non est ens rationis
loc. cit.

Ratio signi est quid reale. loc.
cit. & quomodo. loc. cit.

Signum duo dicit. loc. cit.

Sacramenta sunt tum in gene-
re actionis, tum in genere
signi. loc. cit.

Triplex ratio signi unam inte-
grant in Sacramento. disp. 1.
quest. 1.

Sunt signa rememoratiua non
gratie, sed passionis Christi
prognostica glorie, & de-
monstratiua gratiæ. loco
cit.

Sacramenta solum de possibili
aliqua signantia absque ad-
ditione signant de facto, &
exercite, & quomodo. loc.
cit.

Varia compositiones in sacra-

mento explicantur, loci cit.
in resp. ad 4.

Dari nequit de potentia absolu-
ta Sacram. aliquod non sub ge-
nere signi. loc. cit. ad 5.

Potest tamen esse non sub gene-
re signi sensibilis. disput. 1.
quest. 2.

Quæ differentia inter Sacra-
mentum, rem Sacramenti, &
rem, & Sacramentum, dis. 1
quest. 2.

Quomodo spiritualia possint af-
fumi ut signa, et in alterius
cognitione inducere cū eque
ignota videatur dis. 1. q. 2. ad
p. fund.

Quænam sit signi definitio ef-
fentialis. disput. 1. quest. 2.
ad 2.

Quomodo signa spiritualia pos-
sint per se nobis innotescere.
loc. cit. ad 3.

Signum Sacramentale, et ad
placitum debet esse perpe-
tuum disp. 1. q. 3.

Signum quomodo exquirat pro-
portionem cum re cuius signū
est loc. cit.

Non est de ratione Sacramenti
ut sic causare sanctitatem,
sed solum signare loc. cit.

Non saluatur ratio causatiui in
Sacramentis ex eo quod hoc
ex

- ex opere operantis habeant .
loc. cit.
- Quomodo Sacramenta vet. leg.
signa erant sacramentorum.
& sacramenta loc. cit.
- Causalitas Sanctitatis non
est differentia complens ra-
tionem Sacramenti ut sic: loc.
cit.
- Neque hac ratio causalitatis
conuenit materiæ Sacramen-
torum de materiali. loco ci-
tat.
- Et si causatiuum sanctitatis nõ
sit differentia sacramenti, est
tamen eius proprietates . ad
prim. loc. cit.
- Lysignum practicum, quod est
in Sacramento ut sic non di-
cit causalitatem gratiæ à se
producibilis, sed solum ab
alio indispensabiliter. loc. cit.
ad 2.
- Quomodo significare gratiam
sit principalis quàm causare
in sacramento . loco citato
ad 3
- Sacramenta sunt signa rei sa-
cræ non quomodocunque, sed
sanctificantis, loc. cit.
- Potuit Deus sic instituere sa-
cramenta ut essentialiter im-
portarent causalitatem, hæc
tamen non esset differentia:
- sed genus disparatum . loco
citato.
- Sacramenta non sunt diuinariæ
promissionum obligationes,
sive publicæ consignationes
fidelium ut voluit Calvinus
& Zuinglius . disputatio 1.
quest. 14,
- Sacramentorum differentia nõ
est significare sanctitatem pre-
scindentem ab interna et ex-
terna loc. cit.
- Sed gratiam internam sanctifi-
cantem .
- Quomodo fiet cum dicto Apосто-
li quod Sacramenta legis an-
tiquæ sint vacua, & adhuc
significent essentialiter grati-
am - loc. cit.
- Quomodo Sacramenta veteris le-
gis fuerint Vmbrae nostrorũ
loc. cit.
- Quomodo et si Sacramenta in pe-
culiari non ponantur præ-
dicamento adhuc definibilia
sunt loc. cit.
- Non est de ratione essentiali Sa-
cramenti ut sic esse sacram-
ceremoniam . disputatio. 1,
quaest. 5.
- Quænam sit rigorosa sacramen-
ti definitio loc. cit.
- Quare principaliter conueniat
gratiæ esse rem sacram loc. cit

Ad generalem rationem Sacramenti non sunt necessaria verba sed sufficiunt res. *dis. 1. quaest. 1.*

Omnia Sacramenta nouae legis constant rebus, & verbis expressis, unico exceptio Matrimonio. *loc. cit.*

In Sacramento tam res quam verba partialia habent significationes unam totalem constituentes. *loc. cit.*

Verba in Sacramento Eucharistiae probabiliter sunt tantum forma efficiens extrinseca non componens. *loc. cit. ad 1. sed verius sunt forma in fieri, & in facto esse, & quomodo. loc. cit.*

Verba tam viri, quam mulieris in matrimonio habent se ad inuicem ut determinatiuum, & determinabile. *loc. cit. ad 3. & quaest. 2. in fondo & ad 3.*

Dolor, & confessio in penitentia sunt res huius Sacramenti. *loc. cit.*

Compositio Sacramentalis, ex rebus, & verbis est physica in ultimo gradu compositionis nempe artificialis *disp. 2. q. 2.*

Verba Sacramentorum determinant materiam tangendo

illam secundum esse intentionale. non enim tantum. *loc. cit.*

Cur Sacramenta petant compositionem physicam, & per se talem. *loc. cit.*

Sacramenta omnia sub determinatis rebus confici debent. *dis. 2. quaest. 3.*

In Sacramentis vero legis naturae aliqua inuenitur indeterminatio. *loc. cit.*

Facta determinatione materiae magis indeterminatae Sacramentorum indeterminatio non est amplius sufficiens pro Sacramento. *disp. 2. quaest. 3.*

Nullus Deo excepto potest Sacramenti materiam essentialiter immutare. *loc. cit.*

Quando mutata dicatur materia in Matrimonio et ordine. *loc. cit.*

Verba Sacramentorum forma non sunt promissoria ut haeretici volunt. *disp. 2. quaest. 4.*

In Sacramento non requiruntur verba concionatoria ut vult Calvinus. *loc. cit.*

Formae Sacramentorum debent esse formaliter determinatae id est quantum ad significationem non autem hoc petunt sub materiali variatione

- linguarum *sive* idiomatum. loc. cit.
- Quomodo eadem esset forma Sacramenti Baptismatis apud Apostolos cum in nomine Iesu baptizarent. loco. citato.
- Mutatio formæ *sive* materiæ substantialis semper irritat Sacramentum non accidentalis disp. 2. quæst. 5.
- Mutatio substantialis est quando non seruetur prescriptum Christi, & contra accidentalis. loc. cit.
- Quotupliciter mutari valeat forma Sacramentorum. loc. cit.
- Sacramentum tenet si fiat mutatio in forma variando idioma, etiam si sit idiomatum commixtio, etiam si unum verbum cum synonymo mutetur, quod idem explicite, & distincte signet. loc. cit.
- Quomodo adlitio verborum immutet formam. loc. citat.
- Quomodo transpositio. loc. cit. quomodo interpollatio. loc. cit.
- Quomodo tamen adhuc cum mutatione sonus verborum, stare potest integritas formæ. loc. cit.
- Manente integritate sensus verborum Sacramentalium secundum communem usum quomodo non conficiatur Sacramentum. loc. cit.
- Quomodo error particularis non inficiat formam Sacramentorum. loc. cit.
- Quomodo mutatio verborum formæ sit substantialis, et accidentalis si accedat animus introducendi errorem. loc. cit. ad ult.
- Omnis mutatio formarum Sacramenti est sacrilegium, & peccatum contra Religionem loc. cit. Quomodo tamen sit mortale. loc. citat. quomodo veniale loc. cit.
- In statu innocentie non fuerunt de facto Sacramenta nec fuit pro illo breui conueniens dari. disp. 3. q. 1.
- Quomodo etiam si longo tempore durasset, illa non fuisset l. c.
- Homo in statu innocentie non cognouisset supernaturalia per sensibilia sed per scientiam infusam. loc. c.
- Quare Angeli viatores non habuerint medium acquisitionis gratiæ ex opere operato. loc. cit.

Sacramenta dantur, ut supleat defectum operis operantis in ordine ad gratiam. loco citato.

Quando in Adam potuerit dari aliquod signum sensibile rei spiritualis & actus interni, non tamen gratia sanctificantis. loc. cit. ad 2.

Ante aduentum Christi matrimonium non erat Sacramentum sed purus contractus naturalis. loc. cit.

Duplex est cultus externus creaturarum ad Deum. loc. cit. in statu innocentie & si fuisset cultus externus non fuisset tamen per modum fomenticulus interioris, sed per modum pure effectus interni. loc. cit. ad 5.

Probabiliter dicitur, quod in statu innocentie non erant nec fuissent sacrificia. loc. cit. probabilius tamen oppositum asseritur. loc. cit.

In statu nature nullum erat preceptum pure posituum aut scriptum. disp. 3. quest. 2.

Fuit tamen in illo statu Sacramentum verum pro delendo peccato originali. loc. cit.

Non requiritur signum sensibile ad hoc ut quis Deo initie-

tur, & consecretur. loc. cit. Neque ad hoc ut constituatur membrum mysticum Christi loc. cit.

Quomodo intelligatur quod paruuli sola fide sanctificabantur in lege nature. l.c. ad 1.

Signum sensibile Sacramenti positi in remedium paruulorum legis nature non erat determinatum, sed a parentibus poterat determinari. loc. cit. ad 2.

Illud idem remedium durauit in lege scripta pro mulieribus loc. cit. ad 2.

Sacramentum legis nature non amplius durat neque pro illis qui inuincibilem habent ignorantiam Euangelij, quauis teneatur viuere secundum leges nature. loc. cit.

Sacramentum legis nature solum pro paruulis erat, non pro adultis, sed pro istis contritio, sue dilectio stabat loc. cit. ad 3.

In statu legis nature quicumque valde poterat impendere Sacramentum paruulis, non tamen licite sed hoc erat parentum qui curam pueri habebant. disp. 3. quest. 3.

Quae fides requirebatur in mi-

- ministro illius Sacramenti. loc. cit.
- Quomodo sit facilius contritio modo cum obligatione, quam prius sine obligatione confessionis. loc. cit.
- Quare nunc sufficiat fides Ecclesie pro consecratione sacramenti nec requiratur illa ministri, secus vero in lege natura. loc. cit. ad 2.
- Nullum aliud sacramentum datur in illa lege natura quae hoc unum pro paruulis. loc. cit. quamuis darentur plura sacrificia. loc. cit.
- Quotuplicia essent sacramenta legis scriptae. disp. 3. quest. 4.
- Sicut datur gratia ex opere operato, & opere operantis ita & satisfactio. disp. 4. q. 1.
- Martyrium causat gratiam ex opere operato non tamen est sacramentum, quomodo. loc. cit.
- Sacramenta causant gratiam ex opere operato instrumentaliter non principaliter. loc. cit.
- Verba sacramentalia non sunt solum conacionatoria, & excitatiua, sed practice causatiua. loc. cit.
- Diversitas causarum instrumentalium physica, & moralis. disp. 4. quest. 2.
- Sacramenta dicuntur rationem cause instrumentalis moralis loc. cit. etiam, & physica. loc. cit.
- Quomodo cedat in dignitatem sacramentorum causalitas physica. loc. cit.
- Sacramenta antiquae legis non solum erant conditiones, sed et cause morales. disput. 4. quest. 2.
- Sacramenta immediate attingunt gratiam non medio characteris. disp. 4. q. 3.
- Sacramenta causant etiam immediate gratiam, & secundum rationem beneuolentiae, & secundum rationem qualitatis. disp. 4. q. 3.
- Sacramenta non eleuantur per virtutem dicentem rationem qualitatis. loc. cit. sed per motionem. loc. cit. neque eleuantur per potentiam obedientialem actiuam immediatam loc. cit.
- Quomodo admitti possit potentia obedientialis passiuam immediatam non actiuam. loc. cit.
- Quid sit illa motio complens sacramenta qua instrumenta sunt. disp. 4. q. 3.

Sonus non causatur tantum si-
mul sed successiui h.c.

Sacramenta causant gratiam
in instāti terminatiuo in quo
sacramentum primo non est
sed immediate antea erat. loc.
cit.

Successiua ultimo nō existūt nisi
per instans terminatiuum
extrinsecum. l. c.

Quomodo sacramenta causant
gratiam, quando non sunt
secundum esse essentia. l. c.

Sacramentum Eucharistia no-
biliori modo continet virtu-
tem passionis Christi quam
alia Sacramenta. disp. 4 q. 5.

Omnia sacramenta reuiuiscunt
ablato obice etiam & Eucha-
ristia. dis. 4. q. 5.

Quādo aufertur obex, & sacra-
menta reuiuiscunt probabi-
liter tunc gratiam solum mo-
raliter causant d. c. q. 2. sa-
cramenta & si non sint for-
maliter quando reuiuiscunt
sunt tamen quā si virtuali-
ter in quadam determina-
tione. h.c. quomodo sacramē-
ta reuiuiscunt cum sit opus
agentis mortui. l. c. ad 2.

Quando obex est materia pe-
nitentia non aliter sacra-
menta reuiuiscunt nisi posito

sacramento penitentia cum
attritione vel contritione .
d. c. quæst. 6. si vero non sit

materia penitentia sacramē-
ti sufficit sola attritio. loc. cit.

Sacramento reuiuiscenti per cō-
tritionem duplex correspon-
det gratia vna sacramento,
alia contritioni. d. c.

Sacramenta ablato obice con-
ferunt gratiam ad mensurā
dispositionis. loc. cit. non vero
sic in reuiuiscencia merito-
rum. loc. cit. quomodo reui-
uiscant cum maior gratia
stante identitate contritionis
loc. cit. distinguuntur sacra-
menta in uiuorum, & mor-
tuorum. d. c. q. 7.

mortuo-
rum si causant primam gra-
tiam d. c. q. 7. etiam uiuo-
rum secundum rationem ge-
nericam sacramenti loc. cit;
secundum vero rationes spe-
cificas solum per accidens .
loc. cit.

Et si sacramenta omnia secun-
dum rationem genericam
per se producant primam gra-
tiam non tamen eadem pro
omnibus dispositio sufficiet.
disp. 4. quæst. 7.

Quomodo predicatum differen-
tia sacramentorum mortuo-
rum

- rum possit conuenire generi
illorum. loc. cit.
- Sacramenta producunt solum
per accidens primam gra-
tiam respectu intentionis ope-
rantis, tum qua sacramenta
& qua talia sunt; non vero
respectu intentionis operis
qua Sacramenta. loc. cit.
- Omnia Sacramenta specialia
quadam conferunt auxilia.
disp. 4. q. 8.
- Addit gratia sacramentalis su-
pra gratiam ut sic, aliquam
differentiam subalternam.
loc. cit.
- Quae sacramenta imprimant
characterem. disp. 5. quest. 1.
- Dupliciter Sacramenta institui
possunt. disp. 6. q. 2.
- Solus Deus auctoritative Sacra-
menta instituire potest. loc.
cit. & disp. 6. q. 4.
- Omnia Sacramenta fuerunt in-
stituta à Christo ex commis-
sione qua homo. loc. cit.
- Sacramentalia remittunt pec-
cata venialia per gratia in-
fusionem. loc. cit.
- Quae sit principalitas instrumē-
talis quam habet Christus
in Sacramentorum consecutio-
ne. loc. cit.
- Christus Dominus potuit, &
est causa principalis moralis
Sacramentorum. d. 6. q. 2.
- Christus fuit causa principalis
moralis omnium miraculo-
rum instrumentalisque phy-
sica. loc. cit.
- Potuit Christus suam potestatem
excellentiæ instituendi Sa-
cramenta alteri communica-
re. disp. 6. quest. 4. non
tamen secundum modum per-
fectionis quo in illo erat. loc.
cit.
- Quotuplex est consecutio Sacra-
mentorum, totuplex & mi-
nister. disp. 7. quest. 1.
- Si Sacerdos aliquis ad vitam re-
diret mortalem posset confi-
cere ea omnia Sacramenta
absque alio superaddito quae
ante mortem poterat confi-
cere absque iurisdictione, ea
vero quae ante mortem sine
iurisdictione conficere non
poterat, etiam post Resurre-
ctionem sine noua iurisdictione
ne conficere nequiret. disput.
7. quest. 2.
- Sacramenta tam ab Angelis,
quam ab animabus separatis
collata, licet possent habere
eundem effectum quem ha-
bent nostra, non tamen es-
sent eiusdem rationis cum
nostris

- nostris. loco citato.
- Sufficit assistentia spiritus sancti ad hoc, ut sacramenta valide administrantur, quamuis et digne ministrantur etiam ipsa gratia spiritus sancti requiratur. disputatio 7. quest. 4.
- Sacramenta alia sunt quae non possunt confici nisi à ministro consecrato, alia quae ministrum consecratum, & deputatum non requirunt. disp. 7. quest. 5.
- Sacerdos imponens satisfactionem in peccato mortali non peccat lethaliter, sed tantum venialiter. disp. 7. q. 5.
- Sacramentorum sanctitas non ex sola causalitate gratiae desumitur. loc. cit.
- Satisfactio prout est actio sacerdotis non producit augmentum gratiae, sed prout est actio penitentis. disputat. 7. quest. 5.
- Sacerdos cantans orationem vel capitulum solemniter in peccato mortali, non peccat mortaliter. loc. cit.
- Subdilectus ministrando in mortali peccato non peccat mortaliter.
- Sacerdos ministrans Eucharistiam in peccato mortali non peccat mortaliter; & dato quod peccaret mortaliter, tamen non essent tot peccata mortalia, quot communicatur personae, sed unum, sicut & audiendo plures confessiones unum peccatum mortale committit. disput. 7. quest. 5.
- Sacerdos celebrans in peccato mortali unum tantum peccatum mortale committit. disp. 7. quest. 5.
- Sacerdos potest ministrare Sacramentum publico peccatori ob metum mortis, et notabilis infamiae, secus tamen dicendum, si illud peteret ad conculcandum, vel contemnendum. disp. 7. quest. 6.
- Quid sibi vult: sacerdotem operari ut ministrum Christi in administrandis Sacramentis. disp. 7. q. 7.
- Aliud est sacrificium facere, aliud fructum sacrificij alteri applicare. disp. 7. quest. 8.
- Quoad sacrificium Christus dedit potestatem Sacerdoti magis restrictam, quoad applicationem vero fructus illius magis amplam. loc. cit.
- Sacramentum cum intentione

- conditionis de futuro contingenti collatum, nullum est excepto Matrimonio. disp. 7. quæst. 9.
- Sacramentum sine debita Ministrari intentione collatum, non solum est nullum sed neque Deus supplet defectum illius quoad effectum gratiæ. disp. 7. quæst. 9.
- Licitum est sacramenta recipere à ministro peccatore tolerato quando est paratus illa administrare. disputat. 8. quæst. 2.
- Licitum est sacerdoti excommunicato etiam tolerato administrare sacramenta, & quamvis aliam actionem sacram exercere si petatur, se-cus tamen, si solus sponte se ingerat. disp. 8. quæst. 2.
- Licitum est petere sacramentum à ministro excommunicato tolerato etiam si paratus non sit. disputat. 8. quæstio. 2.
- Non est licitum vetere sacramentum à ministro parato, quando est administraturus in peccato mortali, quando commode possum id petere ab alio. disp. 8. quæst. 2.
- Sacramentum eiusdem speciei in subiecto aqualiter disposito habet eundem effectum. disp. 8. quæst. 4.
- Sacramentalia quid sint, & quot numero; de quibus nam fiat in presenti sermo in proem. disp. 9. possunt ex opere operato peccata venialia delere. disp. 9. quæst. 1. item. quæst. 2. per illa, voluntas hominis à peccato veniali cui adhaeret auocatur, ibid. qui illis utitur sed non tanquam remedijs ab Ecclesia institutis contra leues culpas, peccatorum venialium remissionem non obtinet. ibid. per quid distinguantur à sacramentis. ibid.
- Sacramenta ex vi sua, & ex propria institutione non habent delere peccata venialia. disputat. 9. q. 2.
- Signum Crucis absolute, & simpliciter aqua benedicta præcellit. disp. 9. quæstio. 2. tamen secundum quandam rationem aqua benedicta signo Crucis præcedit. loc. cit.
- Saliua, & sudor non sunt materia apta Sacramenti Baptismi, & quare. tract. 2. disput. 1. q. 1.
- Sacerdos probabiliter, & prudenter

denter dubius de sui baptis-
mi valore, utrum omnes or-
dines teneatur iterum sub
conditione recipere. tract. 2.
dis. 2. q. 2.

Sacrificium incruentum ulti-
ma cena fuit representati-
uum mortis futura Christi
Domini; nostrum vero est
representatiuum prateri-
ta. tractat. 2. disput. 2. que-
stio 6.

Sacerdos simplex, baptizando
sine venia Parochi peccat
mortaliter, & quare. tract.
2. disp. 3. quest. 2. non ta-
men contraheret irregulari-
tatem, & quare, ibid.

T

T Angere in peccato mor-
tali. Corporalia, Ca-
lices, Patenas, &c. Non
est peccatum mortale. disp.
7. quest. 5.

S. M. Theresa, qua ratione
maiolem vim tribuat aqua
benedicta ad fugandos de-
mones quam Cruci Christi

Domini. disputatio. nona
questio 2.

V

V Erba consecrationis quo
modo physice agant cum
distantia. disputatio. 5. qua-
stio 4.

Violatio duorum preceptorum
tunc duo peccata inducit,
quando ex diuersis procedunt
motibus disp. 5. q. 4.

Voluntas in causa non sufficit
in Sacramentorum ministro
ad Sacramentum consicien-
dum, est tamen sufficiens ad
illud suscipiendum, & quare.
disp. 7. q. 8.

Viator verè, & propriè quis-
nam sit in proem. disputa-
tio. 8.

Ad validitatem Sacramento-
rum quorum esse est fieri,
necessaria est ex parte reci-
pientis insentio, seu consen-
sus formalis, vel virtualis,
vel interpretatiuus secun-
dum diuersitatem Sacramen-
torum. disp. 8. q. 1.

*Voluntas interpretatiua quod-
ruplex, & in quo vnaqua-
que consistat. disputatio 8.
quaest. 1.*

*Votum baptismi implicitum,
sufficit ad martyrium reci-
piendum, quando non potest
re ipsa suscipi, & quare. tr.*

*2. disp. 2. q. 5. Illa verba Nos te baptizamus
quot, & quos sensus h. bere
possunt, & in quo sensu pro-
lata conficitur Sacramen-
tum Baptismi. tractat: 2.
disp. 3. q. 5.*

F I N I S.

REGISTRVM.

† † † † ABCDEFGHIKLMNOPQRSTV
XYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn
Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc.

Omnes sunt fol. 75. integri, præter Cccc. est dimidi.



R O M A E ;



Ex Typographia Francisci Fælicis Mancini

ANNO D. M. DC. LVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

IN REGIA



R O M A E



Ex Typographia Francisci Ferris Mantuae

ANNO D. M. DC. LVI

IN PERIOPHIA PERMISSA

